Nab. 5.
10.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841221-p0002-9

IOANNIS GERHARDI

THEOLOGI QVONDAM IENENSIS
CELEBERRIMI

LOCORVM THEOLOGICORVM

TOMVS DECIMVS NONVS

ADIVNCTO

SVPPLEMENTO

DENVO EDIDIT

IO. FRIDERICVS COTTA

THEOLOGVS TVBINGENSIS.

TVBINGAE
SVMTIBVS IO. GEORGII COTTAE
MDCCLXXX.

KGL.PR.FB.
UNIVERS.
ZV HALLE

PRÆFATIO.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

GEORGIVS HENRICVS MÜLLER,

DVCALIS ACADEMIAE STVTTGARDIANAE PROFESSOR,
ET CAPELLANVS AVLICVS.

Eo tempore, quo huius, qui nunc lucem videt, tomi *decimi noni* editio parata & iam paene absoluta fuit, causa morae illius inopinata, ac nec nobis solum, sed rei etiam literariae universae tristissima intervenit,

fatum quippe *magnifici Editoris b. Cancellarii Tubingenſis* D. COTTAE, qui ſub ipſis anni praeſentis initiis placidiſſima morte rebus humanis ereptus eſt. Optandum magis erat, quam exſpectandum, ut *ſenex deſideratiſſimus* vaſti huius operis *Gerhardiani*, ingraveſcente iam aetate ſuſcepti finem videret. Ipſe quidem indefeſſo ſtudio, reliquisque, quae ſub manu habebat, vel tandem ſemotis in id fuit intentus, ut, quam citiſſime poſſet fieri, ad metam diu exoptatam opus perduceret. Quae cura adeo conſtans in eo et aſſidua fuit, ut ad extremos uſque vitae dies *virum optimum* perſequeretur, nec niſi morte, quae mediis fere in cogitationibus hiſce eum deprehendit, poſſet intercipi. Mature tamen *idem* de ratione continuandi ac perficiendi operis cogitavit, ſi vitae humanae ſupremus arbiter aliter, ac nos optabamus, aetatis terminum ipſi conſtituerit. Mihi vero, quem a multis inde annis ſingulari prorſus favore ac benevolentia complexus fuit, ſaepius alias, & nuper paulo ante mortem tum literis ad me datis, tum colloquiis familiaribus animi ſui hac de re ſententiam perſpicue aperuit. Et quum ſocium in iſto opere & adiutorem iam dudum me adſciviſſet, partemque curarum haud exiguam mihi commiſiſſet, petiit abs me, ut, ſi fato fungeretur, ego reliquum negotium editionis univerſum ea, quam ipſe ſibi propoſuerat, ratione ſuſciperem; id quod tum pro immortali mea in *virum optimum*, cui fidem obſequii dederam, obſervantia, tum reipublicae literariae cauſa, cuius omnino intereſt, opus diu protractum ſine mora abſolvi, omni diligentia & fide, ſi Deus

vitam

vitam viresque concesserit benignissime, faciam. Nec ignoro quidem, nec miror, finem operis publicis desideriis dudum fuisse expetitum. His proxime satisfactum iri, certo iam polliceri possum, cum insimul persuasum mihi sit, eum, qui sumtus libri facit, nihil omissurum, quod ad consilium nostrum promovendum pertinere queat. Sic autem nobis constitutum est, curare, ut proximo *tomo vicesimo* integer, qui in *locis de novissimis* supereſt, *textus Gerhardianus* ea, quae hactenus adhibita fuit, diligentia typis absolvatur, deinde peculiaris *supplementorum tomus*, variis observationibus, narratione vitae *Editoris venerandi* perpetua memoria dignissimae, indice denique generali occupatus, divina adiuvante gratia, universo operi finem ponat optatissimum. Haec de ratione continuandae ac perficiendae huius editionis breviter monere visum fuit. Si quae sint, quae ad emendandum ornandumque opus publica utilitas adhuc exigere videatur, super his virorum doctorum admonitiones lubentissime accipiemus. De praesenti volumine pauca habemus dicenda. *Textum* exhibet adcurate exscriptum mendisque purgatum, eundemque non interspersis quidem adnotationibus, *duplici* tamen *supplemento* adauctum, cuius contenta sistit *conspectus*. Quas *huic tomo* subiunximus, *observationes* iam in *praefatione superioris tomi* promissae, vivoque adhuc *Editore* isti, quod occupant, spatio destinatae erant; plures & ampliores addere ob iustam voluminis molem non licuit; eas autem, quae supersunt, in ultimum, de quo diximus, tomum reservamus. Interim B. L. his velim aequo u-

 taris

taris animo, noſtraque ſtudia qualiacunque TIBI commendata habeas; dulciſſimam vero memoriam *Senis defuncti* ea pietate, quae eximiis eius meritis in eccleſiam, rempublicam literariam, & hoc praecipue opus Gerhardianum omnino convenit, cum ſeria mortis & aeternitatis meditatione aſſidue recolas.

Dabam Stuttgardiae, Calendis Martii, anno poſt reparatam Salutem MDCCLXXX.

LOCVS XXVIII.

DE RESVRRECTIONE MORTVORVM.

CAPVT III.

DE CAVSA EFFICIENTE RESVRRECTIONIS.

Causa efficiens principalis resurrectionis.

§. XLIII. *Causa efficiens principalis* resurrectionis est unus ac solus verus Deus, *Pater*, *Filius & Spiritus sanctus*, quod probatur I.) ex *dictis scripturae*, tum *generalibus*, quae toti Trinitati resuscitationis opus tribuunt, tum *specialibus*, quae distinctam *Patris*, *Filii* ac *Spiritus sancti* mentionem faciunt. Dicta generalia haec sunt: Exod. III. 6. *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac & Deus Iacob*, id est, ego, qui sum unus ac solus verus Deus, Pater, Filius & Spiritus sanctus, qui cum maioribus vestris fœdus gratiæ inii, etiamnum post mortem sanctorum patriarcharum sum ipsorum Deus, quos etiam constituto tempore in vitam revocabo, & ad cœlestem gloriam eorum corpora animabus adhuc viventibus unita transferam, (hanc enim esse divini illius oraculi sententiam, docet Christus Matth. XXII. 32. Marc. XII. 26. Luc. XX. 38.) Psalm. XXXIV. 21. *Custodit Dominus omnia ossa piorum, unum ex illis non peribit.* LXVIII. 21. *Deus est nobis Deus ad salutes, & Domino Deo sunt exitus mortis.* Esai. XXV. 8. *Absorbebit Deus mortem in sempiternum.* Ezech. XXXVII. 12. *Ego aperiam tumulos vestros, inquit Dominus.* Ose. VI. 2. *Dominus vivificabit nos post duos dies, & in tertia vivemus coram illo.* XIII. 14. *Ego Dominus a morte redimam eos.* 2. Macc. VII. 9. *Rex mundi in aeternam resurrectionem vitae nos suscitabit.* v. 14. *A Deo resuscitandi sumus.* v. 23. *Deus spiritum & vitam vobis reddet.* Rom. IV. 17. *Deus vivificat*

vificat mortuos. 2. Cor. I. 9. *Deus suscitat mortuos.* Repetimus igitur hoc loco regulam ab Augustino tract. CX. in Ioh. & aliis veteribus traditam: *Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa*, id est, omnibus tribus Deitatis personis communia. Iam vero resuscitatio mortuorum est opus ad extra. Ergo dicta *specialia* in tres referri possunt classes. Quædam enim loquuntur de *Patre*, quædam de *Filio*, quædam de *Spiritu sancto*. De patre in præcedentibus dictis generalibus sermonem esse nemo unquam dubitavit, in specie huc referri possunt sequentia dicta: Rom. VIII. 11. *Qui suscitavit Iesum a mortuis, vivificabit etiam mortalia corpora vestra.* 1. Cor. VI. 14. *Deus & Dominum suscitavit, & nos suscitabit per virtutem suam*, id est, sicut Pater cœlestis Iesum Filium suum ex mortuis suscitavit, sic & nos aliquando ex morte revocabit. 2. Cor. IV. 14. *Qui suscitavit Iesum, idem & nos per Iesum suscitabit.* Eph. II. 6. *Conresuscitavit nos Deus in & cum Christo.* 1. Thess. IV. 14. *Deus eos, qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo.* 1. Tim. VI. 13. *Præcipio tibi in conspectu Dei, qui vivificat omnia.* Quidam huc referunt dictum Christi Iohan. V. 21. *Sicut Pater suscitat mortuos & vivificat: sic & Filius quos vult, vivificat.* Sed proprie & principaliter ibi agitur non de resuscitatione corporis ad vitam naturalem, sed de resuscitatione animæ ad vitam spiritualem, ut ex serie contextus est manifestum, consequenter tamen ad resurrectionem illud adplicari posse non negamus, idem enim, qui in hac vita credentes suscitat ad vitam spiritualem, eosdem in die novissimo ex terræ pulvere suscitabit ad vitam æternam.

1.) *Pater.*

§. XLIV. De *Filio* secunda Trinitatis persona hæc loquuntur dicta. Iob. XIX. 25. *Scio*, quod גֹּאֲלִי *redemtor meus vivit, & in novissimo super pulverem me statuet*, ita enim verbum יָקוּם in significatione *transitiva* Lutherus vertit. Christus autem est noster ille Goël, qui carnis propinquitate & consanguinitate nobis coniunctus pretio interposito nos redemit, qualem redemtorem hoc nomine proprie denotari monuimus superius. Ioh. V. 21. *Filius, quos vult, vivificat.* v. 28. *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii hominis*, v. 29. *& procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae, qui autem mala egerunt, in resurrectionem iudicii.* VI. 39. 40. 44. 54. *Ego resuscitabo eum in die novissimo.* XI. 25. *Ego sum resurrectio & vita.* Act. III. 15. Christus vocatur ἀρχηγος της ζωης, & XVII. 31. dicitur, quod *Pater constituerit per ipsum iudicare universam terram.* At qui constitutus est iudex mortuorum, is etiam ex terræ pulvere mortuos suscitabit. Phil. III. 21. *Christus transfigurabit corpus nostrum humile, ut conforme illud reddat corpori suo glorioso.* Apoc. I. 18. dicit Christus: *Ego habeo claves mortis.* Notandum autem, 1) Christum in hoc opere non tantum secundum divinam, sed etiam secundum humanam naturam agere: 1.) Quia carnem in personæ suæ unitatem adsumsit, ut ergo non existit διχα σαρκος, ita quoque non agit absque carne. 2.) Resuscitatio mortuorum pertinet ad officium Christi regium, quos enim in hac vita ad consortium regni sui vocavit, eos divina virtute sua ex mortuis in vitam revocabit, ut in cœlesti gloria cum ipso vivant. Iam vero ea, quæ ad officium pertinent, in illis agit utraque natura cum communicatione alterius, quod cuiusque proprium. 3.) Scriptura notanter mentionem facit naturæ humanæ in hoc resuscitationis opere: Ioh. V. 27. *Pater dedit potestatem faciendi iudicium Filio, quia Filius hominis est.* v. 28.

2.) *Filius.*

No-

Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem eius. Quemadmodum potestas faciendi iudicium data est Christo, quatenus est Filius hominis: ita quoque potestas resuscitandi mortuos ipsi data est, quatenus est Filius hominis, id est, secundum humanam naturam, unde etiam ipsius vox est vivifica, quam defuncti in monumentis audient & vivent. 1. Cor. XV. 21. *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum.* v. 22. *Sicut in Adamo omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur.* Quod si in dicto apostolico ab adpellatione ἀνθρωπε excludas Christi humanitatem, non recto talo stabit oppositio apostoli, quia *hominem homini, primum Adamum secundo* ἀντιφατικως opponit. Quidam huc referunt dictum apostoli 1. Thess. IV. 16. ἐν φωνῃ ἀρχαγγελε, ubi per *archangelum* intelligunt ipsum Christum voce sua mortuos excitaturum, qua de re infra plenius. 4.) Secundum humanam naturam Christo data est *potestas omnis carnis*, Ioh. XVII. 2. *Omnis potestas in cælo & in terra*, Matth. XXVIII. 18. *Vis vivificandi*, Ioh. VI. 51. ἐνεργεια, *qua potest sibi subiicere omnia*, Phil. III. 21. Constitutus est *Dominus vivorum ac mortuorum*, Rom. XIV. 9. *Auctor vitae*, Act. III. 15. utique ergo in humana natura & per humanam naturam, utpote divinis ἐξοχαις ditatam resuscitationis opus perficiet. 5.) In præludiis universalis resurrectionis, hoc est, in particularibus resuscitatorum exemplis Christus & vocis & tactus organo usus est, ut adsumtam naturam humanam ab hoc opere minime sequestrandam esse doceret. Matth. IX. 25. adprehendit manum filiæ Iairi, & dicit: *Puella surge.* Luc. VII. 14. tangit loculum & ait: *adolescens tibi dico surge.* Ioh. XI. 43. voce magna clamat: *Lazare veni foras.* Theophylactus in Luc. VII. *Non verbo tantum miracula operatur, sed & loculum attingit, ut discamus, quod corpus eius est vitae corpus. Quia enim caro propria verbi facta est omnia vivificantis, ideo & ipsa est vivifica & mortem corruptionemque tollit.* Similia occurrunt apud Cyrillum lib. IV. in Ioh. IV. 23. Ex quibus omnibus manifestum, quod Christo etiam ut homini opus resuscitationis ac vivificationis mortuorum tribuendum sit, quod contra Danæum in lib. adv. Chemnitium p. 118. Bezam in colloquio Mompelg. p. 335. Polanum lib. VI. syntagm. c. 66. p. 515. & alios Calvinianos non fine Christi contumelia id negantes ex enumeratis fundamentis firmiter probatur. Tribuitur autem Christo homini mortuorum resuscitatio a.) propter *hypostaseos communicationem* adsumtæ naturæ humanæ factam; b.) propter *potentiam resuscitandi* secundum carnem ipsi in tempore datam; c.) propter *exaltationem & gloriam*, ad quam adsumtam carnem ex scripturis novimus evectam; d.) propter *victoriam* ex morte reportatam; e.) propter *virtutem resurgendi* ipsius morte & resurrectione nobis partam; f.) propter *vocem ipsius vivificam*, ut sic & *meriti* & *efficaciae* ratione ipsi ut homini resuscitatio tribui debeat. Non autem cum Bucano in loc. XXXVII. pag. 418. statuendum vel loquendum, quod Christus sit συνεργος resuscitationis, quia id, quod in resuscitatione agit, est una tribus personis communis Deitas, trium igitur personarum ut una est essentia, una potentia, ita quoque una & æqualis operatio. Notandum & illud II.) Christum non solum esse causam *efficientem*, sed etiam *meritoriam & exemplarem* nostræ resurrectionis. De causa *meritoria* paulo post disseremus plenius, de causa *exemplari* hoc loco notandum, quod a quibusdam duplex statuatur. *Una*, in qua res cognoscitur & ordinatur. *Altera*, in qua res inchoatur, ita ut ad eius exem-

plum & ὑπογραμμον respiciatur. Priorem modum Christus secundum divinam naturam; posteriorem secundum humanam competere statuunt, ipsius enim resurrectio est non solum exemplum, sed etiam initium nostræ resurrectionis in ipso tanquam capite nostro inchoatæ. Eph. II. 6.

§. XLV. De *Spiritu sancto* hæc loquuntur dicta: Ezech. XXXVII. 14. *Dabo vobis Spiritum meum in vobis, & vivetis.* Non intelligitur duntaxat spiritus creatus, ventus scilicet, ut v. 9. vel anima, ut v. 10. quia mediante venti adflatu corporibus animæ sunt redditæ, sed Spiritus increatus, tertia scilicet Trinitatis persona resuscitationis opifex una cum Patre & Filio in hoc opere efficaciter agens, ut constat ex loco apostolico Rom. VIII. 11. *Si Spiritus eius, qui suscitavit Iesum a mortuis, habitat in vobis, is, qui suscitavit Christum a mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum eius in vobis*, quæ est consequentia omnium dulcissima. Deus excitavit Christum a mortuis. Spiritus Dei vivificans in vobis habitat. Ergo & vestra corpora per Spiritum vivificantem a mortuis excitabuntur. Quidam addunt locum Psalm. CIV. 30. *Emittens Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ.* Sed proprie ibi agitur de annua terræ renovatione. In symbolo Niceno dicitur: *Credo in Spiritum sanctum & vivificantem.*

3.) *Spiritus sanctus.*

§. XLVI. II.) Ex *rationibus* 1.) a *Christi resurrectione.* Qui Christum ex mortuis suscitavit, idem etiam nos ex terræ pulvere aliquando suscitabit. Ratio pendet ex arctissima connexione inter resurrectionem Christi & nostram. At Deus Christum ex mortuis suscitavit, Act. II. 24. & 32. III. 15. IV. 10. V. 30. X. 40. XIII. 30. 34. & 37. Rom. IV. 24. VI. 4. VIII. 11. 1. Cor. VI. 14. 2. Cor. IV. 14. Eph. I. 20. II. 6. Heb. XIII. 20. ubi, ne quis nomine Dei solum Patrem primam personam, cuius in quibusdam dictis sit expressa mentio, excluso Filio & Spiritu sancto intelligat, coniungenda sunt illa scripturæ dicta, in quibus Christus sibi ipsi tribuit corporis sui resuscitationem: Ioh. II. 19. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* v. 21. *Loquebatur autem de templo corporis sui.* X. 17. *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam.* v. 18. *Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso, potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Ac urgendum est dictum Christi Ioh. V. 19. *Quaecunque Pater facit,* ταυτα και ομοιως *eadem etiam similiter facit Filius.* v. 23. *Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Ergo etiam Deus, id est, verus & unus ille Deus, qui est Pater, Filius & Spiritus sanctus, ex terræ pulvere aliquando nos suscitabit. 2.) Ex *operis huius conditione.* Resuscitatio mortuorum est opus infinitæ virtutis ac potentiæ, ergo etiam solius veri Dei proprium. *Antecedens* patet ex illis scripturæ dictis, quæ in opere resurrectionis divinæ virtutis expressam mentionem faciunt, eo ipso namque innuitur, ad illud divinam, id est, infinitam virtutem requiri. Ezech. XXXVII. 6. *Ego dabo vobis spiritum, & vivetis & scietis, quia ego Dominus*, id est, ex opere resuscitationis divina mea virtus, potestas ac maiestas agnoscetur. Rom. VI. 4. *Christus a mortuis resurrexit per gloriam Patris*, id est, per gloriosam Patris potentiam. 1. Cor. VI. 14. *Deus & Dominum suscitavit & nos suscitabit* δια της δυναμεως αυτου. Eph. I. 19. mira ac divina verborum maxime emphaticorum copia docet apostolus, quod Deus in Christi resur-

surrectione το υπερβαλλον μεγεθος της δυναμεως αυτου και την ενεργειαν του κρατους της ισχυος αυτου ενηργησεν. Phil. III. 21. *Christus reformabit corpus nostrum humile, ut conforme fiat corpori ipsius gloriosi*, κατα την ενεργειαν του δυνασθαι αυτον και υποταξαι εαυτω τα παντα. Hanc virtutis divinæ in resuscitatione efficaciter agentis ignorantiam exprobrat Christus Sadducæis, Matth. XXII. 29. Marc. XII. 24. 3.) Ex *resuscitationis cum primaeva creatione collatione.* Qui in prima creatione omnia ex nihilo condidit, & ex limo terræ corpus hominis formavit, idem etiam defunctorum corpora ex terræ pulvere reformabit. Sed solus ac unus verus Deus omnia ex nihilo condidit, & ex limo terræ corpus primi hominis formavit. Ergo. *Maior* probatur ex illis scripturæ dictis, in quibus hæc opera Dei coniunguntur, ut ab eadem virtute, divina scilicet & infinita eadem proficiscí significetur: 2. Macc. VII. 23. *Mundi conditor, qui formavit hominis nativitatem, & omnium invenit generationem, spiritum & vitam aeternam iterum dat cum misericordia.* Rom. IV. 17. *Deus vivificat mortuos & vocat ea, quae non sunt, tanquam ea, quae sunt.* Variæ quidem loci illius apostolici proferuntur explicationes, sed simplicissima est ea, qua statuitur articulum creationis & resuscitationis coniungi. *Adsumtum* constat ex omnibus scripturæ dictis, quæ de creatione loquuntur, ea enim nuspiam alteri quam soli vero Deo tribuitur. Qui ergo in prima creatione *dixit*, *& omnia facta sunt*, Gen. I. 3. & seqq. Iudith. XVI. 17. Psalm. XXXIII. 9. idem etiam in resuscitatione dicet, & omnes homines resurgent; Psalm. L. 4. Ioh. V. 28. unde apostolus resurrectionis articulum tractans ad primævam primi hominis creationem nos revocat 1. Cor. XV. 46. Augustinus tract. XLIX. in Ioh. *Plus est creare quam resuscitare homines, & Christus facit utrumque.* Confer ea, quæ de collatione primævæ creationis & secuturæ universalis resuscitationis ex patribus adduximus superius §. 22. 4.) Ex *operis huius cum vita & morte hominis comparatione.* Qui unicuique homini dat animam & corpus, qui est vitæ & mortis Dominus, qui cuiuslibet nostrum corpus in utero format, idem etiam corpus ex terræ pulvere suscitabit, prædam ex faucibus mortis eripiet, & animas cum corporibus resuscitatis iterum uniet, cum utrumque eiusdem sit virtutis, operis & artificii. Sed prius non nisi soli vero Deo competit. Iob. X. 8. *Manus tuae plasmaverunt me, & fecerunt me totum in circuitu.* v. 9. *Memento, quod sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me &c.* Psalm. XC. 3. *Convertis hominem in contritionem, & dicis revertimini filii hominum.* Sir. XVII. 2. *Deus convertit hominem in terram.* Esai. LXIV. 8. *Tu Domine Pater noster es, nos vero lutum, & fictor noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos.* 2. Macc. VII. 22. *Nescio*, inquit mater Maccabæorum fratrum ad filios, *qualiter in utero meo adparuistis, neque enim ego spiritum & animam donavi vobis, & vitam & singulorum membra non ego ipsa compegi.* v. 23. *Sed mundi creator vobis spiritum cum misericordia reddet.* Act. XVII. 28. *In ipso vivimus, movemur & sumus.* Ergo etiam posterius, videlicet mortuorum resuscitatio est solius veri Dei proprium opus, ut sic eiusdem sit αναστισις και αναπλασις, cuius est κτισις και πλασις, ut pii veteres loquuntur. 5.) Ex *creaturarum conservatione.* Qui creaturas omnes conservat, species propagat, dat unicuiusque enti corporeo proprium suum corpus, is etiam corpora mortuorum hominum in vitam revocabit, & omnia individua ad speciem humanam pertinentia ex terræ pulvere suscitabit. Sed

solus Deus creaturas omnes conservat, species propagat, dat unicuique enti corporeo proprium suum corpus, Ioh. V. 17. 1. Cor. VIII. 6. XV. 39. Col. I. 16. Hebr. I. 3. &c. Ergo etiam solus Deus corpora mortuorum hominum in vitam revocabit, & individua omnia ad speciem humanam pertinentia ex terræ pulvere suscitabit. Eo deducit nos apostolus, quando resurrectionis articulum pertractans 1. Cor. XV. 37. & 38. dicit: *Quod seminas, non corpus, quod futurum est seminas, sed nudum granum, puta tritici aut alicuius carterorum; Deus autem dat illi corpus, sicut voluit & unicuique seminum proprium corpus;* id est, qui potest unicuique semini proprium dare corpus, idem etiam in novissimo die corpora nostra ex terræ pulvere producere poterit. Hebræi dicunt, *quatuor rerum apertiones sive claves esse in manu Dei pluviae, sepulcrorum, uteri & victus.*

Porisma, nullum posse seipsum propria virtute resuscitare.

§. XLVII. Porisma huius adsertionis de causa efficiente principali resurrectionis est illud, quod *nullus hominum propria virtute ac propriis viribus seipsum suscitare queat.* Quod enim Spiritus sanctus soli vero Deo tanquam proprium adsignat, quod est opus infinitæ virtutis, quod eiusdem cum primæva creatione est dignitatis, quod diserte hominibus denegatur, illud non potest homini vel ulli creaturæ tribui. Resuscitationem ex mortuis Spiritus sanctus soli vero Deo tanquam proprium opus adsignat, eadem est opus infinitæ virtutis & eiusdem cum primæva creatione dignitatis, ut ex dictis constat, ac diserte hominibus eius ἐνεργεια denegatur. Psalm. XLIX. 8. *Fratrem non redimendo redimet quisquam* (a morte) Ergo resuscitatio ex mortuis non potest homini vel ulli creaturæ tribui. Cave tamen cum Photinianis hoc eo referas, quod *nec Christus seipsum a morte suscitare potuerit*, disp. de unig. Filii exist. adv. Socin. in Erasmum Iohannes p. 117. Catechismus Racoviensis cap. 11. p. 312. Eniedinus in detorsione dicti Ioh. II. 19. Ostorodus lib. II. contr. Tradel cap. 10. p. 176. Smalcius de divin. Christi cap. 13. &c. Est enim hic ratio longe dispar inter Christum & homines reliquos. 1.) Christus non est ψιλος ανθρωπος, sicut omnes reliqui homines, sed unus verus cum Patre & Spiritu sancto Deus, ut suo loco evidentibus argumentis demonstratur.

An Christus seipsum suscitaverit.

2.) Humana Christi natura in ipsam hypostasin Λογε est evecta, ac proinde a corporis sui resuscitatione Christus ut homo excludi nequit. Consideratur enim natura Christi humana vel secundum divinitatis personaliter sibi unitæ & cum tota plenitudine in adsumto corpore habitantis virtutem, & sic Christus ut homo seipsum suscitavit, vel secundum rationem naturæ creatæ, & sic non potuit efficere, ut corpus & anima ad se invicem redirent. 3.) Christus sibi ipsi disertis verbis tribuit, quod *potestatem habeat ponendi animam suam a seipso, & iterum eam sumendi*, Ioh X. 17. quod excitare *possit corporis sui templum* II. 19. ubi per το εγειρειν *efficacem operationem & actionem* intelligendam esse patet ex connexione. Christus enim quæsitus, quo miraculo probaret, se habere potestatem reformandi templum, respondit, se templum corporis sui ex morte excitare & reparare posse, ex uno igitur potestatis divinæ effecto alterum concludit. Quæ contra hæc dicta Photiniani excipiunt, ad illa responsum fuit tract. de Deo Patre & Filio §. 95. & seqq. 4.) Christus propria potestate alios mortuos suscitavit, Ioh.

V.

V. 19. *suscitavit quos vult*; cur ergo non potuisset etiam seipsum suscitare? 5.) Christo *Pater dedit vitam habere in seipso* Ioh. V. 26. unde etiam est ipsa *resurrectio & vita*, XI. 25. *auctor vitae*, Act. III. 15. eccur igitur non potuisset seipsum suscitare? 6.) *Quae pater agit, ταυτα και ομοιως, eadem similiter facit & Filius* Ioh. V. 19. Quare cum Pater divina virtute Christum suscitaverit, utique eadem virtute Christus suscitavit seipsum. 7.) De Christo dicitur, quod ut *mortificatus fuit carne, ita quoque ζωοποιηθεις vivificatus fuerit Spiritu*, 1. Pet. III. 18. ut ergo per carnem intelligitur propria ipsius caro, in qua passus & mortuus: ita per Spiritum vi oppositionis intelligendus proprius eius Spiritus, id est, divina eius natura, unde etiam in resurrectione sua & per *resurrectionem suam demonstratus fuit Filius Dei in virtute*, Rom. I. 4.

§. XLVIII. Quae in contrarium a Photinianis proferuntur, ex hactenus dictis facile explicari possunt. I.) *Ex patri attributa resuscitatione scriptura passim illud Deo Patri tribuit, quod Filium suum ex mortuis excitaverit*, Act. V. 30. 31. Rom. IV. 24. VIII. 11. *unde id ipsum tanquam proprium Patri tribuitur, qui omisso etiam Dei nomine quandoque sic describitur, quod sit is, qui Iesum a mortuis excitavit.* Resp. 1.) Ex subordinatis non sunt facienda pugnantia, nec quae in articulis fidei coniunguntur, sibi invicem opponi debent, qui paralogismus ut haereticis aliis, ita quoque Photinianis perquam familiaris est. Utrumque scriptura adserit, utrumque nobis pie credendum proponit, quod Pater Filium suum ex mortuis excitaverit, & quod Filius propria virtute resurrexerit. 2.) Quemadmodum igitur utrumque optima ratione simul consistit, quod *Pater tradiderit Filium pro nobis in mortem*, Rom. VIII. 32. & quod Filius *se ipsum tradiderit*, Galat. II. 20. quod *Pater in Filio manens fecerit miracula*, Ioh. XIV. 10. & quod *Filius miracula fecerit*, Act. X. 38. quod *Pater unxerit Christum Spiritu & virtute*, ibidem, & quod *Filius seipsum unxerit, ac Spiritus sanctus super ipsum descenderit ac manserit*, Matth. III. 16. Marc. I. 10. quod Pater ipsum *collocaverit ad dextram suam*, Ephes. I. 21. & quod ipse Filius *consederit ad Dei dextram*, Marc. XVI. 19. quod Pater *subiecerit hostes pedibus* Christi, Psalm. CX. 1. & quod *Filius ipse sibi ipsi eos subiecerit*, 1. Cor. XV. 25. ita quoque optima ratione haec duo simul consistunt, quod Pater Christum excitaverit, & quod ipse propria virtute resurrexerit. 3.) Est enim Patris & Filii una essentia, una potentia, aequalis maiestas, ac *id, quod in divinis agit, est una tribus communis Deitas*, Nazianzenus orat. II. de theol. 4.) Ideo autem ad Deum Patrem scriptura peculiariter haec referre solet, quia Pater ut est *fons Deitatis*, a quo per aeternam generationem Filius omnia accepit, ita quoque est fons nostrae redemtionis ac salutis. 5.) Ut ipsa missio Filii & officii eius confirmatio divina voce coelitus facta ac miracula Deo Patri adsignari solent, ac tota obedientia Christi Deo Patri praestita dicitur: ita quoque ipsius ex mortuis resuscitatio ad officium mediatoris & opus redemtionis pertinens, Patri peculiariter tribuitur absque ulla Filii & Spiritus sancti exclusione. 6.) Peculiaris consolatio in eo nobis proponitur, quod resuscitatio Filii Patri tribuitur; ex eo enim intelligimus, satisfactionem per Christi passionem & mortem Deo Patri praestitam esse ratam & sufficientem. Nisi enim pro peccatorum nostrorum debito plena & perfecta solutio fuisset praestita, Deus hunc vadem & sponsorem nostrum ex carcere mortis & sepulcri nequaquam tanta

cum

cum gloria reduxisset. Sic ergo & *principii* & *consilii* & *solatii* ratione Patri peculiariter tribuitur, quod ipsi cum Filio commune.

§. XLIX. II.) *Ex mortis & resurrectionis connexione. Si Christus seipsum ex morte resuscitavit, non est verus & aeternus Deus, quia qui ex morte resuscitatur, eum oportet prius fuisse mortuum. Atqui Deus aeternus mori non potuit. Ergo etiam Deus aeternus ex morte suscitari non potuit.* Resp. 1.) Deus æternus non potest mori, scilicet in sua Deitate, potest autem mori in adsumta carne. 2.) In Christo est αλλο και αλλο. Iuxta aliud, videlicet iuxta humanam naturam est mortuus, iuxta aliud, videlicet iuxta divinam naturam humanæ personaliter unitam seipsum ex mortuis excitavit. Theodoretus dial. II. εστιν ο αυτος παθητος και απαθης, παθητος κατα την ανθρωποτητα, απαθης κατα την θεοτητα. 3.) In Christo non est αλλος και αλλος, inde idem, qui est mortuus, seipsum etiam ex mortuis suscitavit. 4.) Hinc notanter dicit scriptura, quod *Deus proprio suo sanguine ecclesiam redemerit*, Act. XX. 28. utique ergo Deus sanguinem suum in ara crucis effudit, & per consequens Deus in cruce mortuus est, quod *Dominum gloriae crucifixerint*, 1. Cor. II. 8 quod *auctorem vitae interfecerint*, Act. III. 15. utique ergo *Dominus gloriae* & *auctor vitae*, id est, verus Deus in cruce fuit mortuus; quod *sanguis Iesu Christi Filii Dei emundet nos ab omni peccato*, 1. Ioh. I. 7. utique ergo ipse Dei Filius sanguinem suum effudit & mortuus est non in *proprietate naturae divinae*, *sed in unitate personae*, id est, in natura humana in personæ unitatem adsumta, ut loquitur Vigilius lib. II. contra Eutych. Excipit Socinus d. l. *Qui hominum animos immortales statuunt, illis nulla ratione dicere licebit, animum alicuius esse mortuum, eam scilicet ob causam, quod corpus, cum quo animus coniunctus erat, fuerat mortuum: sic Filius Dei non potest dici mortuus, quia corpus eius fuit mortuum.* Resp. 1.) Propter essentialem animæ & corporis in homine unionem recte & absque omni tropo dico: homo est mortuus, ut in tract. de morte ostendimus: sic propter personalem divinæ & humanæ naturæ in Christo unionem recte dico: Deus est mortuus. 2.) Sicut non dicimus, animam esse mortuam, quia mors tribuitur homini ratione corporis: sic non dicimus, Deitatem esse mortuam, quia ratione carnis Christo ea tribuitur.

§. L. III.) *Ex absurdi consecutione. Quidquid Patri competit, id Christo tanquam Filio tribui non potest, alias sequeretur confusio Sabelliana. Atqui Deo Patri tribuitur, quod Christum a mortuis suscitaverit.* Resp. 1.) Ostendimus iam ante similibus exemplis, hæc non esse sibi invicem opposita. 2.) *Maiori* addenda hæc limitatio: Quidquid *tantum* competit Patri, id Christo tanquam Filio tribui nequit. Sed tunc *minor* est falsa, quod tantum Patri competat Christi ex mortuis resuscitatio. 3.) *Omnia quae Pater habet, mea sunt*, inquit Christus Ioh. XVI. 15. *Quaecunque Pater facit, eadem similiter & Filius facit, ego & Pater unum sumus*, X. 30. ait idem V. 19. *Pater in me manens ipse facit opera*, XIV. 10. *Pater meus operatur, & ego operor.* V. 17. In hisce igitur operibus non est Pater a Filio sequestrandus. 4.) Distinguendum inter *opera ad intra* & *opera ad extra*. In operibus ad intra, videlicet in generatione & spiratione, quidquid uni personæ Trinitatis peculiariter competit, alteri personæ tribui non debet, ne Sabelliana personarum confusio oriatur, sed in operibus ad extra, quale est Christi ex mortuis resuscitatio, omnes tres personæ simul agunt, servato scilicet ordine & di-

scri-

ſcrimine perſonarum. Sic ergo limitamus *maiorem*. Quidquid Patri tribuitur *perſonaliter*, id ſi Filio tribuatur, ſequitur Sabellianiſmus, ſed quod Patri *eſſentialiter* competit, illud ſi Filio tribuatur, nequaquam Sabelliana confuſio, ſed ὁμοουσίας adſertio ſequitur. 5) Ubi tamen notandum, quod reſuſcitatio Chriſti dicatur *opus ad extra* ratione *actus*, qui ex divina virtute tribus perſonis communi procedit, interim eſt *opus ad intra* ratione *termini*, quia humana natura ex mortuis ſuſcitata eſt Filii Dei propria, quippe quam ipſe ſolus, non Pater nec Spiritus ſanctus in perſonæ unitatem adſumſit. 6) *Maiorem* non eſſe ſimpliciter admittendam, ipſimet Photiniani agnoſcere coguntur, quia Chriſto tribuunt, quod *perfectam habeat poteſtatem regendi populum Dei eumque ſalvum faciendi, quod dominetur non ſolum hominibus ſed etiam angelis, imo morti & inferno*, catechismus Racovienſis p. 320. quod *ſit religioſae adorationis cultu honorandus*, Oſtorodus cont. Tradel part. II. cap. 8. p. 154. atqui hoc ipſum omnibus in univerſum creaturis ſcriptura adimit, ac ſoli Deo unice adſignat.

§. LI. IV.) *Ex indigentiae ſignificatione. Si Chriſtus hanc potentiam ſeipſum ſuſcitandi in ſe plene & perfecte habuit, quid opus fuit, ut alius videlicet Pater hanc ſuſcitationem perficeret? Si ab alio ſuſcitari opus habuit, utique ſeipſum ſuſcitare non potuit.* Reſp. 1.) Concluſio directe adverſatur adſertioni Chriſti Ioh. X. 17. *Ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam* v. 18. *Nemo tollit eam a me, ſed ego pono eam* ἀπ' ἐμαυτοῦ, *poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam*, ex quo dicto naſcitur nobis tale argumentum: Qui poteſtatem habet ponendi animam ſuam & iterum eam ſumendi, ille non ex quadam impotentia opus habet ab alio ſuſcitari. Sed Filius poteſtatem habet ponendi animam ſuam & iterum eam ſumendi. Ergo. 2.) Ut Chriſtus *a ſeipſo*, id eſt, ſponte & nullo cogente poſuit animam in morte, ita quoque *a ſeipſo*, id eſt, libere & propria virtute eam reſumſit in reſurrectione. 3.) Ergo non ex quadam indigentia vel impotentia factum arbitremur, quod Chriſtus non reſuſcitavit ſeipſum *ſolus*, excluſo ſcilicet Patre, ſed ex ὁμοουσία & divinæ potentiæ Patri ac Filio communis æqualitate, ob quam nec Pater ſine Filio, nec Filius ſine Patre; nec Pater extra Filium, nec Filius extra Patrem operatur. Ioh. V. 17. & 19. 4.) Chriſtum ab alio ſuſcitari opus habuiſſe ambigue dicitur. Vel enim intelligitur hoc modo, quod natura ipſius humana in extremo exinanitionis ſtatu conſtituta non potuerit ſeipſam ex naturalibus & propriis viribus ſuſcitare, vel quod eadem ne [quidem ut λογῳ perſonaliter unita ac verbi omnia vivificare volentis proprium templum facta virtute divina ſeipſam ſuſcitare potuerit. Priorem ſenſum concedimus, poſteriorem negamus.

§. LII. V.) *Ex Chriſti precatione. Si Chriſtus ſeipſum ſuſcitare potuit, quorſum opus fuit precibus ad eum, qui ſervare eum poſſet a morte*, Heb. V. 7. Reſp. 1.) Potuit Chriſtus Lazarum ſuſcitare, & tamen potentiam excitandi per preces Patri acceptam ipſe retulit, Ioh. XI. 42. 2.) Chriſtus preces illas pro liberatione a morte fudit tanquam mediator noſtro loco conſtitutus & ut verus homo in extremo exinanitionis gradu, interim qua Deus eamdem cum Patre potentiam habuit, qua ſeipſum ex mortuis excitavit. 3.) Ut in reliquis officii ſui operibus Chriſtus omnia ad Patrem refert, ita quoque reſuſcitationem ſui ab ipſo petit.

4.) Nihilo tamen minus ἀδυνατον erat, ipsum κρατεισθαι a morte, Act. II. 24. non solum propter carnis adsumtæ sanctitatem, propter divinorum vaticiniorum veritatem, propter Patris, qua Filium complectitur, caritatem, propter officii demandati sublimitatem, propter redemtionis nostræ universim complendæ qualitatem, sed etiam ac cumprimis propter personæ singularitatem, quippe quæ non solum homo, sed & Deus, in qua duæ naturæ personaliter & indissolubiliter unitæ, ac cui secundum humanam naturam vis vivificandi per & propter unionem personalem erat communicata.

§. LIII. VI.) *Ex typi praefiguratione. Non ipse Ionas seipsum e ventre ceti eduxit, sed ceius eum Deo sic volente & operante in littus evomuit: sic etiam non ipse Christus seipsum ex terrae corde sive inferno exemit atque eduxit, sed infernus eum Deo sic iubente atque efficiente evomuit & quodammodo viventibus restituit.* Socinus d. l. Resp. 1.) Comparatio non est extendenda ultra tertium, propter quod adhibetur. 2.) Nec contra fidei analogiam urgenda, sed iuxta eam explicanda. 3.) Christus comparationem statuit in mora tridui & in liberatione, non autem in ipso liberationis modo, Matth. XII. 40. 4.) Si ultra præscriptos comparationis limites progredi velimus, multa possent texi absurda & ατοπα. Ionas fuit in corde balænæ, Christus in sepulcro. Ionæ anima mansit corpori unita, Christi anima a corpore fuit localiter separata. Ionas propter delicta propria hanc cladem sensit, Christus propter aliena &c. 5.) Constat in antitypo sæpe plus haberi quam in ipso typo.

Causa resurrectionis meritoria.

§. LIV. A causa resurrectionis efficiente principali transitum faciamus ad causam *meritoriam*. Antequam vero eam exponamus, notandum, quod respectu *obiecti & finis* duplex sit resurrectio, una *piorum & vere credentium* ad vitam, altera *impiorum & incredulorum* ad iudicium, Ioh. V. 29. de qua distinctione inferius agetur pluribus. Si de resurrectione piorum ad vitam quæratur, eius causam meritoriam statuimus Christum mediatorem. 1.) Quia piorum a morte liberatio & vitæ reparatio ipsius merito unice adscribitur. Os. VI. 2. *Vivificabit nos post duos dies, tertia die suscitabit nos, & vivemus in conspectu eius.* Quia Christus tertia die a mortuis suscitatus nobis promeruit, ut ipsi quoque ex morte eluctari possimus, ideo propheta in *plurali* loquitur, ut sic caput & membra complectatur. Os. XIII. 14. *A morte redimam eos, ero mors tua o mors.* 1. Cor. XV. 25. *Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius.* v. 26. *Novissimus autem hostis destruetur mors.* Eph. II. 6. *Conresuscitavit nos in Christo* tanquam capite & mediatore nostro. 2. Tim. I. 10. *Christus mortem quidem destruxit, illuminavit autem vitam & incorruptelam per Evangelium.* Apoc. I. 18. *Fui mortuus & ecce sum vivus in secula seculorum, & habeo claves mortis & inferni*, id est, sum Dominus mortis & inferorum, solent enim victori tradi claves portarum urbis. 2.) Quia liberatio a malis cognatis, quæ vel efficientis vel effecti vel adiuncti locum respectu mortis obtinent, ac bonorum contrariorum restitutio ipsi tribuitur. Liberatio a potestate satanæ ac destructio regni ipsius pertinet ad beneficia merito Christi parta. Gen. III. 15. *Semen mulieris conteret caput serpentis.* 1. Ioh. III. 8. *In hoc adparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.* Heb. II. 14. *Participavit carni & sanguini, ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum,*

tum, v. 15. *& liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.* Iam vero ideo eramus morti obnoxii, quia in potestatem & regnum satanæ eramus redacti. Ergo Christus liberando nos a potestate satanæ, liberavit nos a morte. Christus pro peccatis nostris in ara crucis satisfecit, 1. Pet. II. 24. Atqui mors est *peccati stipendium*, Rom. VI. 23. & *stimulus mortis* est peccatum, 1. Cor. XV. 56. Ergo Christus pro peccatis satisfaciendo a morte nos liberavit. Christus liberavit nos *a maledictione legis*, Gal. III. 13. Atqui ob maledictionem legis morti temporali & æternæ eramus obnoxii. Ergo Christus liberando nos a maledictione legis a morte nos liberavit. Christus liberavit nos ab *ira Dei*, Rom. V. 10. 2. Cor. V. 19. Atqui mors pœnæ loco a Deo irato iudice generi humano fuit inflicta, Psalm. XC. 3. Ergo Christus liberando nos ab ira Dei liberavit nos a morte. Per Christum nobis iterum parta benedictio, quæ omnis generis bona spiritualia ac cœlestia complectitur, Gen. XII. 3. Act. III. 25. Gal. III. 8. ergo etiam salus, resurrectio ac vita morti ex adverso opposita. 3.) Quia ob resurgendi virtutem nobis partam Christus vocatur ipsa *resurrectio ac vita*, Ioh. XI. 25. ἀρχηγος ac *dux vitae*, Act. III. 15. *primitiae dormientium*, 1. Cor. XV. 20. *primogenitus ex mortuis*, Col. I. 18. Apoc. I. 5. fons nostræ resurrectionis, clavis sepulcrorum nostrorum. Confer ea, quæ de connexione inter resurrectionem Christi ac nostram diximus superius §. 18. 4.) Quia Adamus & Christus sibi invicem opponuntur ratione ea, ut Adamus fons peccati & mortis in totum genus humanum redundans, Christus autem fons iustitiæ & vitæ credentibus ab ipso communicatæ statuatur. Rom. V. 12. & seqq. 1. Cor. XV. 21. & 22.

§. LV. Si de resurrectione impiorum & incredulorum ad iudicium quæratur, an illius etiam causa meritoria Christo sit adsignanda, variantes audire datur responsiones. Calvinus lib. III. inst. cap. 25. sect. 9. videtur adfirmare, sic enim scribit: *Nos totius mundi hereditate scimus in Adam fuisse privatos, nec minus aequa ratione ab alimentis communibus nos arceri, quam ab esu arboris vitae. Unde igitur fit, ut Deus non solum oriri faciat solem suum super bonos & malos, sed quoad praesentis vitae usus inaestimabilis eius liberalitas larga copia adfidue profluat? hinc certe cognoscimus, quae propria sunt Christi & membrorum eius, ad impios quoque exundare, non ut legitima fit possessio, sed quo magis reddantur inexcusabiles &c. Si quis excipiat, caducis & terrenis beneficiis resurrectionem non apte conferri, hic quoque respondeo, ubi primum alienati sunt a Deo vitae fonte, diaboli interitum fuisse promeritos, quo prorsus abolerentur, admirabile tamen Dei consilio repertum fuisse medium statum, ut extra vitam in morte viverent. Nihilo absurdius videri debet, si accidentalis est impiis resurrectio, quae invitos trahat ad tribunal Christi, quem nunc audire magistrum & doctorem recusant.* Calvino adsurgit Fr. Iunius in comm. Dan. XII. tom. I. operum p. 931. *Resurrectionem Christus efficit in omnibus ut caput omnium communiter, vitam vero efficit in piis ut caput & mediator redemtorque ipsorum particulariter.* Et ex recentioribus Scharpfius Scoto Britann. in curs. theol. loc. XX. col. 1173. *Beneficia Christi sunt duplicia. Fidelibus propria, ut sunt fides, sanctificatio & glorificatio. Fidelibus & infidelibus communia, ut sunt vocatio externa, verbi auditio, quibus impii inexcusabiles redduntur. Tale esto beneficium resurrectionis.* Hæc

An resurrectio Christi sit causa meritoria resurrectionis impiorum.

Calvni opinio duplicem meretur obſervationem. *Prior* opponenda eſt hypotheſi *de negata univerſalitate meriti Chriſti.* Si damnati atque impii reſurgunt virtute meriti Chriſti, utique etiam Chriſtus pro ipſis in ara crucis mortuus. Sed verum prius ex adſertione Calvini. Ergo etiam poſterius, & per conſequens falſum eſt Chriſtum non eſſe pro omnibus omnino hominibus in ara crucis mortuum. Connexio probatur, quia adplicatio præſupponit adquiſitionem, & effectus præſupponit ſuam cauſam. Quod ſi igitur impiis beneficium aliquod ex merito Chriſti deſcendens adplicatur, utique etiam adquiſitio meriti Chriſti propter ipſos facta. Si effectus cauſæ meritoriæ, videlicet reſuſcitatio ex mortuis tam late patet, ut ipſos quoque impios complectatur, utique etiam cauſa, videlicet meritum Chriſti tam late patebit, ut ad ipſos quoque impios & ſic ad omnes homines pertineat. *Poſterior* opponenda eſt temerariæ quorumdam adſertioni, quod *Calvinianus error ſit, ſtatuere reſurrectionem impiorum non provenire ex merito Chriſti, ſed ex ſolo decreto & iuſtitia Dei.* Quomodo enim Calvinianum dogma ſtatui poteſt, cuius contrarium Calvinus adſerit? Neque hic quisquam nobis obiiciat: Ex hypotheſi illa, quod reſurrectio impiorum proveniat ex merito Chriſti, oppugnari poſſe dogma Calvinianum de negata univerſalitate meriti Chriſti. Ergo a contrario ſenſu negata illa hypotheſi, quod reſurrectio impiorum proveniat ex merito Chriſti, adſerendum eſſe Calvianum dogma de negata univerſalitate meriti Chriſti. Eſt enim diſpar ratio. Ex adplicatione meriti recte infero adquiſitionem, ſed ex negatione adplicationis non poſſum inferre negationem adquiſitionis, cum adquiſitio latius pateat quam adplicatio.

§. XVI. Negantem quæſtionis partem plerique ex noſtris theologis amplectuntur, quorum ſententiæ accedunt ex ipſis Calviniſtis Zach. Urſinus in explic. catech. part. II. q. 57. p. 437. Bucanus in loc. XXXVII. p. 419. Martyr. claſſ. III. loc. c. 17. n. 7. p. 734. Polanus in ſymph. cathol. c. 30. th. 3. p. 976. & in ſyntag. theol. lib. VI. c. 66. p. 516. Argumenta confirmantia potiora hæc ſunt. I.) *A cauſae adſignatione.* Cuius cauſam ſcriptura ſacra non tribuit reſurrectioni Chriſti, ſed decreto & iuſtitiæ divinæ, illud non poteſt dici provenire ex virtute & efficacia reſurrectionis Chriſti. Cauſam reſuſcitationis impiorum ſcriptura nuſpiam tribuit reſurrectioni Chriſti, ſed decreto & iuſtitiæ divinæ. Ergo reſuſcitatio impiorum non poteſt eſt dici provenire ex virtute & efficacia reſurrectionis Chriſti. Prior pars adſumtionis ἀρσιν continens probatur ex ſcripturæ ſilentio, quæ enim ex 1. Cor. XV. 21. & 22. in contrarium proferuntur, ſuam inferius habebunt explicationem. Poſterior pars adſumtionis θεσιν exprimens, probatur ex divino oraculo: Gen. II. 17. *Quacunque die ex fructu illius arboris comedes, morte morieris.* Huius decreti efficacia ac virtute impii in noviſſimo die reſurgere cogentur, quod ſic oſtendimus: Decretum Dei complectitur utramque mortem, temporalem & æternam, ut alibi probatur. Quod ſi igitur impii non ſolum temporali, ſed etiam æternæ morti vi huius decreti ſunt obnoxii, utique ex morte naturali ipſis reſurgendum ad maiorem ſcilicet condemnationem, ut in corporibus ſuis reſuſcitatis & animabus iterum unitis æternas luant pœnas, cum enim per peccata Deum, qui eſt infinitum bonum, offenderint, nec peccatorum ſuorum remiſ-

Negativa probatur: I) ex cauſae adſignatione.

missionem in Christo ac propter Christum impetraverint, ideo cogentur infinitam, id est, æternam pœnam sustinere. Cum in corporibus suis ac per corpora sua mala egerint, 2. Cor. V. 10. ideo divina requirit iustitia, ut in corporibus suis pœnas sustineant, utique ergo vi decreti divini & iustitiæ divinæ a morte ipsis resurgendum, ad æternas scilicet pœnas in corporibus suis sustinendas. Quod ex Christi merito descendit, illud remoto Christi merito locum non habet, quia effectus non potest poni remota causa propria & adæquata. Iam vero impiorum resurrectio locum habet etiam remoto Christi merito. Ergo. Huc referri potest dictum apostoli. Heb. IX. 27. *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium.* Ut statutum est æterno Dei decreto προγνωσιν lapsus Adamici secuto omnibus hominibus semel mori, morte scilicet naturali & corporali, ita quoque statutum est æterno Dei decreto προγνωσιν finalis impœnitentiæ ac incredulitatis secuto impiis æterna morte mori, ac proinde etiam resurgere ad iudicium, in quo promeriti supplicii pœnæ ipsis adiudicentur. Statutum inquam est, ut pœnas luant impii in illis ipsis corporibus, per quæ & in quibus peccaverunt, proinde vi illius statuti ac decreti divini necessarium est eadem corpora ex terræ pulvere prodire rediviva, quæ sub monumentis delituerunt mortua. Observari & illud convenit, quod scriptura sacra quoties in genere de resurrectione tam impiorum quam piorum loquitur, eius causam non tribuat merito Christi, sed potius voci ac virtuti Christi, Ioh. V. 28. *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem eius*, v. 29. *& procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii.* Virtus autem illa, qua Christus impios excitabit, proprie loquendo non pertinet ad meritum Christi, sed ad divinam illius potentiam per unionem personalem & exaltationem ad Dei dextram humanæ ipsius naturæ communicatam, quæ potentia latius & ad plura obiecta se extendit quam meritum Christi, quia per hanc potentiam Christus etiam ut homo omnia in cœlo ac terra sustentat, regit ac gubernat in regno generali, quod vocatur *regnum potentiae*, per eamdem ecclesiam adversus hostes defendit in regno speciali, quod vocatur *regnum gratiae*, ecquis vero dixerit meritum Christi æque late patere, & ad omnes creaturas sese extendere? resuscitatio igitur impiorum potius ad partes Christi *iudicis, quam redemtoris, mediatoris ac salvatoris* pertinet, ut colligitur ex resuscitationis fine, ideo enim excitabuntur impii, non ut beneficiis cœlestibus merito passionis & mortis Christi partis perfruantur, sed ut contemtus horum beneficiorum in verbo evangelii ipsis antea oblatorum puniatur; excitabuntur inquam impii, non ut cum Christo redemtore, mediatore ac salvatore in cœlesti gloria vivant, sed ut ab ipso tanquam iusto iudice condemnati a facie eius in æternas pœnas discedere iubeantur.

§. LVII. II.) Ex *resurrectionis Christi conditione.* Resurrectio Christi in scriptura sacra ubique sic describitur, quod effectus eius sit salutaris & salvificus, non autem punitorius ac damnatorius. Sic Rom. IV. 25. dicitur Christus *resurrexisse* propter credentium *iustificationem*, non autem propter incredulorum damnationem. 1. Pet. I. 3. dicimur *regeniti in spem vivam per resurrectionem Christi ex mortuis.* Atqui si re-

II.) Ex resurrectionis Christi conditione.

suscitatio impiorum esset fructus resurrectionis Christi, utique etiam effectus resurrectionis dominicæ non solum esset salutaris ac salvificus sed etiam punitorius ac damnatorius, quia impii resurgunt ad ignominiam ac pœnam. Si dicas, *Christum etiam ideo resurrexisse, ut mortuis ac viventibus dominetur*, Rom. XIV. 9. *ac proinde etiam impiorum resurrectionem videri fructum dominicae resurrectionis;* resp. describi in verbis apostolicis non tam fructum & effectum resurrectionis Dominicæ respectu *nostri*, quam consequens eius respectu *ipsius Christi*, quod scilicet per passionem, mortem & resurrectionem ingressus sit in gloriam, Luc. XXIV. 26. quod obedientiam servilem usque ad mortem crucis secuta fuerit ὑπερύψωσις, per quam & in qua *donatum ipsi fuerit nomen, quod est super omne nomen*, Phil. II. 9. quod Pater cœlestis ipsum *suscitaverit, ac Dominum fecerit*, Act. II. 32. & 36. ac si vel maxime ad fructum resurrectionis nobis partum verba apostoli referre velimus, constat tamen ex antecedentibus & serie contextus, non in genere de omnibus hominibus sed in specie de piis & credentibus apostolum loqui. *Nemo nostrum*, inquit, *sibi vivit, & nemo sibi moritur* v. 7. *sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus* v. 8. At hæc non possunt adplicari ad impios & incredulos, qui non Domino sed sibi, carni, mundo ac satanæ vivunt, qui sunt ἀπηλλωτριωμενοι της ζωης τȣ Θεȣ, Eph. IV. 18. qui non vivunt Christo pro ipsis mortuo & resuscitato, sed sibi, id est, suis cupiditatibus, 2. Cor. V. 15. ergo etiam illud, quod v. 9. apostolus addit: *In hoc Christus mortuus est & resurrexit & revixit, ut mortuis ac viventibus dominetur*, proprie ad pios & credentes pertinet, quod illi in vita & morte sint Christi Domini sui, quod illos *nec vita nec mors a Christo separare possit*, Rom. VIII. 38. Cæterum quod de resurrectione Christi diximus, eam in scriptura perpetuo sic describi, quod effectus eius sit salutaris ac salvificus, idem de toto Christi merito & omnibus quæ ad meritum Christi pertinent, actionibus & passionibus statuendum, quod scilicet effectus eius ubique describatur ut salutaris, vera fide adprehendendus & animæ salutem conferens. At restitutio vitæ naturalis, quæ in die novissimo impiis continget, non est eis salutaris, nec fide ab ipsis adprehenditur, nec animabus eorum salutem confert. Ergo restitutio illa vitæ naturalis, quæ impiis in die novissimo continget, non est fructus meriti Christi. Expendantur omnia scripturæ dicta, quæ de obedientia ac satisfactione Christi, de ipsius passione, morte ac resurrectione, de fructibus obedientiæ & satisfactionis loquuntur, & liquido adparebit, tales enumerari effectus & fructus, qui animam hominis concernunt, qui salutem adferunt, qui vera fide hominibus adplicantur, nuspiam vero naturalis vitæ restitutionem. Si obvertas, *Deum peccatis primorum parentum offensum solius meriti & satisfactionis a Christo praestandae intuitu primos parentes & in eis omnes posteros non statim in nihilum redegisse, sed propter promissam satisfactionem beneficia non solum spiritualia & cœlestia, sed etiam corporalia ac terrena ipsis concessisse, ac in vita eos conservasse, atque adhuc hodie impios ex gratia in vita conservare, ac per verbum ad pœnitentiam vocare;* resp. distinguendum inter tempus *gratiae* in hac vita, & tempus *iudicii* post hanc vitam. Si vel maxime beneficia corporalia, quæ impiis in hac vita obtingunt, eo respectu ad meritum referantur, quod Pater cœlestis merito ac satisfactione Christi placatus non statim in nihilum redigat impios propter pec-

peccatum, sed concedat eis tempus pœnitentiæ, vocet eos per verbum, cumulet omnis generis bonis, ut ad pœnitentiam eos invitet, Rom. II. 4. (quod Chemnitium in postil. facere video) tamen restitutio vitæ naturalis, quæ impiis in novissimo die obtinget, non potest ad classem beneficiorum ex merito Christi descendentium referri, tum quia restitutio illa non fit in hac vita, quæ tempus gratiæ in se concludit, sed post hanc vitam in die scilicet novissimo, tum quia finis restitutionis illius potissimum hic attendendus, quod non ad gloriam & vitam cœlestem, sed ad ignominiam & mortem sempiternam impii sint resuscitandi, ergo resuscitatio illa non est opus gratiæ & misericordiæ merito Christi impetratæ, sed actus iustitiæ & iudicii. Adde, quod beneficia corporalia, quæ impiis in hac vita obtingunt, ad dilectionem Dei *generalem*, quæ omnes creaturas complectitur, non autem ad dilectionem *specialem* morte Christi partam proprie loquendo pertineant.

III.) Ex resurrectionis Christi merito partae descriptione.

§. LVIII. III.) Ex *resurrectionis merito Christi partae descriptione.* Resurrectio, quæ vi meriti & resurrectionis Christi hominibus obtingit, in sacris litteris sic describitur, quod ratione *obiecti* pertineat tantum ad membra Christi, ad eos scilicet, qui per fidem corpori mystico, cuius caput est Christus, inseruntur, qui mortis & resurrectionis Christi fiunt participes, qui in Christo tanquam capite suo, & una cum ipso vivificantur, 1. Cor. XV. 23. & quod *finis ac consequentis* ratione fiat ad vitam & salutem, ut constat ex serie integri illius capitis. Iam vero impii non sunt membra corporis illius mystici, cuius caput est Christus, ac resurrectio impiorum non fit ad vitam & salutem sed ad ignominiam & mortem. Ergo eorum resurrectio non ex vi meriti & resurrectionis Christi descendit. Excipiunt, *impios esse membra Christi naturalia non spiritualia, ratione unionis naturalis, non autem spiritualis.* Resp. 1.) Quod dicimur membra corporis Christi, *os ex ossibus eius, & caro de carne eius*, Eph. V. 30. non potest tantum ad ὁμοσσιαν naturæ nostræ cum Christo referri, quia ipsa adpellatio membrorum nos eo deducit, quod requiratur spiritualis quædam coniunctio ac compages, per quam Christo tanquam capiti coniungamur, ea vero non est omnibus hominibus piis & impiis communis, sed piorum duntaxat propria. 2.) Συσωμασιαν illam nostram cum Christo apostolus sic describit Eph. IV. 15. 16. *Christus est caput, ex quo totum corpus compactum & coagmentatum per omnem iunctu-ram subministratione secundum operationem in mensura uniuscuiusque membri augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate*, atqui partes illius descriptionis non competunt impiis. 3.) *Qui non habet Spiritum Christi, non est eius*, Rom. VIII. 9. qui non animatur ac regitur Spiritu Christi, non potest dici membrum corporis eius mystici. Sicut vita naturalis requiritur, ut aliquod sit membrum corporis humani, sic vita spiritualis requiritur, ut aliquis sit membrum corporis mystici. 4.) Quo respectu Christus dicitur *caput* nostrum, eodem respectu nos vocamur ipsius *membra*, ut colligitur ex natura mutuæ relationis. Sed Christus dicitur caput nostrum non *naturaliter*, seu ob ὁμοσσιαν naturæ humanæ, sed *spiritualiter*, seu ob spiritualem nostram cum ipso unionem per fidem, Gal. II. 20. Eph. III. 17. Ergo etiam vocamur membra Christi, non respectu consanguinitatis naturalis, sed ratione unionis spiritualis. 5.) Membra

bra meretricis non sunt membra Christi, ut docet oppositio apostolica, 1. Cor. VI. 15. sicut filii diaboli non possunt esse filii Dei, sic membra satanæ non possunt esse membra Christi, Ioh. VIII. 44. Qui habent spiritum mundi, non habent spiritum, qui ex Deo est, 1. Cor. II. 11. 6.) Conformitas Christi & membrorum eius non in natura, sed in qualitatibus naturæ quærenda. Dicimur enim ipsi συμμορφοι, Rom. VIII. 29. Phil. III. 10. at quando de naturæ ομοουσια agitur tum de *consubstantialitate*, non autem *conformitate* quæritur, ac illius ομοουσιας respectu ipse dicitur κοινωνος *particeps factus carnis & sanguinis nostri*, Heb. II. 14. 7.) Si impii essent membra Christi, consequens foret, membra quædam Christi infernalibus flammis olim torquenda, & sic pars corporis Christi glorificanda in cœlo, pars autem torquenda in inferno, quod absurdum.

§. LIX. IV.) Ex *absurdorum consecutione.* 1.) Si impiorum resurrectio esset fructus meriti & resurrectionis Christi, consequens foret, eam per Christi resurrectionem esse consecratam & sanctificatam, inde enim atque ideo Christus ex mortuis suscitatus vocatur απαρχη *primitiae dormientium*, 1. Cor. XV. 20. quia resurrectio eius sanctificat & consecrat reliquorum hominum resurrectionem ab ea tanquam causa meritoria dependentem, sicut per sanctificationem & oblationem primitiarum in vet. test. sanctificati censebantur fructus reliqui, Lev. XXIII. 10. Deut. XXVI. 2. Atqui absurdum est statuere, quod per Christi resurrectionem sanctificata sit impiorum resurrectio, cum ratione formæ ac finis plurimum invicem differant. 2.) Si Christus merito suo resurrectionem ad iudicium & damnationem impiis impetrasset, uni eidemque causæ duo contrarii effectus per se attribuerentur. Ratio connexionis est, quia Christus merito suo resurrectionem ad vitam & salutem piis impetravit. 3.) Si resuscitatio impiorum esset fructus meriti Christi, sequeretur, homines non potuisse a morte resurgere, nisi Christus fuisset mortuus & resuscitatus. At consequens est absurdum, quia homo propter peccatum temporali & æternæ morti factus erat obnoxius. 4.) Si resuscitatio impiorum est fructus meriti Christi, utique etiam conservatio impiorum in inferno erit fructus meriti Christi, quia ut resuscitatio ipsa præcise & formaliter sine respectu ad subiectum & finem sive consequens considerata est Dei beneficium, ita conservatio existentiæ præcise & formaliter sine respectu ad subiectum & adiunctas pœnas considerata est Dei beneficium. Quod si ergo omnia Dei beneficia ex merito Christi descendunt, utique etiam illa conservatio & prohibitio αντιπαρξιας ex merito Christi descendet. 5.) Si resuscitatio impiorum æterno exitio adiudicandorum est fructus meriti Christi, consequens est, impios æterno exitio adiudicandos revera esse participes meriti Christi. At consequens est absurdum, qui enim in die iudicii revera particeps erit fructus meriti Christi, is non adiudicabitur æterno exitio, sed potius vitam æternam Christi merito partam obtinebit. 6.) Si resuscitatio impiorum est fructus meriti Christi, consequens est, adplicationem meriti Christi absque fide locum habere. Consequens repugnat universæ scripturæ, quippe quæ testatur adquisitionem quidem meriti esse universalem, sed adplicationem propter hominum incredulitatem fieri particularem. Videatur scriptum Bald. theologi eximii, amici nostri singularis de hac quæstione D. H. B. oppositum, quod com-

IV.) ex absurdorum consecutione.

ment. in 1. Cor. p. 818. postmodum inseruit.

§. LX. Idem nobiscum statuunt pii veteres, Chrysostomus in 1. Cor. hom. XXXIX. *Quid vero dic rogo omnes vivificabuntur in Christo? & ubi sunt qui abducuntur in gehennam?* Et postea: *Ne cum audieris communem vivificationem, etiam peccatores existimares esse salvos, subiungit,* unusquisque autem in suo ordine. Primitiæ Christus, deinde ii, qui sunt Christi, *hoc est, fideles, & qui sunt probati & bonae existimationis.* Ambrosius in comm. 1. Cor. XV. *Quia peccato hominis mors inventa est, Christi iustitia meruit resurrectionem mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. Hoc dicit, quia sicut Adam peccans mortem invenit, & omnes ex eius origine tenuit, ut dissolvantur, ita & Christus non peccans & per hoc vincens mortem (quia qui non peccat, vincit mortem, quia mors ex peccato) omnibus, qui sunt ex eius corpore, adquisivit vitam, id est, resurrectionem. Quamvis ergo generalem tribuerit resurrectionem, ut sicut in Adamo omnes sive iustisive iniusti moriuntur, ita & in Christo omnes tam credentes quam diffidentes resurgant, licet ad pœnam, incredeli tamen vivificari videntur, quia corpora sua recipient iam non morituri, sed passuri in eis pœnam sine fine, quod credere noluerunt.* Augustinus in expôsit. inchoata epist. Rom. tom. IV. p. 835. *Ex ipsorum* (piorum) *etiam resurrectione praedestinatus est Christus, ut ipsis princeps fieret, caeterorum autem in sua conditione resurgentium non princeps, sed iudex est. Non itaque ex illorum mortuorum resurrectione praedestinatus est, quos est damnaturus. Praedestinatum enim esse ex resurrectione mortuorum, ut praecederet resurrectionem mortuorum, vult intelligi apostolus; hos autem praecessit, qui ad ipsum cæleste regnum, quo eos praecessit, secuturi sunt &c.*

§. LXI. Qui contrarium statuunt, hisce potissimum utuntur argumentis: I.) Ex *oppositione apostolica* 1. Cor. XV. 22. *Sicut per hominem mors, sic per hominem resurrectio mortuorum* v. 23. *& sicut in Adamo omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificabuntur. Atqui ab Adamo in omnes omnino homines pios & impios mors descendit, ergo etiam a Christo in omnes homines pios & impios resurrectio promanat.* Resp. apostolus in hoc cap. 15. non de *resurrectione universali*, piis & impiis communi in genere, sed de *resurrectione piorum* determinate & in specie loquitur; ut Chrysostomus hom. XXXIX. in 1. Cor. b. Lutherus in comm. huius loci tom. VI. Ien. f. 231. Hunnius, Rungius, Balduinus & alii recte statuunt. Id enim colligitur ex *antecedentium & consequentium consideratione.* Loquitur apostolus de iis, *quibus evangelium praedicaverit, quod etiam acceperant, in quo etiam stabant,* v. 1. *qui Christum ex mortuis resuscitatum* & a testibus fide dignis *visum fuisse crediderant.* v. 3. & seqq. Loquitur de resurrectione eorum, *qui obdormierunt in Christo*, v. 8. atqui *in Domino mori*, piorum duntaxat proprium est Apoc. XIV. 13. Loquitur de resurrectione eorum, qui *miserrimi essent omnium hominum, si non esset resurrectio*, qui in *Christum sperarunt sive crediderunt in hac vita*, v. 19. quorum ἀπαρχη sive *primitiae Christus in resurrectione* sua factus, v. 20. qui sunt τα χριστα, v. 23. (atqui *si quis non habet Spiritum Christi, is non est eius*, Rom. VIII. 9. *qui non crucifigunt carnem suam cum concupiscentiis, non sunt Christi*, Gal. V. 24.)

Argumenta pro affirmante quæstionis parte. I.) Ex oppositione apostolica 1. Cor. XV. 22. & 23.

Loquitur de eorum resurrectione, qui *baptizantur super mortuis*, v. 29. qui propter Christum *pericula quotidie subire non recusabant*, v. 30. qui ab Epicuræa securitate abhorrebant, v. 32. Loquitur de illa resurrectione, quam consequetur *corporum glorificatio*, v. 43. & seqq. *regni divini possessio*, v. 50. *beata ἀφθαρσια & incorruptio*, v. 52. *plena de morte victoria & triumphatio*, v. 55. Atqui hæc non possunt ad impiorum resuscitationem adplicari, ut constat, necessario igitur verba apostoli intermedia de resurrectione piorum accipienda, ut sit sensus, *per hominem*, videlicet Adamum *mors*, & *per hominem*, videlicet per Christum *resurrectio mortuorum*, illorum scilicet, qui in Christo obdormierunt, quorum απαρχη est Christus, qui Christi sunt &c. ut ex immediate præcedentibus & & subsequentibus intelligitur. *De illa resurrectionis specie hic agitur, quam Christus perficiet abolendo peccatum, eam vero in impiis ponere non possumus, cum illi in suis peccatis adhuc maneant, ideo etiam non poterunt illius resurrectionis participes fieri, sed resurrectio eorum pertinet ad severitatem iudicii, non ad misericordiae beneficentiam. Si enim vere pronunciavit Dominus de Iuda, quod melius ei fuisset, si natus non esset, idem etiam adfirmare de his possumus, longe melius eis fore, si minime resurgerent*, scribit Petrus Martyr d. l. Idipsum ex subiuncta ἐξηγησει αντιθετικη manifestius conspicitur. *Sicut in Adamo omnes moriuntur, ita etiam in Christo omnes vivificabuntur*, ubi nota apostolum pro αναστασει ponere ζωοποιησιν, quæ peculiariter tribuitur piis, Rom. VIII. 11. (sicut εγερσις in genere omnibus hominibus) ac nihil aliud est quam αναστασις ζωης sive εις ζωην, Ioh. V. 29. quam verbi emphasin iam olim expendit Augustinus epist. LXXXIX. ad Hilar. col. 401. ubi in hæc verba apostoli sic commentatur: *Omnes in Christo vivificabuntur, utique resurrectionem iustorum dicit, ubi est vita aeterna, non resurrectionem iniquorum, ubi mors erit aeterna, ideo ait, vivificabuntur, quia illi damnabuntur.* Neque absolute & simpliciter necessarium est, partes oppositionis semper æqualis esse latitudinis, multo minus necessarium est, quando Adamus & Christus ut fons peccati & iustitiæ, mortis & vitæ sibi invicem opponuntur, quod Rom. V. 12. & hoc loco fieri constat, ut in omnibus ac singulis partibus etiam ultra comparationis scopum sive tertium, quod apostolus intendit, collatio instituatur, quia alias inferri posset, iustificationem esse universalem omnium hominum, sicut damnatio est universalis; iustitiam esse qualitatem inhærentem, sicut peccatum intime nobis inhæret; iustitiam Christi per naturalem generationem in nos propagari, sicut peccatum ab Adamo in nos propagatur; ad iustitiæ adplicationem non requiri fidem, sicut ad peccati communicationem ea non requiritur &c. Sufficit igitur ad antithesin apostolicam explicandam, Adamum & Christum opponi tanquam duos fontes, ex quorum uno peccatum & mors, ab altero iustitia & vita in nos descendit, quamvis nec modus nec obiecta communicationis utrobique sint eadem. Augustinus lib. II. de pecc. merit. & remiss. cap. 30. *Omnium corporis mortem factam per unum hominem dixit, & omnium corporis resurrectionem in vitam aeternam per unum Christum futuram esse promisit;* id quod epist. LVII. ad Dard. sic declarat: *Omnes & omnes id eo dixit, quia in mortem nemo nisi per illum*, (Adamum) *in vitam nemo nisi per ipsum*, (Christum) Denique si vel maxime æqualis latitudo oppositionis respectu obiectorum evicta esset, quod non minus a Christo

im

in omnes homines resurrectio, quam in omnes homines mors ab Adamo descendat, tamen id efficaciæ & potentiæ, non autem meriti ratione a Christo proficisci statuendum esset.

§. LXII. *Atqui*, inquis, *apostolus disputat contra, qui negabant resurrectionem mortuorum in genere. Non enim dicit: Quomodo aiunt quidam, non esse resurrectionem piorum, sed mortuorum. Ergo etiam apostoli argumenta debent esse generalia, ut probent omnium omnino hominum resurrectionem.* Resp. 1.) Si vel maxime concederemus, apostolum ex Christi resurrectione universalem omnium hominum resurrectionem directe inferre, nondum tamen evictum foret, resurrectionem impiorum ex Christi resurrectione, tanquam ex causa meritoria dependere, sed hoc tantum inferri posse, quod resurrectio universalis sit necessarium consequens resurrectionis Christi, utpote qui per suam resurrectionem *factus est Dominus viventium ac mortuorum*, Rom. XIV. 9. *ac iudex omnium a Deo ordinatus est*, Actor. XVII. 31. Quod si ergo omnes, etiam mortuos, etiam impios iudicare debet, utique necesse est, ut impii ex morte resurgant, qua ratione indirecte ex Christi resurrectione etiam impiorum resurrectio inferri potest. 2.) Quia vero circumstantiæ textus ostendunt, apostolum piorum duntaxat resurrectionem ex Christi resurrectione hoc loco deducere, ideo respondemus, apostolum resurrectionis abnegatores refellentem propterea in piorum resurrectione probanda hic unice esse occupatum, *primo* quia illa proprie est *resurrectio vitae*, sive ad vitam beatam & sempiternam, Ioh. V. 29. impiorum vero resurrectio potius est casus & lapsus ad mortem, quia resurgent non ad vitam, sed ad mortem æternam. *Secundo*, quia est necessaria connexio inter resurrectionem piorum & impiorum. Neque enim in die iudicii tantum resurgent pii, sed omnes simul homines, cum quidam ad *iudicium*, quidam ad *vitam* sint resurrecturi, Dan. XII. 2. Ioh. V. 29. probata igitur resurrectione piorum, omnium hominum resurrectio est probata propter necessariam connexionem a divino decreto dependentem. *Tertio*, quia resurrectionis adversariis potissimum de piorum resurrectione sermo erat. Illos enim non esse resurrecturos probare cupiebant ex eo, quod iam ante per regenerationem surrexissent, Roman. VI. 4. Col. III. 1. Apoc. XX. 6. spiritualiter scilicet; apostolus igitur demonstrat, præter illam spiritualem piorum resurrectionem adhuc superesse aliam, videlicet resurrectionem corporalem sive carnis in fine seculi secuturam. *Quarto* Corinthiorum illi Sadducæi, contra quos disputat apostolus, videntur hoc modo in suis ratiocinationibus progressi: Si esset resurrectio, tum vel maxime pii eiusdem forent participes, vel si pii non resurgent, nulli omnino homines resurgent. Sed pii non resurgent, quia promissio de resurrectione iam ante in ipsis per spiritualem resurrectionem est completa. Ergo nulli plane resurgent. Hic ergo apostolus adgreditur conclusionis oppositæ probationem, & contrario modo procedit: Si pii resurgent, falsum est, non futuram resurrectionem. Sed pii resurgent. Ergo. 3.) Adferimus huc illustrationis causa disputationem Christi contra Sadducæos Matth. XXII. Luc. XX. Sadducæi in genere negabant resurrectionem, non tantum piorum sed etiam impiorum. Christus eos ex Mose refutaturus adfert tale argumentum, quo piorum duntaxat resurrectio probatur. Neque enim de impiis dici potest,

quod Deus eorum sese Deum esse (eo quidem sensu ac respectu, quo Abrahami, Isaaci & Iacobi Deus dicitur) uspiam adpellet. Quidquid hic pro defensione disputationis Christi adferri potest, idem etiam pro defensione Paulinæ disputationis adferri poterit. 4.) Propositioni universali neganti non solum opponitur universalis adfirmans, sed etiam particularis adfirmans, prior quidem contrarie, posterior contradictorie. Universali igitur neganti ab adversariis probare: *Nulli mortui resurgent;* apostolus opponit particularem adfirmantem, qua stabilita itidem evertitur universalis negans. Si obvertas, *hanc apostolicam conclusionem directe non adversari antitheſi adversariorum*, repetendæ erunt causæ superius expositæ. 5.) Res ipsa nos cogit, ut statuamus, apostolo non esse hoc loco propositum, universalem omnium hominum resurrectionem directe & immediate probare, sed duntaxat piorum, ex qua indirecte & mediate impiorum etiam resurrectio postea deducitur. Præterquam enim, quod apostolus indefinite quomodo *quidam inter vos dicunt mortuos non resurgere*, (sine signo universali addito) loquitur, negari nulla veritatis specie potest, quædam saltem argumenta apostoli esse particularia, quæ piorum duntaxat resurrectionem probant. Illa ergo aut a quæstione probanda erunt aliena, aut ad eamdem adcommodata. Prius dici nequit, ut constat. Manet ergo posterius, ex quo porro elucescit, quæstionem probandam esse, quod pii sint resurrecturi, neque enim duas distinctas quæstiones sibi demonstrandas sumit apostolus, quarum una agat de resurrectione omnium hominum in genere, altera de resurrectione piorum in specie, sed unam duntaxat in v. 12. propositam. 6.) Neque cogitari potest, apostolum, ubicunque de resurrectione agit, semper in genere de universali resurrectione agere. Contrarium enim manifeste patet ex 1. Thess. IV. & ex hoc ipso cap. 15. prioris Cor.

§. LXIII. II.) Ex *enumeratione beneficiorum Christi. Christus destruxit opera diaboli*, 1. Ioh. III. 8. *abstulit peccata totius mundi*, Ioh. I. 29. *reparavit omnia, quae per lapsum Adae amissa, destruxit mortem*, 2. Tim. I. 10. *At in impiis mors destruitur, dum vita ipsis restituitur.* Resp. 1.) Resurrectio impiorum potius pœnæ quam beneficii loco habenda, cum impii non resurgant ad vitam, sed ad iudicium, non ad gloriam, sed ad ignominiam, Dan. XII. 2. Ioh. V. 29. unde etiam resurrectio, salutaris scilicet & vivifica esse negatur. Quo a quibusdam refertur Esa. XXVI. 14. 2.) Restitutio vitæ, quæ impiis in die novissimo continget, non tam mortis destructio, quam eiusdem instauratio æstimanda, resurgent enim non ad vitam sed ad mortem æternam. 3.) Distinguendum inter *adquisitionem* & *adplicationem* meriti. Ratione adquisitionis Christus pro omnibus totius mundi peccatis satisfecit, regnum satanæ pro omnibus destruxit, mortem pro omnibus vicit, sed adplicatio horum beneficiorum tantum ad credentes pertinet. 4.) Christus impios ex morte in vitam revocabit, non ut amicus mediator, non ut fraternus Salvator, sed ut iratus iudex, sicut magistratus maleficum ex carcere educit, non ad beneficii participationem vel regni possessionem, sed ad supplicii irrogationem. Excipiunt, *resurrectionem impiorum hic considerari non ratione consequentis, quatenus eam sequitur ignominia & pœna*,

II.) Ex enumeratione beneficiorum Christi.

pœnæ, sed ratione formæ, præcise ac formaliter, quatenus per illam vita homini restituitur. Ut ergo mors temporalis est pœna peccati, ita mortis ablatio & vitae restitutio erit beneficium Christi. Resp. 1.) Eodem modo inferre possem, quod conservatio damnatorum in inferno & prohibitio ἀνυπαρξίας sit beneficium ex merito Christi descendens, quod nemo dixerit, nam ut Paulinus de damnatis canit:

Vita erit his sine fine mori,
Et mors vivere pœnis.

2.) Vitæ restitutio non potest nec debet hic *formaliter* spectari, sed *subiective* & consequenter, hoc est, ratione *subiecti*, quatenus est vita impiorum supplicio æterno adiudicandorum, & ratione *consequentis*, quatenus resuscitantur non ad vitam & felicitatem æternam, sed ad ignominiam & pœnam sempiternam. 3.) Nec potest resuscitatio impiorum a termino *ad quem* resuscitationis, videlicet a subsequente damnatione divelli, quia *actio denominationem & qualitatem suam recipit a termino ad quem.* 4.) Christi beneficia, quibus homines actu fruuntur, eos exhilarant & reficiunt, atque eadem homines anxie desiderant; sed resuscitatio impiorum eos non exhilarat sed terret, nec desiderant suam resuscitationem, sed potius quærunt mortem & optant, se nunquam ad iudicium vocari. Apoc. IX. 6. 5.) Reparatio vitæ per Christum facta non est definienda per naturalis vitæ restitutionem, vel animæ & corporis iteratam coniunctionem, alias etiam vita, quam a parentibus accepimus, esset beneficium ex merito Christi descendens, sed restitutione vitæ spiritualis ac cœlestis per lapsum protoplasti amissæ.

III.) A maiori ad minus.

§. LXIV. III.) A *maiori ad minus. Si Christus vi meriti sui peperit impiis, quod maius est, videlicet remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo & vitam æternam, multo magis peperit id, quod minus est, videlicet resurrectionem corporum.* Resp. 1.) Confunditur *adplicatio* cum *adquisitione.* Christus vi meriti sui adquisivit impiis resuscitationem ad vitam æternam, sed illi beneficium fide sibi non adplicant. 2.) Possem ex eodem medio termino inferre, Christum honores ac divitias huius mundi suo merito nobis adquisivisse. 3.) Fructus ex merito Christi descendentes sunt illa beneficia, quæ animabus hominum potissimum ad salutem conferunt, inter quæ resuscitatio ad iudicium & ignominiam referri nequit. 4.) Remissio peccatorum & reconciliatio cum Deo pertinent ad opera gratiæ, & sunt salutaria beneficia, sed resuscitatio impiorum ad pœnam & mortem est opus iræ & iudicii.

Causa instrumentalis resurrectionis.

§. LXV. Causa *instrumentalis* resurrectionis a plerisque statuitur *ministerium angelorum*, quod Filio Dei exhibebunt, 1.) *tuba clangendo.* Matth. XXIV. 31. *Filius hominis mittet angelos suos cum tuba vocis magnae.* 1. Cor. XV. 51. *Non omnes quidem obdormiemus, omnes tamen immutabimur.* v. 52. *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba, canet enim, & mortui surgent incorruptibiles, & nos immutabimur.* 1. Thess. IV. 16. *Ipse Dominus cum iubilatione in voce archangeli & in tuba Dei descendet de cælo, & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi &c.* 2.) *Homines ex mortuis suscitatos colligendo.* Matth. XXIV. 31. XXV. 31. Marc. XIII. 27. *Mittet Filius hominis angelos suos, & congregabunt electos eius a quatuor ventis a summis cælorum usque ad terminos eorum.* Huc referri potest oraculum Davidicum

Psalm. L. 5. *Congregate mihi sanctos meos.* 3.) *Collectos in duas classes distribuendo*, ac bonos ad Christi iudicis dextram, malos ad eius sinistram statuendo. Matth. XIII. 49. *In consummatione seculi exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum.* XXV. 31. *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli cum eo.* v. 32. *Congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos* (ministerio scilicet angelorum) *ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hoedis, & statuit oves quidem a dextris suis, hoedos autem a sinistris.* 4.) *Malos a bonis separatos post latam iudicis sententiam in infernum mittendo.* Matth. XIII. 41. *Mittet Filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem*, v. 42. *& mittent eos in caminum ignis*, quod repetitur v. 50. Notandum autem hoc loco 1.) quod resurrectio dupliciter accipiatur. Primo *stricte, praecise* ac *formaliter* pro corporum ex terræ pulvere formatione atque eorumdem cum animabus unitione sive naturalis vitæ restitutione, ac corporum vivificatorum ex sepulcro productione. Secundo *late, generaliter* ac *materialiter* pro actionibus resurrectionem proxime antecedentibus ac consequentibus, adeoque pro toto complexu eorum omnium, quæ ante & post resurrectionem præcise acceptam contingent. Priori sensu angeli non possunt dici causa instrumentalis resurrectionis, quia resuscitatio est opus mere divinum, ad quod nullum angelorum vel hominum ministerium concurrit, sed quemadmodum corpus primi hominis Deus ipse ex terræ pulvere immediate formavit, Gen. II. 7. & ex costa eius mulierem ædificavit, v. 22. ita quoque Deus ipse corpora defunctorum ex terræ pulvere reformabit, & cum iisdem proprias animas coniunget. Ezech. XXXVII. 12. *Haec dicit Dominus: ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulcris vestris, & dabo spiritum meum in vobis.* Posteriori sensu angeli possunt dici causæ instrumentales resurrectionis, quia Christo Domino suo ministrabunt tuba ante resurrectionem clangendo, & post resurrectionem homines a quatuor ventis, id est, ex omnibus mundi plagis colligendo &c. Inde quidam dicunt, angeli erunt ὑπηρεται sive *ministri* resurrectionis, *causae* autem nullo modo esse possunt. Oecumenius in comm. 1. Thess. IV. *Ut quos accepit terra, reddat in immortalitatem commutatos, id Christi praeceptum efficit, ut autem, qui ad postrema mundi loca dispersi sunt, in unum congregentur, angeli perficiunt iubente hoc archangelo.* 2.) Quod resurrectionis præcise & formaliter acceptæ causa instrumentalis haud immerito statui possit *vox Christi* resuscitantis & iudicantis. Quod enim hoc opus divinum immediate ab ipso Deo profectum iri diximus, id respectu creaturarum, angelorum scilicet & hominum accipiendum, quod Deus in hoc opere non sit adhibiturus angelorum vel hominum ministerium, interim causæ instrumentalis vicem obtinebit vox Christi, cuius natura humana cum in ipsam λογῳ υποστασιν sit adsumta. Ideo vox eius divinam habebit efficaciam mortuos ex sepulcris evocandi. Hanc Christi vocem non de nudo duntaxat *iussu interno* & voluntate efficaci, sed etiam de *sono externo* & audibili intelligendam probabiliter statuimus. *Primo* quia ipsa litera nos eo deducit. Dicitur Christus *voce sua* excitaturus mortuos, iam vero constat, quod vox sit sonus externus & audibilis. *Secundo* quia mortui dicuntur vocem illam *audituri.* Ioh. V. 28. *Omnes, qui in monumentis sunt, audient*

Quid per vocem Christi intelligatur.

dient vocem Filii Dei. Atqui si vox illa debet ex parte hominum audiri, utique etiam ex parte Filii Dei sonabit, ut mutuæ relationis vis ostendit. *Tertio* quia Deus dicitur *vocare ea, quae non sunt, tanquam sint*, τα μη οντα ως οντα, Rom. IV. 17. quod quamvis directe & proprie ad articulum creationis pertineat, tamen consequenter & secundario etiam ad articulum resuscitationis, quæ est iterata ac nova creatio, adcommodari potest, quod Filius Dei defunctos nondum existentes divina sua voce ita adloquatur, quemadmodum nos homines vivos & existentes compellamus. *Quarto* quia in præludiis universalis resurrectionis, in particularibus scilicet resuscitatorum exemplis Christus externa & audibili voce usus est. Filiæ Iairi dicit: *Puella surge*; Luc. VIII. 54. viduæ in Nain filium sic adloquitur: *Adolescens, tibi dico, surge*; Luc. VII. 14. Lazarum excitaturus clamat voce magna: *Lazare, veni foras*; Iohan. XI. 43. veri simile igitur est, in resurrectione universali ipsum eodem modo acturum, ac notant pii veteres. Christum propterea notant dixisse, adolescens *tibi dico*, surge, ne si in genere & universaliter dixisset, *dico vobis* mortuis surgite, eo ipso statim momento omnes surrexissent. Probare igitur non possumus, quod quidam nudum imperium absque voce externa hic statuant, quidam contra vocem illam vivificatricem mediate per angelum sonituram, & quia Christi nomine proferenda, divinam vim & efficaciam habituram autumant.

Quid per vocem archangeli & tubam Dei intelligendum.

§. LXVI. De *voce archangeli & tuba Dei* ante resurrectionem sonitura diversæ exstant interpretum sententiæ. Quidam enim per eam intelligunt *vocem ipsius Filii Dei*, qua mortui in novissimo die excitabuntur. In hac sententia ex veteribus est Gregorius, ex recentioribus Flacius in clavi in verbo: tuba. *Tuba extrema vocaturi illud imperium aut mandatum Christi, quo evocabit mortuos ad resurrectionem & iudicium.* Patrocinium huic sententiæ quæri potest, 1.) ex *collatione locorum scripturae*: Ioh. V. 28. *Qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, & prodibunt.* 1. Cor. XV. 52. *Canet tuba, & mortui resurgent incorruptibiles.* 1. Thess. IV. 16. *Dominus in voce archangeli & in tuba Dei descendet de cælo, & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi.* Sicut in priori dicto ad auditum vocis Filii Dei, sic in posterioribus ad auditum tubæ mortui dicuntur resurrecturi. 2.) Ex *Christi explicatione.* Ne quis enim de tuba materiali ac proprie accepta hic cogitaret, ideo Christus Matth. XXIV. 31. vocat *tubam vocis magnae*, ut ostendat tubam illam fore vocem magnam, ipsius scilicet Filii Dei, (quædam tamen exemplaria legunt σαλπιγγος και φωνης μεγαλης) 3) Ex *apostoli descriptione.* Paulus 1. Thess. IV. 16. vocat *vocem archangeli*, iam vero Christus proprie est summus archangelus, angelorum omnium Dominus; *Michael*, cœlestis militiæ signifer, Apoc. XII. 7. vocat *tubam Dei*, non angelorum, ut innuat, ipsius Filii Dei vocem hoc nomine accipiendam. 4.) Ex *efficaci operatione.* Ad clangorem & sonum illius tubæ mortui resurgent, erit ergo infinitæ virtutis, inerit illi potestas creatrix & reformatrix corporum defunctorum. Iam vero ostendimus superius, angelis non posse tribui causam resurrectionis proprie & stricte acceptæ. Huic argumento respondent per distinctionem inter instrumentum *morale* & *naturale* sive *physicum.* *Tuba illa*, inquiunt, *erit instrumen-*

mentum duntaxat morale resurrectionis, per quod Christus operabitur, non autem vim physicam habebit. Quidam vero per tubam intelligunt *clangorem ab angelis formatum*, adventus Christi & resuscitationis prænuncium similem clangori illi, qui in monte Sinai circa legis promulgationem audiebatur, Exod. XIX. 16. Cui sententiæ adstipulantur ex veteribus Chrysostomus, Anshelmus & alii, unde in ecclesia canitur:

Tuba mirum spargens sonum
Per sepulcra regionum
Coget omnes ante thronum.

Probabilitas huic sententiæ conciliari potest ex sequentibus fundamentis. 1.) Quia Christus hanc tubam angelis tribuit, Matth. XXIV. 31. *Filius hominis mittet angelos suos cum tuba vocis magnae.* 2.) Quia voci archangeli & tubæ Dei coniungit apostolus κελευσμα, quod non est simplex iussio, sed vox illa, qua nautæ seu milites se mutuo excitant ad rem strenue gerendam, ut uno velut concentu & conatu remos attollant, & remigare incipiant; ac *militum*, ut coniunctis animis & viribus hostem adoriantur. 1. Thess. IV. 16. Quia enim adventus Christi ad iudicium in scripturis sacris describi solet, quasi adventus regis in prælium descendentis ad debellandos suos hostes, 2. Thess. II. 8. & liberandos ex captivitate suos subditos, Luc. XXI. 28. ideo coniungit apostolus το κελευσμα hortamen classicum sive clamorem militarem & archangelum velut ducem cœlestis militiæ & tubam belli denunciatricem. Chrysostomus homil. LXXVII. in Matth. *Erit tubarum sonus ad exsuscitationem, ad gaudium, ad exprimendum rerum fluporem, ad dolorem eorum qui relinquuntur.* 3.) Quia notanter dicit apostolus, quod *ipse Dominus* εν κελευσματι (id est, μετα κελευσματος) εν φωνη αρχαγγελου και εν σαλπιγγι θεου *de cœlo descendet*, ergo vox illa archangeli & tuba Dei non erit ipsius Domini vox, sed aliquid ab ea distinctum. 4.) Quia in nov. test. non est usitatum, Christum vocari archangelum, unde per archangelum quidam intelligunt *Gabrielem.* Ut enim Gabriel primum Christi adventum prænunciavit beatissimæ virgini, sic conveniens est, ab eodem secundum Christi adventum mundo prænunciari. 5.) Præter vocem ipsius Filii mortuorum vivificatricem externum aliquod vehemens & horribile tonitru angelorum ministerio formatum, vel clamor aliquis excitatorius in novissimo die videtur soniturus. Matth. XXV. 6 *Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit.* 1. Thess. IV. 16. *Dominus descendet* εν κελευσματι. 6.) Scriptura quando Deum publice locutum fuisse adfirmat, tonitrua & fulmina adhibita fuisse commemorat, Exod. XIX. 16. Iob. XXVIII. 1. Ioh. XII. 29. ideo etiam tonitrua, quæ in novissimo die futura sunt, satis magna & horribilia *clangor buccinae cœlestis, vox archangeli & tuba Dei* adpellari videntur. Sicut in promulgatione legis audiebantur tonitrua, micabant fulgura & clangor buccinæ vehementius perstrepebat, Exod. XIX. 16. in quorum formatione angelorum ministerium interfuisse colligitur ex Act. VII. 53. Gal. III. 19. ita quoque in exsecutione contra transgressores legis in die iudicii instituenda audietur clangor tubæ ac tonitrua, quæ קלות יהוה *voces Dei* dicuntur, Psalm. XVIII. 14. angelorum ministerio formata. Theophylactus in 1. Thess. IV. *Ut Pater in monte Sinai tubas habebat & angelos ministrantes, ita Filius veluti rex aut imperator eadem habiturus est.* Theodoretus in comm. 1. Thess. IV. *Si in monte Sina, cum editus esset sonus, iis qui aderant commoderatus, non tulit populus ingentem ter-*

terrorem, sed dixit magno Mosi: loquere tu nobis & non loquatur Deus nobiscum, ut non moriamur, quis ferat vocem, quae tunc resonabit? Clangore tubæ indicabatur adesse *iubilaeum*, Lev. XXV. 9. sic ultimæ tubæ clangor denunciabit festum æternum, quod pii in cœlo celebrabunt. 7.) Israelitæ in prælium adversus hostes progressuri buccinis clangebant, Num. 10. v. 2. in expugnatione urbis Jericho sacerdotes tubis clangebant, Jos. VI. 4. exercitus Gideonis contra Midianitas pugnans buccinis personabat, Jud. VII. 22. angeli iudicia Dei mundo denunciantes tubis canunt, Apoc. VIII. 9. & 11. hæc omnia ad tubam in novissimo die angelorum ministerio sonituram adcommodari possunt. 8.) Angeli Christum in cœlos adscendentem *cum iubilo* deduxerunt: sic eumdem in reditu ad resuscitationem mortuorum & iudicium comitabuntur. Adscendit Dominus *in voce tubae*, Psalm XLVII. 6. sic *in tuba Dei* de cœlo descendet, 1 Thess. IV. 16. 9.) Lev. XXIII. 24. instituitur festum tubarum: *in mense septimo in primo* (die) *mensis erit vobis sabbatum memoria clangoris, convocatio sancta*; in hoc festo tubarum, Hebræis זִכְרוֹן תְּרוּעָה *memoria clangoris*, dicto ab ortu solis usque ad noctem tuba canebatur, cujus festi rationem Hebræi referente Schindlero in lexico in voce שפר inter reliquas hancce proferunt, *ut recordemur diei, quo in vitam redibunt mortui. Hi enim resurgent cum clangore tubae, & congregabuntur non aliter, ac cum audit populus vocem tubae, sicut dicitur: omnes incolae orbis & habitatores terrae, cum elevabitur vexillum montium, videbitis, & cum clanget tuba, audietis.* Confer Drusium in adnot. nov. test. part. II. in Matth. XXIV. super verba: *mittet angelos cum tuba.* Sed qualis ille clangor tubæ sit futurus, hominem exacte scire arbitramur neminem, ideoque in medio relinquimus, an per eum *vox ipsius Christi*, an vero *clamor ab angelis formatus* intelligi debeat. Apostolus 1 Cor XV. 52. indefinite dicit σαλπίσει, nec addit, an de angelis, an Christo hoc acceptum velit, 1 Thess. IV. 16. vocat *tubam Dei*, sed potest hoc accipi de tuba Dei iussu ac mandato ab angelo ad clangorem animanda. Didymus apud Hieron. in epist. ad Minerium & Alexandrum quæ est 152. *Quod in novissima tuba mortui dicuntur resurrecturi, duplicem habet significationem, ut clangor tubae aut vocis iniicet magnitudinem, iuxta illud quod scriptum est:* Exalta vocem tuam sicut tuba; *aut apertam omnium resurrectionem, iuxta illud*: Quando facis eleemosynam, noli canere tuba ante te, *id est absconditе & insecreto fac misericordiam &c. In Apocalypsi septem describuntur angeli cum tubis, novissimo autem, id est, septimo claro tubae strepitu personante mortui suscitantur.* Oecumenius in comm. illius loci: *in iussu, simul ut ipse iusserit, & archangelus vocem emiserit, ac tubae sonuerint, descendet. Iubet quippe Dominus, & voce edit archangelus iussum dominicum, sonumque emittunt caeteri ordines caelestes, quos figurative tubas adpellat, quemadmodum etiam edere dicit. Sed Dominus quidem iubet; archangelus vero dominicum iussum nunciat sibi subditis, porro hi administrant ipsum & usque ad mundi terminos intonant, & mortui quotquot sunt ex universo orbe, resurgunt ac congregantur.* Et postea: *tubas vocat angelicas potestates, quod quemadmodum tuba nihil quod suum est, intonat, sed quodcunque artifex insufflaverit: ita & Dei tubae nihil proprium sonare praesumunt, sed quidquid communis Dominus ac conditor per archangelum eis praeceperit.* Suarez otiose disputat, an ex argento vel *aere*, quod ipsi magis probatur, hæc tuba sit futura, an ex nube & meteoris &c.

CAPVT IV.

DE MATERIA RESVRRECTIONIS.

Materia resurrectionis.

§. LXVII. *Materia* resurrectionis (quibusdam *subiectum quo* dicta) sunt corpora hominum *numero & substantia eadem*, quæ mortua alias tamen qualitates divinam operationem sortita. Probamus hoc I) Ex distertis & perspicuis *scripturae dictis* Iob. XIX. 25. *In novissimo die de terra surrecturus sum* v. 26. *& rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Dominum*, v. 27. *quem visurus sum ego mihi, & oculi mei conspecturi sunt & non alienus.* Si Iobus in carne sua & oculis suis visurus est Dominum & non alius, utique eiusdem numero corporis resurrectio sequetur. Ruffinus in exposs. symb. p. 387. *Quod in symbolo adiungitur*, credo hujus carnis resurrectionem, *vide quam consonum sit scripturae dictis. Quid enim aliud indicatur in verbis Iobi, cum dicit:* quia suscitabit pellem meam, quæ hæc nunc haurit, *id est, quae ista tormenta perpetitur. Nonne aperte huius carnis dicit resurrectionem futuram? huius, inquam, quae tribulationum & tentationum cruciamenta nunc sustinet.* Confer Hieronymum in comm. Iobi. Quæ nostræ interpretationi obvertuntur, exposuimus superius. Psalm. XXXIV. 21. *Custodit Dominus omnia ossa piorum, & unum ex illis non peribit.* Esa. XXVI. 19. *Vivent mortui tui, cadavere meo resurgent.* Ita enim Hebræum נִבְלָתִי reddi potest, ut verba ista referantur ad ipsum prophetam, hoc sensu: sicut ego Esaias meo corpore resurgam: sic pariter reliqui mortui ad unum omnes resurgent suo quisque corpore. Lutherus reddidit δεικτικῶς *mit dem Leichnam.* LXVI. 14. *Ossa vestra quasi herba germinabunt.* Ezech. XXXVII. 4. *Ossa arida audite verbum Domini.* v. 5. *Haec dicit Dominus, ego intromittam in vos spiritum & vivetis.* v. 6. *Et dabo super vos nervos, & succrescere faciam super vos carnes, & superextendam in vobis cutem, & dabo vobis spiritum & vivetis.* Sirac. XLVI. 14. *Ossa eorum pullulent in loco suo.* Matth. X. 30. *Vestri & capilli capitis numerati sunt* Luc. XXI. 18. *Non peribit pilus capitis vestri.* Rom. VIII. 11. *Si Spiritus eius, qui excitavit Christum a mortuis, habitat in vobis, is, qui suscitavit Christum a mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.* Ergo illud ipsum corpus, quod in hac vita Spiritus sancti habitaculum, ad vitam aliquando resurget. 1 Cor. XV. 53. Oportet το φθαρτον τουτο, *hoc ipsum corruptibile induere* αφθαρσιαν, & το θνητον τουτο, *hoc mortale, induere* αθανασιαν. (ubi observa 1) apostolum distinguere inter φθορὰν in *abstracto*, quæ abolebitur v. 43. & το φθαρτον in *concreto*, quod substantiæ ratione erit idem; 2) loqui eum δεικτικως digitis quasi in corpus suum intentis. Theodoretus in comm. ορας την ακριβειαν το θνητον τουτο εδειξε δεικτικως, ινα μη αλλης νομισης σαρκος αναστασιν, 3.) quatuor distinctis vocibus repetere δεικτικον τουτο v. 53. & 54.) Phil. III. 21. *Christus transfiguravit* το σωμα της ταπεινωσεως, *hoc ipsum corpus humile, ut conforme illud reddat corpori suo glorioso.* Erit igitur in resurrectione idem σωμα, idem subiectum, sed ταπεινωσει succedet δοξη, per quam glorificato Christi corpori conformabitur.

§. LXVIII.

§. LXVIII. II.) Ex *rationum momentis*: 1) a *resurrectionis definitione*. Ἀναστασις ἐστι δευτερα του πεπτωκοτος στασις. Illud quod cecidit proprie dicitur resurgere, quando rursus erigitur. Quod si ergo non suscitaretur idem numero & substantia corpus, non esset proprie loquendo ἀναστασις ac resurrectio. Tertullianus lib. V. adv. Marcion. cap. 9. *Si resurrectio mortui est, mortuum autem non aliud est quam corpus, corporis erit resurrectio. Sic & resurrectionis vocabulum non aliam rem vindicat, quam quae cecidit.* Epiphanius lib. II. tom. II. hær. 67. contra Hieracitas p. 594. *Ipsum nomen locutionis vim ostendit, non enim eius, quod non cecidit, resurrectionem vocat. Quale autem est, quod cecidit, quale, quod sepultum est, quale, quod dissolutum est? certe corpus &c.* Hieronymus adv. error. Iohannis Hierosolymitani tom. II. p. 176. *Ipsum resurrectionis vocabulum significat non aliud ruere, aliud suscitari. Haec est resurrectio*, inquit Ambrosius in serm. de fid. resurr. cap. 19. *sicut ipsius verbi sono exprimitur, ut, quod cecidit, resurgat; quod mortuum fuerit, reviviscat.* Quotquot igitur scripturæ dicta resurrectionis veritatem confirmant, totidem quoque testimonia exstant, quod defuncti in & cum propriis suis corporibus sint resurrecturi. 2.) *A resurrectionis termino a quo.* Resuscitandi dicuntur *dormire in pulvere terrae*, Dan. XII. 2. *esse in monumentis*, Ioh V. 28. *quiescere in cubilibus suis*, Esa. LVII. 2. *habitare in pulvere*, XXVI. 19. utique ergo eadem corpora, quæ in pulverem ac cinerem fuere redacta, e sepulcris excitabuntur. Apoc. XX. 13. non solum *terra*, sed & *mare dedit mortuos suos.* Ephremus Syrus serm. de resurr. *Restituat terra corpus illud hominis, quod suscipit, sive id a fera discerptum, sive ab ave comestum, sive a quovis animante devoratum fuerit, & ne unus quidem capillus hominis in conspectu iudicis deerit.* 3) *A resurrectionis subiecto.* Corpus hominis resurget Matth. XXVII. 52. 1 Cor. XV. 43. &c. utique ergo definitio corporis competere debet resuscitatis corporibus. At corpus non habens substantiam carnis, sanguinis, ossium, non est corpus, sed spiritus. 4) *A resurrectionis fine*; ideo ex mortuis suscitati coram tribunali Christi homines sistentur, *ut recipiat unusquisque* διὰ σωματος, *in corpore, quae per corpus gessit sive bona sive mala*, 2 Cor. V. 10. utique ergo in eodem corpore, per quod bona vel mala unusquisque egit, resurget. 2 Cor. IV. 10. inquit apostolus: *Semper mortificationem Domini nostri circumferimus, ut etiam vita Iesu in corpore nostro manifestetur.* 5) *A resurrectionis exemplis.* Qui a Christo vel sanctis Dei hominibus, prophetis & apostolis resuscitati, illi non in aliis, sed in propriis corporibus resurrexerunt. 6) *A Christi resurrectione*, quæ nostræ resurrectionis est causa efficiens & exemplaris. Christus in resurrectione idem recepit corpus, quod antea habuerat, & eadem carne resurrexit, in qua mortuus fuerat, Psalm. XVI. 10. Ioh. II. 19. Actor. II. 31. &c. unde notanter dicit Luc. XXIV. 39. *Ego ipse sum.* Ergo & nos, utpote membra Christi capitis nostri, idem recipiemus corpus. Christi corpus glorificatum non fuit spiritus, sed habuit *carnem & ossa*, Luc. XXIV. 39. corpora nostra *conformia reddentur corpori Christi glorioso*, Philip. III. 21. Ergo etiam corpora nostra non erunt spiritus, sed carnem & ossa habebunt, quamvis spiritualia sint futura, 1 Cor. XV. 45. 7) *A iustitiae divinae regula.* Iustitia divina requirit, ut illud ipsum corpus, in quo & cum quo pii contra satanam & ipsius membra pugnaverunt, coronetur, nec permittit, ut corpus illud,

quod Christi stigmata gestavit, præmio defraudetur. Eadem iustitia requirit, ut illud ipsum corpus, quod peccavit, pœnis adficiatur, nec permittit, ut aliud corpus, quod non peccavit, æternis tormentis subiiciatur, 2 Cor. V. 10. Gal. VI. 17. Ephes. VI. 8. 2 Thess. I. 5. Si corpora nostra post resurrectionem diversæ futura essent substantiæ, aliud certasset, & aliud coronaretur. Ambrosius serm. de fid. resurr. cap. 19. *Haec est series & causa iustitiae, ut quoniam corporis animique communis est actus, quae animus cogitavit, corpus effecit, utrumque in iudicium veniat, utrumque aut pœnae dedatur, aut gloriae reservetur.* 8) *A piorum conditione.* Corpora piorum per fidem fuerunt membra Christi in corpore ipsius mystico facta, sunt corpore & sanguine Christi ad vitam æternam cibata & sanctificata, fuerunt Spiritus sancti imo totius sacrosanctæ Trinitatis templa & habitacula, 1 Cor. III. 16. VI. 15. & 19. ergo illa ipsa corpora in vitam divinitus revocabuntur. Contra vero ipsa impiorum corpora gehennæ sunt obnoxia, ergo numero eadem e sepulcris excitabuntur, Matth. X. 28. 9) *A fine creationis.* Totus homo ad immortalitatem primo fuit conditus, & ad eamdem per Christum redemtus & per Spiritum sanctum sanctificatus. Ergo non solum anima, sed etiam idem corpus, ex quibus inter se junctis & copulatis homo constat, vitæ æternæ particeps reddetur. Finis hominis est beatitudo animæ & corporis, eam vero in hac mortali vita miseriarum plena homo adsequi nequit; necessarium igitur est, eadem corpora olim revicturа, ut totus homo finis sui seu beatitudinis consors fieri queat. 10) *A turpi & absurdis.* Si non eadem corpora resuscitabuntur, falsa erunt [illegible] speramus, non erit proprie dicta resuscitatio, sed potius nova creatio; Spiritus sancti domicilia ita destruentur, ut nunquam reparari posse statuantur; iniustus erit Deus, qui aliud corpus coronat, quam quod certaverat, qui pœnis subiiciet ea corpora, quæ nunquam fuerunt iniustitiæ arma; quæ omnia & similia cum sint absurda, ideo absurdum quoque illud, ex quo talia consequuntur. 11) *A resurrectionis analogo.* Corpora illorum, quos dies novissimus deprehendet vivos, non redigentur in pulverem & cinerem, sed morti ac resurrectioni analogam immutationem experientur, 1 Cor. XV. 51. de illis igitur dici nequit, quod substantiæ ratione alia corpora sint sortituri. Atqui si de vivis id dici nequit, utique etiam de mortuis id sentiendum non est. 12) *A nomenclatura mortis.* Mors vocatur in scripturis *dormitio & somnus*, resurrectio vero *evigilatio.* Iam vero corpus dormiens & evigilans est idem numero corpus. Ergo corpus mortuum & resuscitatum est idem numero corpus. Confer ea, quæ de fundamentis resurrectionis diximus superius, omnia enim probant, eorumdem corporum resurrectionem fore.

§. LXIX. III) Ex *perpetuo ecclesiae consensu*, qui proponitur 1) in publicis eius *confessionibus ac symbolis.* In symbolo *apostolico* dicimus: *credo remissionem peccatorum*, (propter Christum) *resurrectionem carnis*, (in Christo) *& vitam aeternam*, (cum Christo) qui confessionis ac fidei articulus in ecclesiis Africanis δεικτικως fuit pronunciatus: *credo resurrectionem huius carnis.* Cyprianus vel potius Ruffinus in exposs. symboli p. 386. [illegible]

uno addito pronomine tradit: huius carnis resurrectionem. *Huius sine dubio, quam is qui profitetur, signaculo crucis fronti impositio contingit, quo sciat unusquisque fidelium, carnem suam, si mundam servaverit a peccato, futuram esse vas honoris, utile Domino.* Symbolum Athanasii: *omnes homines resurgent cum corporibus suis.* 2) In *veterum ecclesiae doctorum dictis.* Iustinus apol. II. pro Christ. p. 50. ημεις χριστιανοι τα νεκρωμενα και εις γην βαλλομενα παλιν αναλυεσθαι εαυτων σωματα προσδοκωμεν. Irenæus lib. V. adv. hær. cap. 13. p. 331. *Dicant nobis hi, qui contraria dicunt, id est, qui contradicunt suae saluti, summi sacerdotis mortua filia & viduae filius, qui circa portam mortis efferebatur, & Lazarus, qui in monumento quartam habebat diem, in quibus resurrexerint corporibus? In iisdem ipsis scilicet, in quibus & mortui fuerant. Si enim non iisdem ipsis, videlicet nec iidem ipsi, qui mortui erant, resurrexerunt &c. Sicut igitur qui curati sunt, in his, quae ante passa fuerunt membra, curati sunt, & mortui iisdem surrexerunt corporibus, membris & corporibus ipsorum percipientibus curationem & eam vitam, quae dabatur a Domino per temporalia praeformante aeterna & ostendente, quoniam ipse est, qui curationem plasmati suo & vitam praestare potest, uti ei de resurrectione quoque credatur sermo, sic & in fine in novissima tuba clamante Domino resurrecturi sunt mortui &c.* Tertullianus lib. de resurrect. carn. cap. 51. ad verba apostoli: *oportet corruptibile hoc induere incorruptionem*, sic adnotat: *quantitativam & eamdem numero essentiam digito demonstrat, magis enim expresse loqui non poterat, nisi cutem suam manibus teneret.* Cap. 63. pag. 347. *Resurget caro & quidem omnis & quidem ipsa & quidem integra.* Hilarius in Psalm 51. *Non aliud corpus, quam vis in aliud resurget; fit demutatio, sed non aufertur abolitio.* In Psalm. 55. *Resurrecturis omnibus non ab exteriore materia corpus adquiritur, neque peregrinae originis externarumque causarum natura recipitur, sed idipsum in profectum aeternae claritatis emergit, fitque in eo demutatione potius quam creatione, quod novus sit.* Ephremus serm. de resurrect. *Restituet terra corpus hominis illud, quod suscepit, sive id a fera discerptum, sive ab ave comestum, sive a quovis animante devoratum fuerit, & ne unus quidem capillus hominis in conspectu iudicis deerit.* Libr. I. de compunct. cord. cap. 7. *Pulvis qui putruerat, id est, humana caro auditus vocem tubae vivificabitur. Unumquodque ossium innumerabilium curret propriam iunctturam inquirens, surgentes quoque clamabunt omnes & dicent: gloria ei, qui nos congregavit, & propter suam clementiam resurgere fecit.* Athanasius in vita Antonii refert, Antonium iam iam moriturum dixisse: *confido in Domino, quia necessario resurrectionis tempore hoc corpusculum resurget incorruptum.* Hieronymus epist. LXI. *Fidem ecclesiae apertissime confitebor. Resurrectionis veritas catholica fide carne & ossibus sine sanguine & membris intelligi non potest.* Lib. I. adv. Iovin. *In resurrectione eadem erit corporum substantia, qua nunc utimur, licet auctior gloria.* Idem adv. error. Ioh. Hierosol. *Non in aliis quibusdam peregrinis corporibus, sed in iisdem, quibus nunc circumdamur, & in quibus nunc sepelimur, speramus nos resurrecturos.* Confer eiusdem in Esa. LIX. Ruffinus in expos. symb. p. 386. *Unicuique animae non confusum aut extraneum corpus, sed suum, quod habuerat, reparabitur, ut consequenter possit pro agonibus praesentis vitae cum anima sua caro vel pudica coronari, vel impudica puniri.* Pag. 387. *Numquid corpus suum contingentis & digito palpantis vox est, quando apostolus dicit: oportet hoc*

corruptibile induere incorruptionem? Macarius homil. XV. *Sicut acus in ignem proiecta mutato colore vertitur in ignem, non tamen plane deleta est natura ferri, sed subsistit: ita in resurrectione resurgent omnia membra, ac lumine & igne tinguntur, mutantur quidem, at non resolvuntur, aut in ignem evadunt, ut ultra non subsistat natura.* Prudentius: in apotheos. hymn. ult.

Nosco meum in Christo corpus consurgere, quid me
Desperare iubes? veniam, quibus ille revenit,
Calcata de morte viis, quod credimus hoc est,
Et totus veniam, nec enim minor, aut alius quam
Nunc sum, restituar. Vultus vigor & calor idem,
Qui modo vivit, erit, nec me vel dente vel ungue
Fraudatum removet patefacti fossa sepulcri.

Augustinus in enchir. cap. 84. *Resurrecturam carnem omnium, quicunque nati sunt, hominum, atque nascentur, & mortui sunt atque morientur, nullo modo dubitare debet christianus.* Gregorius lib. XIV. moral. cap. 29. *Dubietatem de reparatione vera corporis abstulit, qui ait:* Et rursum circumdabor pelle mea. *Qui adhuc ad auferendas ambages cogitationis nostrae subdit:* Et in carne mea videbo Deum. *Ecce resurrectionem, ecce carnem, ecce pellem apertis fatetur vocibus. Quid ergo remanet, unde possit mens nostra dubitare? &c. Si post resurrectionem corpus palpabile non erit, profecto alius surgit, quam moritur, quod dictu nefas est credere, quia ego morior, & alius resurgat?* cap. 30. *Si enim, sicut quidam errorum sequaces arbitrantur, post resurrectionem corpus palpabile non erit, sed invisibilis corporis subtilitas caro vocatur, quamvis substantia carnis non sit, profecto alius est, qui moritur, & alius, qui resurgit. Sed b. Iob hanc eis sententiam veridica voce destruit, qui ait:* quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. *Nos autem b. Iob fidem sequentes & redemtoris nostri post resurrectionem corpus palpabile veraciter credentes, fatemur carnem nostram post resurrectionem futuram & eamdem & diversam; eamdem per naturam, diversam per gloriam; eamdem per veritatem, diversam per potentiam. Erit itaque spiritualis, quia & incorruptibilis. Erit palpabilis, quia non amittet essentiam veracis naturae.* Similia occurrunt apud Epiphanium in ancor. p. 505. & adv. Hierac. p. 305. Chrysostomum hom. 41. in 1 Cor. Theophylactum in c. 12. Marc. &c. Gersonem in expos. XI. artic. fid. *Credendum est in resurrectione idem corpus, quod per mortem cecidit, ad eumdem Spiritum id est, ad eamdem animam rediturum.* Lutherus in com. c. 2. Gen. tom. I. p. 37. *Sicut Adam admirabundus dicit:* hoc est os ex ossibus meis, *& tamen sic suavi somno oppressus fuit, ut non sentiret id eximi; sic in illa die dicemus: ecce hoc corpus a vermibus corrosum in quantam subito gloriam surgit?*

§. LXX. Antithesis:

Antithesis.

I.) de *Origene* referunt Epiphanius haeres. LXIV. Hieronymus in epist. ad Pamm. & in apol. contr. Ruffin. Damascenus de haer. &c. *quod eorumdem numero corporum, quibus in hoc seculo vestimur, resurrectionem negaverit, quod concesserit quidem homines resurrecturos in corporibus, sed aereis vel aere subtilioribus, non autem constantibus carne & membris.* Quidam tamen statuunt, Origenem (qui propter adsiduum & indefessum scriptionis laborem *Adamantius* dictus

dictus fuit) ab hoc errore fuisse alienum, quia Pamphylus sive Martyr sive alius quis in apol. quam pro illo scripsit p. 888. oper. Orig. & tom. IV. oper. Hier. p. 187. ex scriptis eius evincere conatur, ipsum de resurrectione mortuorum catholice sensisse, ut verisimile sit, ea quæ ab Epiphanio ipsi tribuuntur, ab hæreticis vel invidis hominibus dolo malo scriptis illius Græcis, ut in Latina versione factum esse constat, fuisse inserta, quamvis alii diversum statuant. Confer Augustinum hær. XLIII. Ruffinum in com. de adulter. libror. Origenis, Erasmum in censur. in libr. Orig. Iohannem Picum Mirandulanum in Apol. p. 199. Alphonsum a castro adv. hær. in verb. *resurrectio* error. I. Sixtum Senensem libr. V. biblioth. adnot. 148. Negari nequit, Origenem in aliquot locis ipsorummet corporum resurrectionem adserere, ac graviter conqueri, quod habuerit aucupes sermonum, semper deditos ad criminandum, ut venenatas in eum linguas vibrarent. Forte igitur *carnis* nomine, quam a resuscitatis corporibus removet, qualitates vitiosas, non autem corpoream substantiam intellexit, quod postea in alienum sensum ipsius malevoli detorserunt. II) *Euthymius* Origenis vestigiis insistens locum apostoli 1 Cor. XV. 50. *Caro & sanguis non possidebunt regnum Dei*, sic explicat, quod *beati in cælo non sint habituri corpus carneum, sed aereum.* III) Nicephorus lib. XIV. hist. eccl. c. 45. refert, *tempore Theodosii imperatoris de mortuorum resurrectione ingentem disputationem Constantinopoli ortam. Quidam enim resurrectionem prorsus non esse opinati sunt, quidam autem ægre quidem, sed crediderunt tamen, defunctos excitatum iri, apertis & irrefragabilibus scripturarum sacrarum testimoniis adducti alio prorsus & mutato corpore. Ut primum enim corpus illud, quod variis modis solutum abolitumque sit, resuscitetur, fieri non posse, sed praeter id aliud nulla praecedente materia, divina, quae omnia perficit, voluntate denuo restitutum una cum anima resurrecturum esse existimarunt.* IV) *Eutycius*, Constantinopolitanæ urbis episcopus, teste Gregorio lib. XIV. moral. cap. 29. scripsit, *corpus nostrum in illa resurrectionis gloria fore impalpabile ventis aereque subtilius*, cui Gregorius sic respondet: *in illa resurrectionis gloria erit corpus nostrum subtile quidem per effectum spiritualis potentiae, sed palpabile per veritatem naturae.* Et postea subiicit: *cum hac de re in longa contentione perducti gravissima a nobis inciperemus simulatione resilire, imperator Tiberium Constantin. me & illum* (Eutycium) *suscipiens, quid inter nos discordiae versaretur, agnovit & utriusque partis adlegationibus destruens deliberavit, ut flammis eremari debuisset, a quo ut egressi sumus, me aegritudo valida, eumdem vero Eutycium aegritudo & mors protinus est secuta. Quo mortuo, quia pene nullus erat, qui eius dicta sequeretur, dissimulavi cœpta persequi, ne in favillas viderer verba iaculari. Dum tamen adhuc viveret, & ego validissimis febribus aegrotarem, quicunque noti mei ad eum salutationis gratia pergebant, ut eorum relatione cognovi, ante eorum oculos pedem manus suae tenebat, dicens: confiteor, quia omnes in hac carne resurgemus, quod sicut ipsi fatebantur, omnino prius negare consueverat.* V) *Hincmarus* beatos dixit post resurrectionem futuros ισαγγελους per humanæ substantiæ in angelicam mutationem; cent. Magd. IX. c. 4 p. 205. VI) *Armenios & Albigenses* in eodem cum Origene versari errore referunt Guido de hær. Eimer. part. II. q. 13. & Antoninus part. IV. sum. tit. 11. c. 7. VII) *Durandus* ne per Dei quidem absolutam potentiam

tentiam fieri posse disputat, ut idem numero corpus resurgat. VIII) *Anabaptistae*, de resurrectione ex mortuis in colloquio Franckenth. art. XXVIII. sic loquuntur: *Fore resurrectionem ex mortuis credimus, verum eamdem ipsam carnem & sanguinem, sicut iam habemus, regnum Dei possessuram, nunquam docuimus, sed contrarium, nempe carnem & sanguinem regnum Dei non possessuram. Quale autem corpus nobis Dominus daturus sit, & quantum de hac carne & de ossibus his ad illud corpus sit usurus, ipsi permittimus.* Vid. etiam colloquium Embd art. 14. IX) De *Suencfeld.* sic scribit Ioach. Vadianis in epist. ad Ioh. Zuicc. anno 1540. *Arridet eis supra modum Origenis dogma de carne nostra olim per gloriam in naturam prorsus spiritualem mutanda & absorbenda.* X) *Mich. Servetus* dial. I. de Trin. p. 29. *Illud esse creaturae, quod per incarnationem Christus adquisivit, ita ac si res esset accidentalis, amissum est in resurrectione.* (Idem de piis Christi membris statuere cogetur.)

§. LXXI. XI) *Photiniani* contendunt, *corpora resuscitatorum sine carne & sanguine fore, unde illam ipsam carnem, quam circumferimus, ratione essentiae eamdem olim resurrecturam negant.* Socinus in resp. ad Pucc. p. 20. *Mori debet corpus hoc quod habemus, ut aliud novum inde nascatur.* Ostorodus in inst. cap. 41. p. 389. *Paulus de credentium corporibus disputans, quod post resurrectionem non sint futura terrena, sed spiritualia & caelestia, postquam scilicet a mortuis resurrexerint, expresse concludit, quod caro & sanguis regnum Dei hereditare non possint;* 1 Cor. XV. 50. *ubi nomine carnis & sanguinis corpora carnalia intelligit* pag. 390. *Si Christus non habet terrenum nec carnale, sed spirituale & caeleste corpus, consequens est, credentes non habituros terrena vel carnalia, sed spiritualia & caelestia corpora, quia corpus nostrum humile transfigurabit, ut conforme reddat corpori suo glorioso.* Pag. 394. *Quod attinet verba symboli de resurrectione carnis, sciendum, quod non possint esse tantae auctoritatis, ut contra scripturae testimonia ipsis credi debeat, quia nondum demonstratum est ab apostolis illud esse compositum, (ut nihil dicamus de eo, quod quidam statuunt, ea quae de fide in Spiritum sanctum usque ad finem habentur, non esse partem symboli genuinam, sed posterioribus demum temporibus additam) quamvis videatur verba de resurrectione carnis probe consistere posse, modo recte intelligantur, ut sit sensus, illud, quod fuit caro, esse resurrecturum, non autem, quod caro ipsa sit resurrectura, sicut Christus* Matth. XXI. 31. *dicit, publicanos ac meretrices praecessuras esse Pharisaeos in regno caelorum, hoc est, qui fuerunt publicani & meretrices, sed tales esse desierunt,* 1 Cor. VI. 9. Denique concludit, *se non quidem credere resurrectionem carnis, si κατα ρητον intelligatur, interim tamen resurrectionem corporum ac proinde resurrectionem mortuorum credere.* Qui est ipsissimus error Iohannis Hierosolymitani, contra quem iam olim disputavit Hieronymus in epist. ad Pamm. p. 173. sic scribens: *Haec est omnis causa, cur in expositione fidei tuae ad decipiendas aures ignorantium novies corpus, ac ne semel quidem carnes nominas, dum homines putant te carnes in corporibus confitari, & idem carnes esse quod corpus.* Et postea: *alia carnis, alia corporis definitio est. Omnis caro est corpus, non omne corpus est caro. Caro est proprie, quae sanguine, venis, ossibus, nervisque constringitur, corpus quamquam & caro dicatur, interdum tamen aethereum vel aereum nominatur, quod tactui visuique non subiacet &c. Vides nos intelligere subtilitates vestras atque arcana, quae in cubiculis atque*

que inter perfectos loquimini, & quae populus foris ſtans nec meretur audire, proferre in medium. Reſp. 1) De loco 1 Cor. XV. 50. cui unice Oſtorodus innititur, paulo poſt agemus, hic unicum illud monemus, apoſtolum loqui de *carne animali, peccato onerata & corruptioni obnoxia.* Ea, quatenus talis eſt, non poteſt regnum Dei poſſidere, ſed requiritur, ut peccati labes abſtergatur, & corruptioni ſuccedat αφθαρσια, qualitas ergo mutabitur, ſed ipſa interim ſubſtantia erit eadem. 2) Id quod clariſſimis verbis teſtatur apoſtolus, quia illud ipſum corpus, quod ſeminatur εν φθορα, reſurrecturum εν αφθαρσια, v. 43. quod ſeminatur εν ατιμια, reſurrecturum in gloria, quod ſeminatur εν ασθενεια, reſurrecturum in virtute, v. 44. illud ipſum corpus, quod eſt animale, in reſurrectione fore ſpirituale v. 45. & 47. hoc ipſum corruptibile induiturum αφθαρσιαν, hoc ipſum mortale induiturum αθανασιαν v. 53. adſerit. 3) Duo connectit apoſtolus in corporis ſpiritualis denominatione, ſubſtantiam & qualitatem, ſubſtantia erit eadem, videlicet *corpus*, qualitas autem mutabitur, quia ſeminatur corpus *animale*, reſurget corpus *ſpirituale.* Sed hæc mutatio qualitatum non infert ipſius ſubſtantiæ abolitionem, tam vere enim eſt & vocatur corpus, quando eſt ſpirituale, quam vere eſt & vocatur corpus, quando eſt animale. Auguſtinus in ench. cap. 9. *Sicut nunc corpus animale dicitur, quod tamen corpus, non anima eſt: ita tunc ſpirituale erit corpus, tamen non ſpiritus.* Sicut homo ægrotus, quando iterum convaleſcit, non exuit priſtinam naturam ſeu ſubſtantiam, ſed novas in ea qualitates, vigorem ſcilicet & ευρρασιαν adquirit: ſic in reſurrectione non mutabitur corporis ſubſtantia, ſed novis qualitatibus exornabitur. 4) Corpus non habens ſubſtantiam carnis & oſſium, eſt corpus non corpus, σωμα ασωματον, eſt ſpiritus. Iam vero ſpiritus & corpus ſunt duæ ſpecies αντιδιηρημενως ſibi invicem oppoſitæ, ac proinde corpora reſuſcitatorum non erunt ſpiritus, ſed erunt, uti etiam ab apoſtolo vocantur, *corpora ſpiritualia*, id eſt, ornata qualitatibus & donis ſpiritualibus, interim non amittent corpoream ſubſtantiam, nec mutabuntur in ſpiritualem eſſentiam, alias corpora eſſe deſinerent, ac proinde corpora ſpiritualia vocari non poſſent. Anshelmus in proſol. cap. 25. *Erit corpus ſpirituale, non quidditate, ſed poteſtate.* Auguſtinus lib. XXII. de civ. Dei cap. 21. *Erit ſpiritui ſubdita caro ſpiritualis, ſed tamen caro non ſpiritus, ſicut carni ſubditus fuit ſpiritus ipſe carnalis, ſed tamen ſpiritus non caro.* Libr. II. de civ. Dei cap. 22. circa finem: *Spiritualia erunt iuſtorum corpora poſt reſurrectionem, non quia corpora eſſe deſiſtent, ſed quia ſpiritu vivificante ſubſiſtent.* 5) Corpora carnalia dicuntur vel ratione *ſubſtantiae carneae*, vel ratione *qualitatum animalium*, ac reſpectu *adhaerentis corruptionis.* Priori ſenſu corpora reſuſcitatorum erunt carnalia, poſteriore vero minime. 6) Chriſtus poſt reſurrectionem & adſcenſionem in cœlum habet corpus glorificatum, ſpirituale, incorruptibile, interim tamen verum humanum corpus carne & ſanguine conſtans, Luc. XXIV. 39. ſic & noſtra corpora erunt glorificato Chriſti corpori conformia, interim tamen ratione ſubſtantiæ erunt vera corpora habentia carnem & ſanguinem. 7) Verba ſymboli apoſtolici: *credo reſurrectionem carnis*, exactiſſime cum ſcriptura conſentiunt, ut ex fundamentis noſtræ ſententiæ liquido conſtat, proinde etiam ſcripturæ opponi minime debent. 8) Symbolum apoſtoli-

ſtolicum ab ipſis apoſtolis compoſitum eſſe magno conſenſu docent pii veteres: Cyprianus vel Ruffinus in expoſ. ſymboli, Ambroſius epiſt. 81. ad Siricium & ſerm. 38. Hieronymus in epiſt. ad Pammach. Auguſtinus ſerm. 115. & ſerm. 181. de tempor. Leo epiſt. 13. ad Pulcheriam, ac ſerm. 11. de paſſione, Caſſianus de incarn. libr. VI. Iſidorus Hiſpalenſis, lib. II. de offic. cap. 23. Maximus in ſerm. de ſymb. Qui dubitant, an ab ipſis apoſtolis in univerſum orbem ad prædicandum evangelium diſceſſuris collectum ſit, diſerte tamen adſtruunt, ab ipſis apoſtolis eſſe viſum & adprobatum. Pacianus in epiſt. 1. ad Sempronium. Antiquiſſimi ſcriptores eccleſiaſtici, Irenæus & Tertullianus nomine traditionis apoſtolicæ totidem vere verbis ſymbolum illud recitant. Ille quidem lib. II. adv. hær. cap. 41. p. 172. ac libr. I. adv. hær. cap. 2. p. 34. Hic vero in libr. de præſcript. adv. hæreſ. p. 110. ac de veland. virginib. p. 566. 9) Quod ſymbolo apoſtolico ea, quæ de fide in Spiritum ſanctum uſque ad finem habentur, poſterioribus demum ſeculis addita ſint, figmentum eſt Oſtorodi ſine ulla probabili coniectura excogitatum. Confundit hæreticus ſymbolum apoſtolicum cum Nicæno. Symbolum Nicænum terminatur in illa clauſula: *& in Spiritum ſanctum*; ac reliqua, quæ ſequuntur: *Dominum & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur, qui locutus eſt per prophetas*, propter Macedonianos in Conſtantinopolitana ſynodo fuere addita. Sed tam in apoſtolico, quam in Nicæno & reliquis eccleſiæ ſymbolis ſemper adiectus fuit articulus de reſurrectione carnis. 10) Detorſio illa, *quod non ſit reſurrectura caro, ſed duntaxat illud, quod olim fuit caro*, adverſatur textui apoſtolico & perſpicuis ſcripturæ dictis ſuperius enumeratis. 11) Qui carnis *huius* reſurrectionem negat, is revera etiam mortuorum reſurrectionem negat, ſi non ex toto tamen ex parte. Aut enim animæ aut corporis reſpectu homo dicitur reſurgere. Non animæ reſpectu, quia illa perſiſtit immortalis, nec unquam in mortem naturalem cadit; ſed nec corporis reſpectu, ex Photinianorum hypotheſi, quia non reſurget illud ipſum, quod cecidit. Ergo nulla erit reſurrectio, ſed novi corporis non corporis creatio. Quod iam ante exſiſtit, reſurgere nequit. Anima iam ante exſiſtit, eſt enim immortalis, & reſtat poſt mortem, reſurrectio igitur proprie ſic dicta animæ adſcribi nequit. Num vero corpus reſurget? at negant Photiniani illa ipſa corpora, quæ circumferimus, eſſe reſurrectura? quid ergo reſurget, quæ pars hominis? nulla.

§. LXXII. Oſtorodo concinit Smalcius in libr. de divin. Chriſti, cap. 13. p. 79. & in refut. eorum quæ Smiglecius in examinatione centum errorum propoſuerat pag. 36. ubi ſic ſcribit: *corpora haec, quae nunc circumferimus, reſurrectura non credimus, ſed alia nobis danda eſſe ab apoſtolo edocti ſumus.* Ibidem pag. 57. *Verba ſymboli:* credo reſurrectionem carnis, *ita intelligi poſſunt: credo id iterum futurum, quod olim caro fuit. Nam ſic legimus, quod Deus reſuſcitaturus ſit corpora noſtra mortalia*, Rom. VIII. 11. *pro eo, quod nos, qui nunc ſumus mortales, reſuſcitaturus ſit. Reſurgent enim ii, qui antea mortui ſunt, non mortales ſed incorruptibiles.* Ibidem locum apoſtolicum 1 Cor. XV. 53. ſic depravat: *Paulus per vocem induendi non intelligit retentionem corruptibilis & adeptionem praeterea incorruptibilis, ſed*

sed loco corruptibilis substitutionem incorruptibilis, nam hanc inductionem postea per absorptionem explicat, imo probat; absorptio autem est abolitio prioris & substitutio alterius, quemadmodum veteri veste abiecta nova induitur. Idem in exam. 121. error. pag. 33. *Non potest Smiglecius excutere veternum illum, quo somniat, immortalia corpora in illo beato seculo futura talia, quae ex carne, sanguine & ossibus constant, quo vix aliquid absurdius & Christi religione indignius cogitari potest.* In exam. 157. error. err. 103. p. 29. *Post resurrectionem futuri erimus similes Deo in natura etiam quoad corpora.* Error. 15. *corpora immortalia stomachos non habitura* adserit. Contra disp. VII. post D. Frantz. p. 415. *Stante eo, quod corpora nostra futura sint gloriosa, impossibile est, corpora talia olim exstitura, quae carnem & sanguinem habeant, toto enim genere differunt caro & sanguis & spiritus.* Resp. 1) Non quaeritur, quomodo verba symboli: *credo resurrectionem carnis;* intelligi vel potius detorqueri *possint*, sed quomodo iuxta fidei analogiam in perspicuis scripturae locis propositam intelligi *debeant.* 2) Si illud ipsum iterum futurum, quod olim caro fuit, utique substantiae ratione idem numero corpus resurget. Aut enim ratione substantiae, aut ratione qualitatum id iterum futurum, quod olim caro fuit. Non ratione qualitatum, ut constat. Ergo ratione substantiae. 3) Confundit haereticus distinctas quaestiones. Alia enim quaestio est, an substantiae ratione eadem sint futura corpora resuscitata, & viciſſim alia quaestio est, an qualitatum ratione eadem sint futura. Ad priorem adfirmate, ad posteriorem negate respondemus. 4) Proinde quando apostolus dicit, *Deum resuscitaturum mortalia nostra corpora*, non ratione qualitatis, videlicet mortalitatis, sed ratione substantiae eadem corpora resuscitanda docet, ut sit sensus, eadem illa corpora, quae in hac vita sunt mortalia & corruptibilia, resuscitanda esse in die novissimo, sed immortalia & incorruptibilia. Nequaquam igitur mutandum est *quod* in *quatenus*, nec confundenda ϰτια corporum & eiusdem ποιοτητες. Resuscitabit Deus corpora nostra mortalia, non autem quatenus mortalia, sive sub iisdem qualitatibus. 5) Nequaquam vero, quod de accidente, videlicet mortalitate diximus, ad substantiam, videlicet ad carnem adplicari debet, quasi verba symboli: *credo resurrectionem carnis*, eodem modo exponi debeant, credo resuscitationem eius, quod in hac vita fuit caro, quia το mortale esse pertinet ad ποιοτητας, quae mutabuntur, το carnem habere ad ϰσιαν, quae eadem erit. 6) Si το φθαρτον τϰτο induiturum est αφθαρσιαν, si το θνητον τϰτο induiturum est αθανασιαν, ut disertis verbis apostolus adserit, utique etiam illud ipsum corpus, quod in hac vita est corruptibile & mortale, resurget incorruptibile & immortale. Ruffinus in expos. symb. p. 387. *Hoc, quod nunc corruptibile corpus est, resurrectionis gratia incorruptibile erit, & quod nunc mortale est, immortalitatis virtutibus induetur &c. non natura carnis abiecta sed conditione eius & qualitate mutata.* Quemadmodum idem homo manet, quando exuta veste detrita novam induit: sic idem corpus manebit, quod exuta φθορα induet αφθαρσιαν. Non ipsum το φθαρτον, sed την φθαραν exuendam & illius loco αφθαρσιαν induendam esse apostolus docet. 7) Quod Smalcius dicit, *apostolum per vocem* induendi *non intelligere retentionem corruptibilis & adeptionem praeterea incorruptibilis, sed loco corruptibilis substitutionem incorruptibilis*, ambigue dicitur, vel enim

nim de substantia corporis loquitur, vel de eiusdem qualitatibus. Priori sensu negamus, quod a Smalcio adfirmatur, videlicet substantiæ corporis corruptibilis abolitæ substituendam fore aliam substantiam corporis incorruptibilis; posteriori autem sensu concedimus, qua ratione stylus sic fuisset informandus, apostolum per vocem *induendi* non intelligere retentionem της φθορας corruptionis & *corruptibilitatis* ac adeptionem præterea αφθαρσιας & incorruptibilitatis, sed loco φθορας & corruptibilitatis substitutionem αφθαρσιας & incorruptibilitatis, quod των αμφων amplectimur. 8) *Absorptionem* non refert apostolus ad ipsam corporis corruptibilis substantiam, sed ad eiusdem qualitatem, ad φθοραν scilicet και θανατον, ad corruptibilitatem & mortalitatem, *tunc*, inquit, *fiet sermo, qui scriptus est, absorpta est mors in victoria, id est, victorioſe ac glorioſe*, ut in sempiternum devicta & prostrata iaceat, nec amplius in beatos dominari possit.

§. LXXIII. XII) *Vorstius* Photinianizans in tract. de Deo p. 200. *In futuro seculo non amplius caro & sanguis erimus, sed ισαγγελοι & spirituales.* In diatrib. epist. p. 169. *Ingens mutatio olim futura est. Non enim tales erimus in resurrectione, quales hic sumus, ut de carne & ossibus, cuiusmodi quidem nunc habemus, intempestiva quaestio sit.* Vid. Sladum in addend. I. discept. contra Vorstium p. 74. XIII) *Weigelius* Suencfeldianus & enthusiasta in tract. de loco mundi cap. 22. p. 74. sic disserit: *der Leib aus Adam ist nicht der Mensch, er ist aus dem* limo terræ *tödtlich, sterblich, der innere Leib aus dem Munde Gottes ist der Mensch, der muß durch die neue Geburt vom Heiligen Geist* incarniret, *ein neu Fleisch gen Himmel bringen, denn so unsere Leiber im Himmel sollen grobe eusserliche Adamische Knochen Gliedmassen haben aus dem* limo terræ, *so wär es wider den Glauben und wider die heilige Schrift.* Et paulo post: *das Fleisch Adä wird erweket zum Gericht in guten und bösen Menschen. Wir müssen alle im tödtlichen Adamischen Fleisch für Gericht mit guter Vernunft und Sinnen, aber nach gehaltenem Gericht fället dieser Adamische Leib abe, und allein der neue himmlische Leib kommet mit Christo in sein Reich, an den Verdammten bleibet auch der Adamische Leib nicht, er fället abe, vergehet mit den Elementen und mit ihren ewigen Leibern werden sie geworffen in den feurigen Pful &c.* XIV) *Methistae* Ezechielis Methi adsecla Anabaptistarum, Suencfeldianorum & enthusiastarum soboles itidem negant idem numero & substantia corpus ex mortuis resurrecturum. XV) *Schegkius* in antisimonio sect. IX. pag. 420. *Si proprietates corporis glorioſi aliae sunt, etiam subiectum nempe substantia corporis glorioſi alia erit.* Et postea distinguit inter *substantiam hominis resurgentis*, & inter *substantiam corporis, hominemque eumdem, non autem idem corpus fore* concludit, cum quo consentit illud Alber. in orat. de resurrect. ubi disputat, *ex quatuor elementis tanquam ex nova materia conflatos homines resurrecturos, ut sic identitas non in humani corporis materia, sed tantum in eius forma, id est, anima sit exstitura, atque ideo idem numero homo propter formam, id est, animam resurrecturus dicatur.* (Atqui 1) Si *idem homo* resurget, utique etiam *idem corpus*, quia partes essentiales hominis sunt anima & corpus. 2) Si identitas animæ requiritur ad identitatem hominis, utique etiam identitas corporis, quia sola anima non est homo, sed anima corpori unita. 3) Si eadem numero corpora resurgent, utique aliam essentiam non habebunt, quia

quia unitas numeralis præsupponit unitatem essentialem. 4) Ex mutatione proprietatum non potest inferri mutatio ipsius subiecti, quia aliud est substantiæ alteratio, aliud vero abolitio, ac potest una eademque substantia sine sui abolitione ac essentiali mutatione diversa recipere accidentia. Sicut ratione substantiæ non fuit aliud corpus in Adamo, quod ante lapsum erat immortale, post lapsum mortale, sic non erit aliud corpus nostrum, quod in hac vita est mortale, post resurrectionem immortale.) Idem Schegkius d. l. *corpora gloriosa materiae expertia fore* statuit, *cum futura sint immutabilia.* (Atqui 1) veritas corporis requirit etiam veritatem materiæ, cum *corpus sine materia facere sit insomnium sine somno statuere.* Scaliger exerc. CCCLIX. sect. 11. 2) Si corpora resuscitata futura essent αυλα, nec beatorum corpora cœlestem gloriam, nec damnatorum ignis infernalis pœnam perciperent. 3) Corpora materiata & materiæ expertia ασια ac specie differunt, iam vero scriptura docet, eadem numero & substantia corpora esse resurrectura. 4) Sicut in corpore primi hominis fuit materia absque proclivitate ad corruptionem, ac sicut in Christi corpore post resurrectionem fuit materia absque δυναμει αντιφασεως, ita quoque beatorum corpora in futuro seculo erunt materiata, omnis tamen corruptionis & proclivitatis ad corruptionem expertia, quia δυναμις αντιφασεως non est ipsa materiæ essentia, quæ manebit, sed qualitas, quæ abolebitur. Confer Meisnerum part. I. sobr. phil. sect. 3. cap. 2. q. 1. & 2.) XVI) *Goclenius*, philosophus Marpurgensis, in colleg. philosoph. theol. disp. XXV. f. 222. contendit, quod *in corpore mortuo adhuc vitalis quaedam vis remaneat, ex qua in αναξιωσει Deus novum & spirituale corpus sit productur*us, quam opinionem peculiari scripto refellit Weberus, amicus noster honorandus. Conformis est hæc opinio Origenis somnio, quod in lib. περι αρχων proponit. *In seminibus rerum* (inquit) *insita est ratio quaedam & vis a Deo, ut ad se trahat omnem futuram materiam & corpulentam substantiam rerum, quae inde proveniunt, nec tamen in semine arboris videntur fructus, flores, folia, rami, cortex, truncus, cum alioquin in illo ratio & vis horum omnium existat: sic se rem habere dicit in cineribus & residua corporum nostrorum materia, ac vim illam vocat απιωθησιμον και αντεριον*, vel ut Erasmus in scholiis ad Hieronymum emendavit, σωτηριον, quod est *conservatorium vel seminarium mortuorum*, id autem *tradit iudicii extremi tempore germinaturum & pullulaturum humana corpora, sed non carnes, ossa & sanguinem, ne in cœlis opus habeamus cibo, potu, nuptiis, tonsoribus &c.*

§. LXXIV. Argumenta adversariorum potiora hæc sunt: 1) Ex *oraculo salvatoris*, Matth. XXII. 30. Luc. XX. 36. *filii resurrectionis erunt* ισαγγελοι και ως αγγελοι. *Ergo in angelicam naturam convertentur.* Resp. 1) Similitudo non est identitas, ομοιοτης και ισοτης non est statim ταυτοτης. 2) Invertimus igitur argumentum. Beati erunt *similes* vel æquales angelis. Ergo non erunt angeli. Quod in alterius substantiam commutatur, desinit illi esse *simile*, ac fit *idem*, similitudo enim ad minimum est inter duo. Sic aquam in vinum conversam nemo potest dicere vino similem, quia desiit esse aqua. 3) Beati erunt ισαγγελοι non per *essentiam naturae*, sed per *convenientiam qualitatum & gloriae*, unde non di-

Argumenta adversariorum 1) ex Matth. XXII. 30.

cuntur αγγελοι, sed futuri ως αγγελοι. 4) Idem colligitur ex scopo. Disputat Christus contra Sadducæos corporum resurrectionem ex mulieris septemviræ exemplo absurditatem rationis involvente oppugnantes, ac negat corpora resuscitatorum per generationem multiplicanda & propaganda, cum beati futuri sint ισαγγελοι immortales, incorruptibiles & ingenerabiles. 5) Huc referenda dicta veterum. Tertullianus lib. de resurrect. carnis p. 347. *Erunt tanquam angeli. Si non nubendo, quia nec moriendo, utique nec ulli simili necessitati succidendo corporalis conditionis. Quia & angeli aliquando tanquam homines fuerunt edendo & bibendo & pedes lavacro purgando. Humanam enim induerant superficiem, salva intus substantia propria. Igitur si angeli facti tanquam homines in eadem substantia spiritus, carnalem tractationem susceperunt, cur non & homines facti tanquam angeli in eadem substantia carnis spiritualem subeant dispositionem, non magis solennibus carnis obnoxii sub angelico indumento quam angeli tunc solennibus spirituum sub humano. Nec ideo non permansuri in carne, quia non & in solennibus carnis, cum nec angeli ideo non in spiritu permanserint, quia non & in solennibus spiritus. Denique non dixit, erunt angeli, ut homines negaret, sed tanquam angeli, ut homines conservaret. Non abstulit substantiam, cui similitudinem attribuit.* Methodius apud Epiphanium lib. II. tom. I. adv. hæres. p. 183. *Christus non dixit, erunt angeli sed sicut angeli, nempe gloria quidem & honore, velut scriptum est, coronati, verum paululum ab angelis evariantes & propemodum ut angeli. Quemadmodum si quis dixisset, ubi bona aeris constitutio est & tranquillitas noctis & omnia aetherea lunae luce ornata, luna lucet velut sol, non omnino sole carentem lunam esse, ipsum testari diceremus, sed sicut solem. Quemadmodum & quod non est aurum, prope autem est, ut sit aurum, sicut aurum dicitur, & non aurum. Si vero esset aurum, non diceretur velut aurum, sed aurum. Quando vero non est aurum, sed propemodum est aurum, & imaginetur quis aurum, velut aurum dicitur. Ita etiam velut angelos fore in resurrectione. non hoc ipsum proferre audimus ipsum, sanctos videlicet fore angelos, sed prope ut sint angeli &c.*

§. LXXV. II) Ex loco apostolico 1 Cor. XV. 50. *Caro & sanguis non possidebunt regnum Dei. Ergo corpora resuscitata & glorificata non habebunt carnem & sanguinem.* Resp. 1) Apostolus in eodem capite eiusdem numero & substantia corporis resuscitationem perspicue adserit, ut superius ostendimus. 2) Non ergo de ipsa corporis substantia απλως in se considerata, sed de adhærente carnis corruptione & eiusdem in hac vita conditione apostolus loquitur, quod scilicet corpus quatenus & quamdiu est animale, mortale, peccato corruptum, vitiosis inclinationibus obnoxium &c. non possit regnum Dei hereditare, sed necessarium sit, ut qualitatum, non autem substantiæ ratione mutetur. 3) Hanc interpretationem probat connexio textus apostolici v. 49. inquit: *Sicut portavimus imaginem terreni*, (Adami scilicet in hac vita) *sic portabimus imaginem cœlestis*, (Christi scilicet in futura vita) v. 50. subiungit, οτι *quia caro & sanguis non possidebunt regnum Dei*, id est, ideo dico nos gestaturos imaginem cœlestis, quia caro & sanguis sive corpus animale & mortale, quatenus adhuc tale, non potest regnum Dei possidere. Probat επεξηγεσις immediate subiecta, *neque corruptio*, inquit, *haere-*

II) ex 1 Cor. XV. 50.

reditabit incorruptelam, id est, caro & sanguis corruptibilis, quatenus scilicet talis, & corpus corruptibile, quatenus tale, non possidebit regnum cœlorum. Probat illatio v. 53. subiuncta, *quia caro & sanguis* corruptibilis, quatenus & quamdiu est talis, *non potest regnum Dei possidere*, ideo *oportet corruptibile hoc induere incorruptionem & mortale hoc induere immortalitatem*, ubi vides notanter distinguere apostolum inter φθορὰν καὶ φθαρτὸν inter *corruptionem & corruptibilitatem* tanquam abstractum & concretum, adiunctum & subiectum, caro sublata corruptione possidebit regnum Dei; corruptio autem exsulabit, manente carnis substantia, omnis mortalitatis & corruptibilitatis conditio cessabit abolita. Probat oppositio præmissa v. 43. *Caro & sanguis sive corpus seminatur in corruptione, resurget in incorruptione.* v. 43. *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria, seminatur in infirmitate, surget in virtute.* v. 44. *Seminatur corpus animale, surget spirituale;* utique ergo idem corpus, quod in hac vita est corruptibile, ignobile, infirmum, animale, in resurrectione erit incorruptibile, glorioſum, virtute præditum & spirituale. Probat denique fidei analogia. Ut enim corrupta nostra natura non potest regnum cœlorum consequi, nisi regeneretur ac renovetur per Spiritum sanctum, Ioh. III. 5. sic corpora nostra non possunt regni cœlestis fieri participia, nisi prius φθορὰν & corruptibilitatem exuerint, ac proinde non *substantiae* sed *culpae* nomine caro & sanguis a regno Dei arcentur. 4) Qua de re sic loquuntur pii veteres in dicti huius apostolici explicatione: Irenæus lib. V. cap. 12. p. 326. *Quotquot id, quod salvat & format in vitam, non habent, hi consequenter erunt & vocabuntur caro & sanguis, quippe qui non habent Spiritum Dei in se &c.* p. 327. *Caro sine Spiritu Dei mortua est non habens vitam, regnum Dei possidere non potest, sanguis irrationalis velut aqua effusa in terram, & propter hoc ait: qualis terrenus, tales & terreni. Ubi autem Spiritus Patris, ibi homo vivens, sanguis rationalis ad ultionem a Deo custoditus, caro a Spiritu obsessa oblita quidem sui, qualitatem autem Spiritus adsumens conformis facta est verbo Dei &c. Sicut sponsa adsumere sponsum non potest, adsumi autem a sponso potest, cum venerit & acceperit eam sponsus, sic & caro haec secundum seipsam, id est, sola regnum Dei hereditate possidere non potest, hereditate autem possideri in regno Dei a Spiritu potest.* p. 328. *Nolite errare, quoniam nisi verbum Dei inhabitaverit & Spiritus Patris fuerit in vobis, vane autem & prout evenit, conversati fueritis, quasi tantum caro & sanguis existentes regnum Dei possidere non poteritis &c.* Tertullianus lib. de resurr. *Caro & sanguis nomine culpae, non substantiae arcentur a regno Dei.* Ambrosius in comm. 1 Cor. XV. *Frequenter scriptura carnem pro operibus nominat carnis, ut ibi: vos autem in carne non estis, sed in spiritu. Aliter caro, sicut est, regnum Dei non possidebit, nisi immortalitate vestita.* Augustinus cont. adv. legis & proph. lib. III. cap. 6. *Paulus aut carnis & sanguinis nomine corruptionem carnis significavit, quae in resurrectione non erit: aut carnem & sanguinem ad omnes illecebras secularium voluptatum carni & sanguini deditas retulit, quibus regnum Dei non possidetur.* In ench. cap. 91. *Quantum attinet ad corruptionem & ad vitia, quibus caro adversus animam concupiscit, tunc non erit caro, quantum ad substantiam, etiam tunc erit caro.* Gregorius libr. XIV. mor. cap. 29. *In sacro eloquio aliter caro dicitur iuxta naturam, atque aliter iuxta culpam vel corruptionem. Caro quippe iuxta naturam sicut*

ut scriptum est: hoc nunc os ex ossibus meis & caro de carne mea, Gen. II *Verbum caro factum est*, Ioh. I. *Caro vero iuxta culpam sicut scriptum est: non permanebit Spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt*, Gen. VI. *Vos in carne non estis, sed in Spiritu*, Gal. IV. *Neque enim in carne non erant, quibus epistolas transmittebat, sed quia passiones carnalium desideriorum vicerant, iam liberi per virtutem Spiritus in carne non erant. Quod ergo Paulus apostolus dicit: quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt; carnem vult secundum culpam intelligi, non carnem secundum naturam, unde & mox, quia carnem secundum culpam diceret, ostendit subdens: neque corruptio incorruptelam possidebit. In illa ergo cœlestis regni gloria caro secundum naturam erit, sed secundum passionum desideria non erit, quia devicto mortis aculeo in aeterna incorruptione regnabit.* Bonaventura lib. IV. sent. dist. 42. *Loquitur apostolus de carne & sanguine non quantum ad substantiam, quia secundum substantiam caro & sanguis iustorum hominum perpetuo in regno manebunt post resurrectionem, sed loquitur quantum ad concupiscentiae corruptionem, ut intelligitur, quod qui carnaliter vel secundum concupiscentiam carnis & sanguinis vivunt, regnum Dei possidere non poterunt.* 5) Frustra Oſtorodus excipit, *scopum apostoli nequaquam esse, quod demonstrare velit, qui & quales homines salvandi sint, sed qualia corpora christiani sint habituri, tum illi, qui ex mortuis resurrecturi sunt, tum illi, qui immutabuntur;* utrumque enim in hoc capite tractat apoſtolus, tum το οτι, quod ſcilicet vere & certo pii ſint reſurrecturi, tum το πως, in qualibus corporibus reſurrecturi & in cœleſtem gloriam recipiendi ſint, videlicet in corporibus non animalibus, ſed ſpiritualibus, non peccato & corruptioni obnoxiis, ſed glorificatis & immortalibus, ut ſeries totius capitis ſole clarius demonſtrat. Oſtorodi exceptio proprie oppoſita eſt Irenæi Ambroſii & Theophylacti interpretationi, qua per carnem intelligunt *opera carnis, quae facientes regnum Dei non possidebunt*, Gal. V. 21. non autem noſtræ, qua per carnem & ſanguinem intelligitur corpus animale, mortale & corruptibile, quale fuit Adami poſt lapſum, & quale geſtamus in hac vita, tale enim corpus non habebimus in vita altera, ſed ſpirituale, immortale & incorruptibile. 6) Regeris, *apostolum sibi invicem opponere imaginem terreni, quam gestamus in hac vita, & imaginem cœlestis, quam gestaturi simus in vita altera, ex quo consequatur, corpora nostra in vita aeterna non fore terrenae substantiae.* Reſp. ſicut Chriſtus dicitur *cœleſtis* non ratione *ſubſtantiae*, quaſi e cœlo cœleſte corpus attulerit, ac perb. virginem inſtar aquæ per canalem tranſierit, ſed tum ratione *originis*, quia ſupra naturæ ordinem cœleſti virtute Spiritus ſancti ex virgine natus & conceptus eſt, ut Hilarius lib. I. de Trinit. & Auguſtinus ad Oroſ. q. 4. explicant, tum præcipue ratione *qualitatum*, quia eſt glorioſus & incorruptibilis, ut ſunt corpora cœleſtia, & quia cœleſtem vitam duxit, ſemperque fuit impeccabilis, ut Tertullianus de car. Chriſti cap. 8. & Beda in comm. exponunt; ſic Adam dicitur *terrenus* non proprie ratione *ſubſtantiae*, ſed tum ratione *originis*, quia ex terra factus eſt, tum ratione *qualitatum*, quia ex peccato mortalitatem & alias qualitates corporis terreni, animalis, mortalis & corruptibilis contraxit, Auguſtinus lib. XIII. de civ. Dei cap. 23. agit enim apoſtolus de qualitatibus corporum ad vitam æternam reſuſcitatorum, ut ſeries textus oſtendit, ac Chriſti corpus glorioſum ut exemplar iſtarum qualitatum

pro-

proponit, quo sensu ac respectu Christum vocat cœlestem.

§. LXXVI.

III) ex 1 Cor. XV. 36. similitudine apostolica 1 Cor. XV. 36. *Quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur*, v. 37. *& quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, puta tritici, aut alicuius caeterorum*, v. 38. *Deus autem dat illi corpus sicut voluit, & unicuique seminum proprium corpus. Ergo alia corpora resurgent, quam quae fuerunt instar seminis cuiusdam terrae mandata.* Resp. 1) Similitudines quæcunque non sunt extendendæ ultra tertium, cuius respectu instituitur collatio. Christus ad iudicium se venturum dicit *instar furis*, Matth. XXIV. 43. Luc. XII. 39. Apoc. XVI. 15. quo simili etiam apostolus utitur, 1 Thes. V. 2. Sed hoc non est extendendum ultra comparationis tertium, quod est repentinus & improvisus adventus. 2) Idem iudicium esto de hac apostolica similitudine, quæ in hisce potissimum consistit membris: Sicut semina in terram proiecta prius computrescunt, antequam progerminent: sic corpora nostra in terræ pulvere prius computrescere & in cinerem redigi oportet, antequam ad vitam resuscitentur. Ioh. XII. 24. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert.* Sicut semina in terram proiecta divina virtute efficaciter operante e terra iterum progerminant; sic corpora nostra ex terræ pulvere divina virtute sunt resuscitanda. Sicut semen surgit mutata qualitate, ariditate scilicet in viriditatem amœnissimam; sic corpora nostra deposita mortalitate & corruptibilitate resurgent immortalia ac incorruptibilia, quippe glorioso Christi corpori conformia. *Quemadmodum nudum granum feritur sine folliculi veste, sine fundamento spicae, sine munimento aristae, sine superbia culmi, exsurgit autem copia fœneratum, compagine aedificatum, ordine structum, cultu munitum & usque quaque vestitum, atque istud est corpus, quod illi Deus dat longe quidem praestantius, quam satum fuit; sic etiam mortuis & putrefactis hominibus multo ornatiora corpora Deus daturus est, eadem scilicet substantia, sed qualitate & conditione longe diversa & praestantiora.* 3) Si absolute ac simpliciter hanc similitudinem accipere, eamque ultra comparationis tertium extendere velimus, multa absurda ex ea possemus colligere, quia collatio ostendit, ut in aliis similitudinibus, ita quoque in hac ipsa multa occurrere dissimilia. Seminis vivificatio est opus naturæ, id est, ordinariæ Dei potentiæ, sed mortuorum resuscitatio est supernaturale & extraordinarium divinæ potentiæ opus. Seminum vivificatio quotannis contingit, sed mortuorum resuscitatio semel tantum in die novissimo sequetur. Seminum vivificatio fit per causas mediatas, requirit calorem solis & pluvias tempestivas, sed mortuorum resuscitatio est immediatum & proprium divinæ potentiæ opus. Semina post sec[illegible]nem aut ustionem non germinant, sed omni ex parte intereunt, at resurgent etiam illi martyres, qui frustatim dissecti aut combusti, ut ex lustino in qq. & respons. ad orth. q. III. p. 360. superius monuimus. Semen non idem numero, sed specie surgit, at corpora nostra eadem numero suscitabuntur. Unum semen, sive unum granum multa producit, sed ex uno corpore non resurgent multa, sed illud ipsum corpus, quod cecidit, resurget. Grana ex semine pronata sunt corruptibilia, sed corpora resurgent incorrupti-

ruptibilia. 4) Confert Christus suum corpus cum grano tritici, quod in terram coniicitur & putrefit, antequam surgit, Ioh. XII. 24. nec tamen corpus Christi putrefactum est, nec aliud, sed illud ipsum e mortuis est resuscitatum. Ex similitudine ergo seminis nequaquam substantiæ diversitas, sed duntaxat diversa corporum qualitas inferri potest. 5) Ex verbis igitur apostolicis: *non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum*; non debet inferri: ergo non idem numero corpus, quod seminatur, resurget, sed hoc tantum sequitur: Ergo non tale corpus, quale seminatur, resurgit. Duobus enim modis potest accipi ταυτο idem, vel ratione *essentiae*, vel ratione *qualitatum*. Granum & culmus, qui ex grano nascitur, sunt specie idem, qua ex materia & forma ut substantialibus grani partibus, quæ manent, culmus nascitur, nec grano fabæ tritici corpus adstruitur, sed eadem natura & forma sementi retinetur & substantia in eadem natura servatur. Non autem idem sunt granum & culmus ratione accidentium, quæ alia sunt in culmo, quam in grano. Chrysostomus hom. XLI. in priorem ad Corinthios: *spica eadem est, & non eadem. Eadem iam haec, quia substantia eadem, non eadem, quia melipr.* Gregorius libr. XIV. moral. cap. 29. *Grano seminis non deest, quod erat; sed adest, quod non erat.* Confer Cramerum de spirit. corporis glorificati mysterio cap. p. 33.

§. LXXVII. IV) Ex 1. Corinth. XV. 51. *Non omnes quidem obdormiemus, omnes autem* αλλαγησομεθα, *immutabimur. Iam vero quod immutatur, substantiam amittit & transit in alienam, ut cum ex aqua fit vinum, aqua dicitur mutari in vinum. Ergo etiam substantiae, non autem qualitatis duntaxat mutatio fiet in corporibus resuscitatis.* Resp. 1) Mutatio duplex est, *essentialis* & *accidentalis*, a genere igitur indeterminato ad speciem determinatam non potest argumentum formari affirmativum. 2) Qualem αλλαγην apostolus intelligat, ibidem diserte exponit per vocabulum *induitionis*, v. 53. ac Phil. III. 21. per verbum μετασχηματιζειν, quo σχημα duntaxat non autem ουσιαν abolendum innuit. Tertullianus lib. de resurrect. cap. 55. *Discernenda est demutatio ab omni argumento perditionis. Aliud enim demutatio, aliud perditio est. Periisse enim est in totum non esse, quod fuerit. Mutatum esse aliter esse est. Porro dum aliter est, ipsum potest esse. Habet enim esse, quod non perit. Mutationem enim passum est, non perditionem.* 3) Verbum illud, quo apostolus hoc loco utitur, quidam deducunt ab αλλος & αγειν, ut mutatio secundum locum proprie significetur. Lutherus in comment. h. l. *Graecum verbum* αλλαγησομεθα, *quo Paulus hoc loco utitur, peculiariter ita mutari dicitur, ut cum rem de loco in alium transponimus. Exempli gratia, cum aliquid ex aqua in continentem transferimus, aut e terra in aerem: ita quoque in illo die in monumento oculi alio in loco & alia forma inveniemur, qui illa ipsa hora ante aut domi aut in campo fuimus, ac subito aut a mensa aut e lecto aut e labore, sicuti ibimus, stabimus aut sedebimus aut iacebimus, hinc auferemur. Itaque in monumento oculi mortui iuxta ac vivi & in totum immutati erimus & supra in nubibus volaturi. Eiusmodi mutationem hic Paulus innuit, quamquam haec quoque alteram mutationem qualitatis comprehendit, de qua supra egit, qua corpus illustratur.*

IV) Ex 1 Cor. XV. 51.

§. LXXVIII. V) Ex ratiocinatione. Diversarum ope-

V) Ex ratiocinatione.

operationum, cuiusmodi sunt generatio ac reparatio, diversi sunt termini secundum subſtantiam, ac proinde aliud corpus eſt, quod primo generatur, aliud quod in reſurrectione poſtmodum reparatur. Cum ſignum in cera imprimitur & rurſus confunditur, non manet eadem forma, ac proinde non poteſt dici idem numero ſigillum, ſi rurſus in eadem cera imprimatur. Reſp. 1) Ratiocinationes philoſophicæ non poſſunt nec debent opponi articulis fidei ex clara ſcripturæ litera demonſtratis. 2) Operatio agentis infiniti & omnipotentis perperam exigitur ad normam agentium finitorum naturaliter & ſecundum communem ordinem operantium. 3) Diverſitas cauſarum non infert diverſitatem ipſius producti. 4) In reſuſcitatione nec nova anima nec corpus novum formantur, ſed anima priſtina ſine corruptione immortalis permanens corpori priſtino ex terræ pulvere reformato iterum unitur. 5) Quamvis interrumpatur το εἶναι compoſiti reſpectu mutationis, quæ alia eſt in corpore primum generato & poſtmodum in reſurrectione reparato, non tamen interrumpitur ſecundum ſe vel reſpectu principiorum eſſentialium, quæ eadem permanent, ex diſtinctione ergo mutationum non poteſt inferri diſtinctio terminorum ſecundum ſubſtantiam. 6) Cum alia adquiritur forma, eſt quidem mutatio alia; non autem vice verſa, ubi alia eſt mutatio, ibi neceſſe eſt eſſe aliam formam, cum eadem forma diverſis mutationibus adquiri poſſit, ſicut idem πῦς diverſis motibus localibus recto & circulari adquiri poteſt. 7) Si veſtimentum aliquod prius diſſutum iterum conſuatur, fit idem numero veſtimentum non aliud, aut ſi horologii rotulæ diſſolvantur, ac eædem purgatis ſordibus rurſus compingantur, non eſt aliud, ſed idem numero horologium; ſic eadem numero erit humani corporis eſſentia, quod diſſolutum a Deo iterum componetur, ac remotis infirmitatibus e pulvere ſuſcitabitur. 8) Diſpar eſt ratio ſigni ceræ impreſſi, quod eſt *forma accidentalis*, & animæ humanæ, quæ eſt *forma hominis eſſentialis*. Signum ceræ impreſſum, cum ſit forma accidentalis extra ſuum ſubiectum non ſubſiſtens, ideo ſi confundatur, prorſus interit, ac proinde quando in eadem cera imprimitur, non eſt idem numero ſignum: ſed anima rationalis eſt forma eſſentialis per ſe etiam extra corporis domicilium ſubſiſtens, proinde quando corpori e terra reſuſcitato divina virtute iterum coniungitur, idem numero compoſitum efficit. 9) Etſi non poteſt dici idem numero ſigillum, ſi rurſus in eadem cera imprimatur, manet tamen eadem cera: ſic etſi confunditur figura ſubſtantialis corporis humani in ſepulcro, quia tamen eadem materia cum propriis individuantibus divina virtute reſtituetur, idem numero corpus reſuſcitatum iri recte ſtatuitur.

§. LXXIX. VI) Eodem fere modo reſpondendum ad ſimilem ratiocinationem: *quaecunque differunt ſpecie, non conveniunt numero. Corpus mortuum & corpus vivum differunt ſpecie, quia vivum & mortuum ſpecie differunt. Ergo non conveniunt numero, & per conſequens corpora reſuſcitata non ſunt eadem numero, quae defuncta.* Quidam reſpondent per diſtinctionem, *corpus hominis duobus modis conſiderari poſſe. Primo quatenus corpus eſt. Deinde quatenus eſt corpus humanum. Quatenus corpus eſt, conſideratur in ordine ad elementorum naturam, & eſt cadaver, & ſic dici poſſe ſpecie differre, ſicut cadaver & corpus vivum, a quo proxime factum eſt, differunt. Deinde conſide-*

 rari

rari corpus in respectu ad animam suam tanquam formatum ad propriam suam formam, & hunc respectum inter animam & corpus esse cum mutuo quodam adpetitu & inclinatione, ut docet Bonaventura part. VII. breviloq. cap. 5. *in hoc respectu animam intueri, adpetere & desiderare suum & non aliud corpus tanquam competens suum habitaculum & vicissim corpori tanquam formato inesse vi creationis & inspirationis divinae, cuius semel particeps factum est, adfectionem, per quam alienatur ab omnibus aliis animabus, ac retinere suum* εἶναι *humanitatis in ipsa animae essentia residuum & quasi positum in sequestro.* Quod si alicui dubium videatur, an corpori mortuo talis adfectio & velut adpetitus proprii corporis competat, simplicius respondere poterit, identitatem numericam inter corpns vivum & resuscitatum æstimandam esse non respectu termini a quo proprioris, qui est corpus mortuum, sed remotioris, qui est corpus in hac vita adhuc vivum.

§. LXXX. VII) Quidam etiam urgent dictum 1 Cor. VI. 13. *Deus & ventrem & escas destruet. Ergo in resurrectione ut cessabunt escae, ita quoque venter, & per consequens corpora resuscitata nec stomachos nec ventres nec carnes habebunt.* Resp. apostolus de ventre non ratione *substantiae*, sed ratione *usus* proprie agit, quod scilicet in morte venter ita destruatur, ut non amplius escis pascatur, & quamquam in resuscitatione corporis homini reddendus sit, non tamen amplius escis indigebit. Καταργησει igitur η κοιλια tum in hac vita per mortem tum in altera vita ratione usus cibi ac potus. VIII) Epiphanius contra Manichæos refert, quod Manes resurrectionem corporis impugnarit ex dicto apostolico 1 Cor. V. 5. *Scio* (dicebat) *spiritum salvari absque corpore. Hoc enim apostolus dicit: tradatur talis satanae in interitum carnis, ut spiritus salvetur in die Domini, hinc inferebat, non fore resurrectionem corporum aut carnis.* Resp. non potest hic locus opponi clarissimis scripturæ dictis, quæ corporum resurrectionem adstruunt. Quidam igitur interitum carnis exponunt de corporis emaciatione, exhausti scilicet per tristitiam vitali succo, spiritus nomine intelligunt ipsam animam, cui κατ' ἐξοχην salus tribuatur, 1 Petr. I. 9. Quidam per carnis interitum adflictionem corporis a satana illatam intelligunt. Ambrosius lib. I. de pœnitent. cap. 12. tom. I. p. 160. *Sicut Dominus in animam sancti Iob potestatem non dedit, sed in carnem eius permisit licentiam: ita & hic traditur satanae in interitum carnis, ut serpens terram eius lingeret, non noceret;* vide locum integrum ac sequens cap. 13. Simplicius & phrasi scripturæ convenientius est, per *carnem* accipere hominem veterem, per *spiritum* vero novum, ut sit sensus incestuosum ideo fuisse excommunicatum, ut ex huiusmodi pœna, pudore, dolore, tristitia & pœnitudine exorta, vetus homo ac caro, quæ ad peccatum eum solicitaverat & induxerat, dometur, crucifigatur ac interimatur, ut novus ac interior homo reviviscat, & ad vitam æternam conservetur. IX) Hieronymus in epist. ad Avitum refert, Origenem hoc argumento resurrectionem carnis impugnasse: *e duobus alterum suscipere cogimur, ut aut desperemus similitudinem Dei, si eadem semper sumus corpora habituri, aut si beatitudo eiusdem cum Deo vitae promittimur, eadem, qua vivit Deus, alia nobis conditione utendum est.* Resp. 1) Primus homo ad Dei imaginem & similitudinem erat conditus, ac nihilominus verum habebat corpus.

Ergo

Ergo corporis veritas & Dei similitudo sibi invicem non adversantur. 2) Similitudo Dei, ad quam homo conditus, & ad quam in vita æterna reformabimur, non in substantia, sed in qualitatibus quærenda. 3) *Christus corpus nostrum humile transfigurabit, ut reddatur conforme corpori suo glorioso*, Phil. III. 21. ergo similitudo Dei & Christi, ad quam in vita æterna transfigurabimur, præsupponit veritatem corporis, tantum abest, ut eam evertat. 4) Similitudinem illam nostram cum Deo Iohannes collocat in Dei visione, non autem in corporis abolitione & in spiritualem substantiam conversione, 1 Ioh. III. 2. *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicut est.*

Argumentum pro diversitate materiae in corporibus resuscitatis.

§. LXXXI. Qui diversitatem materiæ in corporibus resuscitatis agnoscunt, hoc utuntur argumento: *materiae identitas ad numericam & essentialem unitatem nequaquam requiritur, sed sufficit, si eadem forma permaneat. Sic in augmentatione & adcretione nova materia adponitur, ac nihilominus idem numero subiectum manere censetur. Quamvis igitur statuatur, futuram aliam corporis resuscitati materiam, tamen propter unam eamdemque animam idem homo resurrecturus nihilominus creditur ac statuitur.* Resp. 1) Scriptura docet, non tantum eumdem hominem, sed etiam idem numero corpus resurrecturum esse, ut superius ostendimus. 2) Huic veritati in scripturis patefactæ non debent opponi probabiles dissertationes philosophicæ. 3) Alia est ratio resurrectionis alia adcretionis. In adcretione materiæ novæ adsumtio fit successive, nec materia prior tota absumitur, sed eidem nova per varias alterationes mutata adiungitur, unde numerica compositi unitas per adcretionem minime evertitur. Vide colleg. Conimbr. in comm. libr. I. de generat. & corrupt. cap. 4. quæst. 1. Sed qui diversitatem materiæ in corporibus resuscitatis adserunt, omnem veteris materiæ substantiam interire, ac plane novam in momento eidem substitui adserunt, quo pacto numerica identitas persistere nequit. 4) Distinguendum igitur inter mutationem materiæ *essentialem* & *quantitativam*. In adcretione & alteratione physica materia mutatur, tantum quoad *quantitatem*, non autem quoad *essentiam*. At qui diversitatem materiæ in resuscitatorum corporibus adserunt, essentialem materiæ mutationem introducunt, & per consequens identitatem numericam eiusdem labefactant. 5) Ad idem numero compositum requiritur non solum formæ sed etiam materiæ identitas, cum non unum duntaxat sed duo distincta sint compositi principia essentialia, forma scilicet ac materia. Quare si hypothesin de numerica identitate hominis resuscitandi tueri velimus, materiæ sive corporis essentialem diversitatem adserere nequaquam possumus.

Erunt aliae corporis qualitates.

§. LXXXII. Quamvis vero, uti demonstratum hactenus, *substantiae* ratione eadem corpora, quæ in hac vita gessimus, in resurrectione simus recepturi, *qualitates* tamen eorum aliæ ac diversæ erunt, id quod apostolus 1 Cor. XV. 36. multis confirmat. Veteres dicunt, eadem fore corpora *substantia numerali*, diversa vero *qualitate dotali*. Martialis in epist. ad Burdegal. cap. 8. *Non quidem evacuabitur veritas corporis, sed non erit pondus & fragilitas corruptionis.* Augustinus libr. XIII.

de civit. Dei, cap. 23. *Tunc non terrenus, sed cælestis erit homo, non quia corpus, quod de terra factum est, non ipsum erit, sed quia dono cælesti iam tale erit, ut etiam cælo incolendo non amissa natura sed mutata qualitate conveniat.* Sed illæ ipsæ corporum resuscitatorum qualitates, quarum ratione a corporibus animalibus in hac vita distinguuntur, adcurate sunt distinguendæ. Quædam enim *communes* sunt omnibus resuscitatis tam impiis quam piis, tam incredulis quam credentibus. Tales sunt ἀφθαρσια και ἀθανασια, incorruptibilitas & immortalitas, quia enim impiorum animæ & corpora perdenda sunt (non interimendo sed cruciando) in gehenna, Matth. X. 28. quia vermis eos rodens *non morietur*, & ignis eos urens, *non exstinguetur*, Esa. LXVI. 24. Marc. IX. 44. 46. & 48. ideo corpora eorum itidem resurgent incorruptibilia & immortalia, ab animabus nunquam separanda, sed ad æternos & nunquam desituros cruciatus reservanda. Ex quo etiam intelligitur ἀφθαρσιαν και ἀθανασιαν in corporibus impiorum longe diversam esse ab ἀφθαρσια και ἀθανασια impiorum, tum ratione *adiunctarum reliquarum qualitatum*, tum ratione *finis*. Ruffinus in expos. symb. p. 387. *Corpus, quod resurget a mortuis, erit incorruptibile & immortale non solum iustorum, sed etiam peccatorum. Iustorum quidem, ut semper possint permanere cum Christo, peccatorum vero, ut absque internecione sui debitas luant pœnas.* Pag. 388. *Dabitur & peccatoribus incorruptionis & immortalitatis de resurrectione conditio, ut, sicut iustis ministrat ad perpetuitatem gloriae, ita peccatoribus ad prolixitatem confusionis & pœnae.* Quædam vero qualitates *propriae* sunt solis piis ad vitam æternam resuscitatis, quas divus apostolus 1 Cor. XV. hoc recenset ordine: *Seminatur in corruptione, resurget* ἐν ἀφθαρσια, v. 43. *seminatur in ignominia, resurget in gloria, seminatur in infirmitate, resurget in potentia*, v. 44. *seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale*, v. 45. *sicut portavimus imaginem terreni, ita portabimus etiam imaginem cælestis*, v. 49. ac Phil. III. 21. dicit, quod *Christus corpus nostrum humile conforme sit redditurus corpori suo glorioso secundum efficaciam, qua potest sibi subiicere omnia*; ex quibus colligitur, corpora piorum ad vitam æternam resuscitatorum fore non solum incorruptibilia & immortalia, sed etiam 1) *glorificata, glorioso*, quia inenarrabili decore, splendore & gloria adeoque divino lumine, claritate & fulgore velut pallio vestientur; *fulgebunt sicut sol*, Matth. XIII. 43. *sicut stellae firmamenti*, Dan. XII. 3. cuius tamen fulgoris & claritatis certi ac distincti erunt gradus, 1 Cor. XV. 41. Ruffinus in expos. symb. p. 386. *Quid difficile videbitur eos fulgorem solis habituros & siderum ac firmamenti huius splendore decorandos, quibus vel vita & conversatio angelorum Dei paratur in cælis, vel conformandi dicuntur ad gloriam corporis Christi.* 2) *Potentia*, quia a δυνταις δυσχερειαις & prioribus infirmitatibus, doloribus ac morbis, quibus in hac vita fuere subiecta, penitus erunt libera, ac proinde firma, valida, impassibilia, agilia, subtilia, quibus nec pondus nec gravitas obsistere poterunt, quo minus in occursum Domini in aera rapiantur, 1 Thess. IV. 17. Ruffinus d. l. *Sacrosancta sanctorum corpora in tantam gloriam resurrectionis mutabuntur, ut in occursum Domini suspensa nubibus & aere vectata rapiantur, cum ipse apostolus exponens, quantum conferat Deus his, qui diligunt eum, dicat: qui transformabit corpus humilitatis nostrae conforme corporis Filii claritatis suae. Nihil ergo absurdum est, si sanctorum corpora dicant-*

cantur nubibus in aere suſtolli, tum ad formam corporis Chriſti, quod in dextra Dei ſedet, dicantur eſſe reformanda. Auguſtinus lib. XXII. de civ. Dei cap. 6. *Aberit a corporibus noſtris omnis deformitas, omnis tarditas, omnis infirmitas, omnis corruptio.* 3) *Spiritualia*, non quidem ratione eſſentiæ, erunt enim non πνευματα, ſed σωματα πνευματικα, ισαγγελοι erimus, non angeli, æquales, non iidem, Matth. XXII. 30. ſed ratione ſpiritualium qualitatum, non erunt amplius animalia corpora, cibi, potus, ſomni & aliorum ſubſidiorum indiga, ſed ſpiritualia, in quibus nulla carnis & ſpiritus lucta, ſed quæ imperio ſpiritus perfecte ſubdita, quæ plene a Spiritu ſancto reguntur, quæ nullis cibis vel adminiculis aliis ad ſui ſuſtentationem indigent. Ruffinus in expoſ. ſymb. p. 385. *Reſurrectionis virtus angelicum hominibus confert flatum, ut qui de terra ſurrexerunt, non iterum in terra cum pedibus, ſed in cœlo cum angelis vivant, quos tamen ad hoc ratio prioris vitae admiſerit.* Auguſtinus de fid. & ſymb. cap. 6. *Corpus ſpirituale ſpiritui promtum praeſtabit obſequium omni fragilitate ac labe terrena in cœleſtem puritatem & ſtabilitatem mutata & converſa.* 4) *Cœleſtia*, itidem non ſubſtantiæ ſed qualitatum ratione, quia cœleſti luce & gloria fulgebunt, non erunt amplius terrenis infirmitatibus obnoxia, ſed cœleſti claritate conſpicua, non erunt amplius deformia, ſordida, manca, mutila, adſpectu turpia, ſed formoſiſſima, adſpectu decora, perfecta, honeſtiſſima, membris integra &c. quarum qualitatum exemplar in Chriſti ex mortuis reſuſcitati & ad dextram Dei collocati corpore, cui noſtrum futurum eſt συμμορφον, nobis proponitur. Impiorum vero ac damnatorum corpora, licet futura ſint incorruptibilia & immortalia, tamen non erunt *impaſſibilia*, ſed æternis cruciatibus obnoxia, nullo decore, nulla gloria, nulla potentia, nulla ſpirituali excellentia ornata, ſed perpetua fœditate & ignominia notata, opprobrio ſempiterno deſtinata & infernalibus tenebris oppreſſa. Sunt enim *vaſa adparata ad ignominiam & contumeliam*, Rom. IX. 21. 2 Tim. II. 20. Sed de his corporum glorificatorum dotibus in tractatione de vita æterna uberius diſſeremus.

§. LXXXIII. *Incorruptibilitatem & immortalitatem* eſſe corporum ad vitam æternam reſuſcitatorum qualitates, ex Chriſti ex mortuis reſuſcitati exemplo noſtrates probant, quibus opponunt ſeſe Photiniani, negantes *Chriſti corpus a reſurrectione fuiſſe immortale*, id quod probant ex *cicatricibus*, quas corpori immortali tribuere abſurdum ipſis videtur, proinde hac in re diſcrimen ponunt inter *reſurrectionem Chriſti*, quoad eius *modum*, & noſtram. Oſtorodus in inſt. cap. 41. p. 398. Smalcius in exam. 157. errorum, p. 21. Reſp. 1) Abſurdum potius, eum, qui ex mortuis ita reſuſcitatus, ut iam *non amplius moriatur, ac mors illi ultra non dominetur*, Rom. VI. 9. qui *peccato*, id eſt, ad ſatisfaciendum pro peccato *ſemel mortuus*, libere ſcilicet ac voluntarie, v. 10. qui *per mortem deſtruxit eum, qui habebat mortis imperium*, Hebr. II. 14. qui de *morte triumphavit in ſe ipſo*, Col. II. 15. qui reſurrexit ut auctor ac *dux vitae*, Actor. III. 15. imo ut ipſa *reſurrectio ac vita*, Ioh. XI. 25. qui eſt *vivens in ſecula ſeculorum, & habet claves mortis & inferni*, Apoc. I. 18. abſurdum, inquam, eſt, negare eum in corpore immortali reſurrexiſſe. Regerit quidem Oſtorodus d. l. *aliud eſſe non poſſe mori, aliud non eſſe moriturum*, quod probat exemplo eorum, quos dies noviſſimus vivos deprehendet, qui

qui mori quidem poterunt, non tamen morituri sunt, at Christi respectu distinctio illa nullius ponderis, si enim est ipsa resurrectio & vita, si mors non amplius ei dominabitur, si de morte glorioſe triumphavit, utique etiam non ſolum non moriturus resurrexit, ſed etiam non amplius mori potuit. 2) In quo Christi & noſtra resurrectio invicem conferuntur, in eo non debet quæri diſſimilitudo. Sed in eo ipſo, quod Chriſtus reſurrexit in corpore immortali & glorioſo, noſtra & Chriſti reſurrectio invicem conferuntur, 1 Cor. XV. 23. *Primitiae Chriſtus, deinde ii, qui ſunt Chriſti, in adventu eius.* v. 49. *Sicut portavimus imaginem terreni, ſic portabimus imaginem cæleſtis.* Col. I. 18. *Ipſe eſt primogenitus ex mortuis*, quod Apoc. I. 5. repetitur. Ergo in eo non debet quæri diſſimilitudo inter Chriſti & noſtram reſurrectionem. 3) Chriſtus glorificati & immortalis corporis ſpecimen in eo exhibuit, quod clauſo adhuc ſepulcro reſurrexit, quod per ianuas clauſas ad diſcipulos ingreſſus eſt, quod coram diſcipulis ſuis in Emaus ἀφαντος factus, quod in adſcenſione ſua cœlos penetravit, ut in harmonia evang. de reſurrect. late oſtenſum. 4) Si Chriſtus poſt reſurrectionem non habuit corpus immortale & glorificatum, adhuc erit mortalis, quia ὁτως ſic veniet, ὁν τρο-πον quemadmodum viderunt eum diſcipuli proficiſcentem in cœlum, Act. I. 11. ſic redibit, ut in nubibus videri poſſit, Matth. XXVI. 64. Apoc. I. 7. 5) Chriſtus edit ac bibit poſt reſurrectionem, ac diſcipulis cicatrices oſtendit κατ' οικονομιαν, non ob quamdam naturæ indigentiam vel neceſſitatem, ſed ob diſcipulorum utilitatem, ut reſurrectionis veritatem ipſis tanquam præelectis teſtibus demonſtraret. *Ad dubitantium corda ſananda vulnerum ſunt ſervata veſtigia*, qua de re in harm. late fuit diſputatum.

§. LXXXIV. Quæritur circa materiam reſurrectionis. 1) *An corpora, quae in hac vita fuerunt manca ac mutila, reſurrectura ſint perfecta atque integra?* Reſp. quidam diſputant integritatem, perfectionem & ολοκληριαν hominis in quatuor potiſſimum ſpectari. 1) *in illis, ſine quibus non poteſt exiſtere natura humana*, qualia ſunt forma & materia, anima ſcilicet & corpus, ex quorum utpote principiorum eſſentialium unione compoſitum exiſtit. 2) *In iis, quae pertinent quidem ad naturam humanam, ſed non tanta neceſſitate, quin abſque illis ea eſſe poſſit*, ut pes, manus, digitus & ſimilia membra, quæ præter eſſentiam hominis denotant certam quantitatem & figuram. 3) *In iis, quae ad naturam humanam pertinent extrinſece*, eo quod ſecundum conſuetum naturæ curſum non permaneret abſque talibus natura, qualia ſunt humores. 4) *In iis, quae pertinent ad ornatum, ut capilli & alia accidentaria.* Quod ad *primum* attinet, dubium nullum, quin omnes homines tam impii quam pii ea, ſine quibus natura humana exiſtere nequit, in reſurrectione ſint recepturi, id quod definitio reſurrectionis probat. Quod *ſecundum* attinet, diſtinguendum videtur inter *beatos & damnatos*. Illi recipient omnia membra organica, etiam ea quibus hic caruerunt. 1) Quia ut in Adamo ante lapſum fuit perfecta atque integra corporis compages, ita quoque talem integritatem in reſurrectione reſtitutam iri ſperandum, omnia ergo erunt ευρυθμα και ευαρμοςα. 2) Quia ſi eiusmodi integritas abeſſet, beatitudinis perfectioni ac deſiderii naturalis adimpletioni aliquid decedere videretur. 3) Quia corpora beatorum erunt Chriſti cor-

Quaeſtiones de materia reſurrectionis: 1) An corpora, quae in hac vita fuere manca ac mutila, reſurrectura ſint perfecta?

corpori conformia, Phil. III. 21. At illud est omnibus membris ac partibus integrum. 4) Quia gloria perficit naturam non solum quoad animam, sed etiam quoad corpus, quod seminatur in infirmitate, resurget in virtute, 1 Cor. XV. 43. 5) Quia quædam membra ad gloriæ augmentum necessario requiruntur, ut oculus ad beatificam Christi & sanctorum visionem. 6) Quia ἀποκατάστασις πάντων *restitutio omnium* speranda promittitur, Act. III. 20. quod ergo fuit in προτοκτισια, illud restituetur in παλιγγενεσια, unde Cyrillus lib. XII. in Iohannem cap. 58. statuit, *nullas corruptionis reliquias, nullum signum defectus post resurrectionem in hominibus futurum.* Prudentius in apotheosi hymno ultimo:

Quod casus rapuit, quod morbus, quod dolor hausit,
Quod truncavit edax senium populante veterno,
Omne revertenti reparata in membra redibit.
Debet enim mors victa fidem, quae fraude sepulcri
Reddat curtum aliquid, quamvis iam curta vorarit.

Hi vero, damnati scilicet, non videntur recepturi illa membra, quibus in hac vita caruerunt. 1) Quia nihil tribuendum reprobis, quod eorum ignominiam minuat. 2) Quia perfectionis est omnia membra habere integra. 3) Quia non accipient plus boni in futura vita, quam obtinuerunt in hac vita. Si cui tamen probabilius videtur, quod & damnati omnia membra recepturi sunt, distinguat oportet inter membra, quibus a prima inde nativitate caruerunt, & quibus ex casu superveniente postmodum fuere privati, si vel maxime hæc posteriora, non tamen priora recepturi videntur, nec recipient ea ad gloriam, sed potius ad doloris augmentum, quia dolor in pluribus membris extensive maior erit futurus. Richardus libr. IV. sentent. distinct. 44. artic. 1. quæst. 6. *In damnatorum corporibus non erit deformitas per diminutionem, nam si in hoc mundo non habuerit quis brachia vel tibias, tunc illa deformitas reparabitur ad augmentum pœnae, ut puniatur in omnibus membris, quia in hoc mundo bene valuissent brachia ad faciendum mala.* Quod *tertium* concernit, probabile videtur, in omnibus corporibus resuscitatis ea futura, absque quibus natura humana permanere nequit, ubi tamen humores supervacanei quantitate vel qualitate peccantes, itemque excrementitii, etiam illi, quos utiles medici vocant, qui vel ad generationem vel ad nutritionem infantis destinati sunt, ut semen & lac excludendi videntur; quod ipsum etiam de capillis superfluis & aliis accidentariis non improbabiliter statuitur. Præstat tamen in his ac similibus σπεχειν, ne curiose nimis quærentibus, quali corpore resurrecturi sint mortui, ἀφροσυνη ab apostolo tribuatur, 1 Cor. XV. 36. & 37.

§. LXXXV. Quæritur II) *An corpora resuscitata habitura sint partes organicas?* Origenes hoc negavit, unde corpora resuscitata carne & ossibus caritura ac tota homogenea futura statuit. *Nunc* (inquit) *videmus oculis, audimus auribus, incedimus pedibus, verum tunc toto illo corpore videbimus, audiemus & ambulabimus.* 1) Quia teste apostolo, *qui in carne sunt, Deo placere non possunt*, Rom. VIII. 8. 2) Quia partium organicarum nullus futurus est usus: *In resurrectione*

Quaeritur II) An corpora resuscitata habitura sint partes organicas?

non nubent nec nuptui dabuntur, Matth. XXII. 30. Marc. XII. 25. Luc. XX. 35. nec bibent vel comedent, sed *erunt sicut angeli Dei*, stomachus non concoquet cibos; nec epar conficiet sanguinem &c. Contra vero statuendum, corpora resuscitata omnino habitura partes organicas. 1) Quia illæ pertinent ad integritatem corporis. 2) Ingrediuntur illius definitionem. 3) Absque illis non est corpus hominis. 4) Scriptura resuscitatis corporibus tribuit ossa, carnem, cutem, oculos Iob. XIX. Ezech. XXXVII. 5) Christus post resurrectionem corpus organicum retinuit, neque enim pedibus locutus est, sed ore. 6) Aequum est, ut illæ partes, quibus recte sumus usi, præmiis, quibus male, pœnis adficiantur. Ad prius Origenis argumentum respondemus, eum non minori audacia dicto apostolico abuti ad carnis resurrectionem oppugnandam, quam Siricius pontifex eo postmodum abusus est ad matrimonii honestatem deformandam. Constat enim ex serie contextus, το *in carne esse* de carnalibus concupiscentiis spiritui dominantibus & ipso opere externo adimpletis ab apostolo accipi, illos enim in carne esse dicit, *qui secundum carnem ambulant* v. 4. *quae carnis sunt sapiunt* v. 5. *secundum carnem vivunt* v. 13. *ac desideria carnis perficiunt*, Gal. V. 16. quibus opponit eos, *qui sunt in spiritu* v. 9. hoc est, in quibus *spiritus Christi habitat* v. 9. *qui vivunt secundum spiritum* v. 4. *qui sapiunt, qui sunt spiritus*, v. 5. *qui spiritu actiones carnis mortificant*, v. 13. Irenæus lib. V. cap. 12. pag. 328. *Non substantiam carnis reiicit, sed infusionem spiritus attrahit, sive necessariam statuit.* Ad posterius respondemus, membrorum organicorum duplicem esse σχεσιν ac respectum, prior est *materiae ad formam*, posterior *organi ad principium activum*. Priore respectu finis membri non est eius operatio, sed ipsius corporis perfectio, quæ post resurrectionem est necessaria. Definitur enim a philosopho anima, quod sit εντελεχεια σωματος φυσικη οργανικη δυναμει ζωην εχοντος, Aristoteles libr. II. de anim. tom. VI. *est actus primus substantialis corporis organici, potentia vitam habentis.* Posteriore respectu finis quidem membri est operatio, at ubi ea deficit, non statim propterea organum est supervacaneum, quia actus secundi cessatio non tollit actum primum, ac agens instructum est organis non solum ad exsequendam operationem, sed etiam ad potentiæ ostensionem & totius compositi perfectionem. Elias & Moses per 40. dies ventriculum non habuerunt frustra, licet eo non uterentur. Anus effœta, quæ per naturam non potest amplius parere ac lactare, non tamen privatur uberibus vel partibus procreatione ac gestationi sobolis dicatis. Facultas augmentativa homine ad ακμην perveniente non aboletur. Quidam hoc declarant similitudine *ducis victoris*, qui cum rebus in bello præclare gestis obierit, circa sepulcrum arma habet adfixa, quibus olim usus est; *ac navium militarium*, quæ post reportatam victoriam ex mari in terram pertrahuntur, & ad rerum gestarum memoriam integræ adservantur.

§. LXXXVI. Tertullianus libr. de resurr. carn. cap. 60. p. 346. eamdem obiectionem verbis emphaticis amplificatam recitat. *Ecce*, inquit, *ut adhuc controversiam exaggerent carni maxime eidem, de officiis quoque membrorum argumentantur, aut & ipsa dicentes permanere debere in suis operibus & fructibus, ut eidem corpulentia adscripta, aut quia constet discessura esse officia membrorum, corpulentiam quoque eradant, cuius scilicet perseveran-*

rantia credenda non sit, utique sine membris, quia nec membra credenda sint sine officiis. Quo enim iam inquiunt, spelunca haec oris & dentium statio & gulae lapsus & compitum stomachi & alvi gurges & intestinorum perplexa proceritas, cum esui & potui locus non erit? quo huiusmodi membra admittunt, subigunt, devolvunt, dividunt, digerunt, egerunt? quo manus ipsae & pedes & operarii quique artus, cum victus etiam cura cessabit, quo renes conscii seminum & reliqua genitalium utriusque sexus & conceptuum stabula, & uberum fontes, decessuro concubitu & fœtu & educatur? postremo quo totum corpus totum scilicet vacaturum? Respondet autem hoc modo: *ad haec praestruximus, non oportere committi futurorum atque praesentium dispositiones intercessura tunc demutatione, & nunc superstruimus, officia ista membrorum necessitatibus vitae huius eo usque consistere, donec & ipsa vita transferatur a temporalitate in aeternitatem, sicut animale corpus in spirituale, dum mortale illud induet immortalitatem, & ipsa autem liberata tunc vita a necessitatibus, liberabuntur & membra ab officiis, nec ideo non erunt necessaria. Licet enim officiis liberentur, sed iudiciis retinentur, ut referat quis per corpus, prout gessit. Salvum enim hominem tribunal Dei exigit, salvum vero sine membris non licet esse, ex quorum non officiis sed substantiis constat, nisi forte & navem sine carina, sine prora, sine puppi, sine compaginis totius incolumitate salvam adseverabis, & tamen navem procella dissipatam vel carie dissolutam, redactis & recuratis omnibus membris eamdem saepe conspeximus etiam titulo restitutionis gloriantem, de Dei artificio & arbitrio & iure torquemur? Porro si dives dominus & liberalis adfectui aut gloriae suae praestans solam navis restitutionem, hactenus eam voluerit operari, idcirco tu negabis necessariam illi compaginem pristinam, ut exinde iam vacaturam, cum soli saluti navis sine operatione conveniat? igitur hoc tantum diserte sufficit; an Dominus hominem salutis destinando carnem destinarit, an eamdem velit denuo esse, quam non debebis ex futurae membrorum vocatione praescribere denuo esse non posse? Licet enim esse quid denuo & nihilominus vacare, non potest autem dici vacare, si non sit. At enim si sit, poterit & non vacare, nihil enim apud Deum vacabit.* Cap. 61. p. 347. *Sed accepisti homo os ad vorandum atque potandum, cur non potius ad eloquendum, ut a caeteris animalibus distes? cur non potius ad praedicandum Deum? ut etiam hominibus antistes. Denique Adam ante nomina animalibus enuntiavit, quam de arbore decerpsit, ante etiam prophetavit, quam voravit. Sed accepisti dentes ad macellum coronandum, cur non potius ad omnem hiatum & rictum tuum coronandum, cur non potius ad pulsus linguae temperandos, ad vocis articulos offensione signandos? Denique & edentulos audi & vide, ut honori oris & organum dentium quaeras &c. Caeterum & hodie vacare intestinis & pudendis licebit? Quadraginta diebus Moses & Elias ieiunio functi solo Deo alebantur, iam tunc enim dedicabatur non in pane vivit homo, sed in Dei verbo. Ecce virtutis futurae lineamenta! Nos quoque ut possumus, a cibo excusamus, etiam sexum a congressione subducimus. Quot spadones voluntarii? Quot virgines Christo maritatae? Quot steriles utriusque naturae infructuosis genitalibus structi? Si & hic iam vacare est & officia & emolumenta membrorum temporali vacatione, ut in temporali dispositione, nec homo tamen minus salvus est, proinde homine salvo & quidem magis tunc ut in aeterna dispositione, magis non desiderabimus, quae iam hic non desiderare consuevimus.* Cap. 62. *Si angeli facti tanquam homines in eadem substantiae spiritus carnalem tractationem susceperunt, cur non & homines facti tanquam an-*

geli in eadem substantiæ carnis spiritualem subeant dispositionem, non magis solennibus carnis obnoxii sub angelico indumento, quam angeli tunc solennibus spiritus sub humano? &c.

Quæritur III) Cuius staturae futura sint resuscitata corpora?

§. LXXXVII. Quæritur III) *Corpora resuscitata cuius futura sint staturae?* Smalcius cont. disp. VII. poster. D. Frantz. p. 415. *quaestionis illius theologiae studiosos pudere debere* scribit. Sed hoc procedit ex falsa hypothesi, quod non eadem corpora sint resuscitanda. 1) Lombardus lib. IV. sent. dist. 44. lit. a. refert, quod *nonnulli existimaverint omnes fideles resurrecturos secundum mensuram staturae Christi*, ad quod probandum adcommodarint dictum apostolicum Eph. IV. 13. *Donec occurramus in virum perfectum in mensuram aetatis plenitudinis Christi.* Augustinus lib. XXII. de civit. Dei cap. 13. memorat, *quosdam ad idem probandum attulisse locum* Rom. VIII. 29. *quos praescivit, eos etiam praedestinavit conformes fieri imagini Filii Dei*, (cui coniungere potuissent locum Philip. III. 21. *Christus reformabit corpus nostrum humile, ut conforme fiat corpori suo glorioso*) quem hoc sensu acceperunt, ut statura & modus Christi corporis omnium, qui in regno eius erunt, humanorum corporum statuatur futurus. 2) Augustinus ipse de habitudine corporis, in qua resurrecturi sunt infantes, suam hisce verbis exposuit sententiam lib. eiusdem cap. 14. *Quid de infantibus dicturi sumus, nisi quia non in ea resurrecturi sunt corporis exiguitate, qua mortui, sed quod eis tardius accessurum erat tempore, hoc sunt illo Dei opere miro atque celerrimo recepturi. In sententia quippe Domini, ubi ait, capillus capitis vestri non peribit, dictum est, non defuturum esse, quod fuit, non autem negatum est, adfuturum esse, quod defuit. Defuit autem infanti mortuo perfecta quantitas sui corporis, perfecto quippe infanti deest utique perfectio magnitudinis corporalis, quae cum accesserit, iam statura longior esse non possit. Hunc perfectionis modum sic habent omnes, ut cum illo concipiantur atque nascantur, sed habent in ratione, non in mole sicut ipsa iam membra omnia latenter sunt in semine, cum etiam natis nonnulla adhuc desint, sicut dentes ac si quid eiusmodi, in qua ratione uniuscuiusque materiae indita corporali iam quodammodo, ut ita dicam, innatum* (quædam exemplaria habent *lineatam*, quædam *liciatum*, metaphora a texentibus ducta, quasi iam illa ceu tela texta est in puero, sed nondum explicata) *esse videtur, quod nondum est, imo quod latet, sed accessu temporis erit, vel potius adparebit. In hoc ergo infans iam brevis aut longus est, qui brevis longusve futurus est. Secundum hanc rationem profecto in resurrectione corporis detrimenta corporis non timemus, quia etsi aequalitas futura esset omnium, ita ut omnes usque ad giganteas magnitudines pervenirent, nec illi qui maximi fuerunt, minus haberent aliquid in statura, quod eis contra Christi sententiam periret, qui dixit, nec capillum capitis esse periturum, creatori utique, qui creavit cuncta ex nihilo, quomodo deesse posset, unde adderet, quod addendum esse miras artifex nosset?* Cap. 15. *Restat, ut suam quisque recipiat mensuram, quam vel habuit in iuventute, etiamsi senex est mortuus, vel fuerat habiturus, si ante est defunctus, atque illud quod commemoravit apostolus de mensura aetatis plenitudinis Christi, aut propter aliud intelligamus esse dictum, id est, ut illi capiti in populis christianis accedente, omnium perfectione membrorum aetatis eius mensura compleatur, aut si hoc de resurrectione corporum dictum est, sic accipiamus dictum, ut nec ultra, nec infra*

infra iuvenilem formam resurgant, corpora mortuorum, sed in ea aetate & robore usque ad quam hic perveniſſe Chriſtum cognovimus, circa trigintu quippe annos (quædam exemplaria habent *triginta tres annos*) *definierunt esse etiam seculi huius doctissimi homines iuventutem, quae cum fuerit spatio proprio terminata, inde iam hominem in detrimenta vergere gravioris ac senilis aetatis, & ideo non esse dictum in mensuram corporis vel in mensuram staturae, sed in mensuram aetatis plenitudinis Christi.* Cap. 16. *Illud etiam, quod ait, praedestinatos fieri conformes imaginis Filii Dei, potest & secundum interiorem hominem intelligi, sensu eo, quo iubemur alibi formari in novitate mentis. Potest & sic accipi, ut quemadmodum ille nobis mortalitate, ita nos illi efficiamur immortalitate conformes, quod quidem & ad ipsam resurrectionem corporum pertinet. Si autem etiam in his verbis, qua forma resurrectura sunt corpora, sumus admoniti, sicut illa mensura, ita & ipsa conformatio non quantitatis intelligenda est, sed aetatis. Resurgent itaque omnes tam magni corpore, quam vel erant, vel futuri erant in iuvenili aetate.* (*) Augustini igitur sententia haec est, quod non de mensura corporis vel staturae, sed aetatis accipiendum sit, quod de conformitate corporum resuscitandorum cum corpore Christi apostolus adserit, cum unusquisque recepturus sit mensuram corporis eam, quam vel habuit in ea aetate, in qua Christus mortuus est & resurrexit, vel fuerat habiturus, si ante est defunctus. Idem ex Augustino repetit Lombardus dicto loco. *His verbis*, inquit, *apostolicis non eadem resurgentibus adsignatur statura, sed aetas, omnes enim in eadem aetate resurgent, in qua Christus mortuus est & resurrexit, cuiuscunque aetatis mortui fuerint, non tamen omnes eamdem staturam obtinebunt.* Hanc Augustini & Lombardi sententiam sic explicat Bonaventura lib. IV. sentent. dist. 44. *Aetas attenditur vel ratione durationis vel ratione dispositionis & valetudinis in corpore. Illo modo hic non consideratur, qui enim centum annos vixit, is in altera vita non potest dici triginta tres annos natus, quae Christi aetas fuit, quia factum infectum fieri nequit. Sola igitur dispositio & valetudo corporis per aetatem iuvenilem intelligitur, ut sit sensus, omnes & tanti & tales resurgent in corpore, quales & quanti fuerunt vel esse potuerunt in aetate iuvenili, in qua etiam resurrexit Christus.* Eadem habet Thomas lib. IV. sent. dist. 44. 3) Augustini sententiæ adfinis est ea, qua quidam statuunt, omnes ex æquo resurrecturos ea statura, ad quam natura, ubi non aberrat εν ακμη, corpora in hac vita solet perducere. Differt tamen hæc sententia a priore, quia normam staturæ non ætatem Christi, sed ακμην naturalem in quovis homine statuit. *Nullus* (inquiunt) *in resurrectione erit defectus, aetas autem deficit, sive quia nondum ad perfectionem pervenit, ut in infantibus, sive quia iam a perfectione recessit, ut in senibus ergo nec pueri nec senes erunt in resurrectione.* Scharpius in cursu theologico loc. XX. col. 1172. *Verisimile est infantum corpora resurrectura ea forma, quam adsecuturi erant, si virilem aetatem attigissent, cum perfectione & pulcritudine gloriosa.* 4) Quidam existimant, *omnes resurrecturos in ea statura & corporis proceritate, in qua creati fuere primi parentes*, ut hac etiam in parte τη πρωτοκτισια αναλογικως respondeat η παλιγγενεσια,

(*) Huc pertinet quoque locus AUGUSTINI sermon. CXLVII. de temp. *Disputant & quaerunt a nobis parvuli, qui moriuntur, an parvuli resurrecturi sint, an vero plena aetas futura sit reviviscentium, quae parva fuit morientium? Hoc quidem in scripturis*

definitum non invenimus. Credibilius accipitur & probabilius & rationabilius plenas aetates resurrecturas, ut reddatur munere, quod accessurum erat tempore &c. Postremo corruptionem tolle, & quodvis adde.

νεσια, και τη πλασει η αναπλασις. Sed probabilior videtur eorum sententia, qui statuunt 5) *resurrecturum esse quemlibet in illa aetate ac statura, in qua fuit mortuus.* a) Quia Iohannes videt *mortuos magnos & pusillos stantes coram Deo*, Apoc. XI. 18. XIX. 5. XX. 12. atqui si coram tribunali stabunt non solum magni, sed & pusilli, utique etiam resurgent pusilli b) Illud resurget, quod cecidit, atqui mortuo infante non cecidit vir aliquis proceræ longitudinis, sed pusillus infans. c) Scriptura æqualitatem quantitatis in corporibus resuscitatis nusquam adserit, quæ enim pro ea stabilienda adducuntur, in alienum sensum detorquentur, ut postea adparebit. d) Iustinus in quæst. & resp. ad orthodox. quæst. 60. p. 331. aliquot causas adducit, propter quas oporteat resurgentes εν τη οικια μορφη *in propria forma resurgere.* Primum quidem *ad ingentem & divinam cognitionem commonstrandam, qui in tanta multitudine numerum omnem excellente suam cuique possit reservare faciem.* Deinde vero *ne existimetur novos creare homines & non resuscitare defunctos, resurgentium quisque suam obtinebit faciem, indiscreta namque & eius, qui iniuriam intulerit, & eius, qui illam tulerit, forma iuditii aequitatem subvertit. Praeterea si usu & indigentia sublata, cuius gratia formarum discrimen necessarium fuit, discrimen ipsum supervacaneum & inutile reperitur, supervacanea quoque & inutilis fuerit nominum discretio. Quomodo ergo Abraamum dives & Lazarum de nomine compellat, cum ex nominum discrimine vultus non dignoscatur.* Hæc Iustinus. Erunt ergo corpora resuscitatorum χαρακτηριζομενα certis ac determinatis suis formis accidentalibus signata, & quasi characterisata. Atqui ad formam cuiusque propriam & characteristicam etiam corporis statura pertinet, quæ ætatis progressu eamdem plurimum variat. e) Staturæ brevitas vel proceritas nullam resuscitatis ac glorificatis corporibus deformitatem conciliabit, unde ipse Augustinus libr. XXII. de civitat. Dei cap. 16. circa finem subiungit: *Nihil oberit, etiamsi erit infantilis vel senilis corporis forma, ubi nec mentis nec ipsius corporis ulla remanebit infirmitas, unde etiam si quis in eo corporis modo, in quo defunctus est, resurrecturum unumquemque contendit, non est cum illo laboriosa contradictione pugnandum.* Lib. eiusdem cap. 20. *Si contenditur, in ea quemque corporis statura resurrecturum, in qua defunctus est, non pugnaciter resistendum est, tantum absit omnis deformitas, omnis infirmitas, omnis tarditas, omnisque corruptio, & si quid aliud non decet regnum, in quo resurrectionis & promissionis filii aequales erunt angelis Dei, si non corpore, non aetate, certe felicitate.* f) Varietas illa staturæ perfectioni sapientiæ & plenitudini lætitiæ in electis nihil quidquam derogans potius pulcritudinem quamdam mirificam triumphantis ecclesiæ cœtui conciliabit. Deus tenellis istis plantulis cœlestem paradisum cupit exornatum, sicut peritus hortulanus cuiusvis magnitudinis floribus ac arboribus hortum suum condecorat. g) *Stella differt a stella in claritate, sic & resurrectio mortuorum*, inquit apostolus 1 Cor. XV. 41. & 42. Atqui stella differt a stella non solum in *qualitate*, sed etiam in *quantitate*, videlicet in magnitudine, quæ differentia stellarum in claritate & magnitudine summam cœlesti corpori pulcritudinem conciliat. Eodem modo in resurrectione & vita æterna sese rem habituram non improbabiliter statuitur. In eamdem sententiam inclinant quidam ex veteribus; Tertullianus lib. de anim. cap. 55. p. 294. disputans enim contra opinionem eorum, qui statuebant, *animas immatura morte*

morte praeventorum eousque in terris vagari, donec reliquatio compleatur aetatis, qua cum pervixissent, si non intempestive obiissent, inter cætera sic scribit: *Nostri illud quoque recogitent, corpora eadem recepturas in resurrectione animas, in quibus decesserunt. Ibidem ergo sperabuntur & corporum moduli & eaedem aetates, quae corporum modos faciunt. Quo ergo pacto potest infantis anima hic transigere praecepta tempora, ut octogenaria resurgat in corpore mensis unius?* Iustinus in quæst. & resp. ad orthod. qua st. XIII. pag. 312. *Qui credit verum esse illud; seminatur in infirmitate, resurgit in potentia, cum quoque possibile est & decet infantium credere resurrectionem. Nam qui eis incorruptibilitatem tribuit, potentiam quoque, qua praesentia sentiant bona, conferre potest. Atque horum si resurrectio non fit, reperietur, eos Deus frustra finxisse. At si Deus nihil facit frustra, necesse profecto est per resurrectionem infantes quoque ad esse produci &c.* Anshelmus in comm. 1 Cor. XV. itidem disputat, *omnes in illa aetate & statura corporis resurrecturos, qua contingit illos ex hac vita migrare.* Idem in elucidario sic disserit: *cum sit delectabile pueros senibus mixtos, viris mulieres, longis breves iunctos cernere, credibile est, multo delectabilius esse, ibi singulis aetatibus singulis mensuris utrumque sexum virorum & mulierem conspicere, sicut hic delectabile est diversas voces in organis vel fidibus audire, unde magis credendum est, omnes in illa aetate & in illa mensura consurgere, & ibi adparere, in qua contingit eos hinc migrare.* Dicta apostolica, quæ in contrarium proferuntur, ad resurgentium staturam non satis commode adplicantur. Eph. IV. 13, loquitur apostolus non de perfectione *quantitatis*, ætatis scilicet ac staturæ, sed *qualitatis*, agnitionis scilicet ac notitiæ mysteriorum divinorum, quæ in hac vita quotidie in piis debet crescere, in futura autem consummabitur plenissime. Hanc interpretationem probat integer contextus, ait enim apostolus de fine instituti a Christo ministerii, quem statuit *consummationem sanctorum & aedificationem corporis Christi*, scilicet mystici, v. 12. per quam vere pii in fide & agnitione Christi ita crescunt, ut ad plenam & perfectam ætatem spiritualem in Christo quotidie adspirent, hoc est, ad perfectam cognitionem & dilectionem Dei, sicque *evadant in virum perfectum*, v. 13. cui opponuntur *parvuli*, hoc est, fluctuantes in fide ac instabiles, v. 14. Confer 1 Cor. XIII. 11. & XIV. 20. Augustinus lib. XXII. de civ. Dei cap. 18. & libr. de vera relig. cap. 26. Rom. VIII. 29. Phil. III. 21. non de conformitate secundum quantitatem, sed secundum qualitatem agitur, ut oppositio ταπεινωσεως και δοξης manifestum facit.

§. LXXX. Quæritur IV) *An in resuscitatis corporibus futurum sit discrimen sexus?* Quidam existimarunt, post resurrectionem nullum amplius mansurum discrimen sexus, sed fœminas in sexu virili resurrecturas. Hæc videtur esse sententia Basilii in Psal. 114. dicentis: ουκ ενι αρρην και θηλυ εν τη αναστασει, *non est mas, non fœmina in resurrectione;* Hilarii in Matth. XXII. Athanasii serm. III. contra Arianos sub finem, & aliorum ad quod probandum adducunt tum verba Christi, *in resurrectione non nubent, nec nuptui dabuntur*, tum dictum apostolicum: *donec occurramus omnes in virum perfectum.* Inter scholasticos Scotus lib. II. sent dist. 20. expresse docet, *omnes fœminas, excepta sola b. virgine, in sexu virili resurrecturas. 1) Quia sexus fœmineus est accidens & imperfectio*

Quæritur IV) An in resuscitatis corporibus futurum sit discrimen sexus?

fectio hominis, iam vero in resurrectione omnis imperfectio abolebitur. 2) Quia fœmina est mas occasionatus teste philosopho, unde in fœmina producenda videtur errasse natura, ut cum vellet producere hominem perfectum, marem scilicet, deficiente virtute generativa seminis pro mare produxerit fœminam. Sed contra hanc opinionem recte insurgit Augustinus libr. XXII. de civit. Dei cap. 17. *Mihi* (inquit) *melius sapere videntur, qui utrumque sexum resurrecturum esse non dubitant. | Non enim libido ibi erit, quae confusionis est causa, nam prius, quam peccassent, nudi erant & non confundebantur vir & fœmina, corporibus ergo illis vitia detrahentur. Natura servabitur, non est autem vitium sexus fœmineus, sed natura, quae tunc quidem & a concubitu & a partu immunis erit, erunt tamen membra fœminea non adcommodata usui veteri, sed decori novo, quo non adliciatur adspicientis concupiscentia, quae nulla erit, sed Dei laudetur sapientia atque clementia qui, & quod non erat, fecit, & liberavit a corruptione, quod fecit &c. – Creatura est Dei fœmina sicut vir, qui ergo utrumque sexum instituit, utrumque restituet. Denique & ipse Iesus interrogatus a Sadducaeis, qui negabant resurrectionem, cuius septem fratrum erit uxor, quam singuli habuerunt, | dum quisque eorum vellet defuncti semen, sicut lex praeceperat, excitare, erratis inquit, nescientes scripturas neque virtutem Dei. Et cum aptus esset locus, ut diceret, de qua enim me interrogatis, vir erit ipsa, non mulier, non hoc dixit, sed dixit: | in resurrectione enim neque nubent neque uxores ducent, sed sunt sicut angeli Dei in cœlo, aequales utique angelis immortalitate ac felicitate, non carne, sicut nec resurrectione, qua non indiguerunt angeli, quoniam nec mori poterunt. Nuptias ergo Dominus futuras esse negavit in resurrectione, non fœminas, & ibi negavit, ubi talis quaestio vertebatur, ut eam negato sexu muliebri celeriore facilitate dissolveret, si eum ibi praenosceret non futurum, imo etiam futurum esse firmavit, dicendo, non nubent, quod ad fœminas pertinet, neque uxores ducent, quod ad viros. Erunt ergo quae vel nubere hic solent vel ducere uxores, sed ibi hoc non facient.* Cap. 18. ad locum apostolicum Eph. IV. 12. respondet, *& de spiritualis ac mystici corporis incremento* in eo agi, postea subiicit: *Si hoc ad resurrectionis formam, in qua erit unusquisque, referendum esset, quid nos impediret, nominato viro intelligere & fœminam, ut virum pro homine positum acciperemus, sicut in eo quod dictum est: beatus vir, qui timet Dominum, utique ibi sunt & fœminae, qui timent Dominum.* Idem cum Augustino statuunt, ac fœminas in suo sexu fœmineo resurrecturas adserunt Tertullianus lib. de resur. carn. cap. 60. Hieronymus epist. LXI. ad Pammach. contra errores Iohannis Hierosolymitani, auctor libri de eccles. dogmatibus, qui habetur inter opera Augustini cap. 77. & praeter Scotum communiter scholastici, cuius sententiae praecipua ratio ea est, quod *idem numero corpus* resuscitatum iri scriptura doceat, ut superius ostendimus, ergo etiam in eodem sexu resurget. Si enim idem numero resurget, habebit etiam easdem conditiones individuantes, inter quas una ex praecipuis est sexus determinatus. Adde, quod in resurrectione non ipsa natura individui nec perfectio aut integritas specierum, sed vitia duntaxat naturae sint abolenda. Ad loca scripturae in contrarium producta ex illis, quae iam ante dicta sunt, facile responderi potest. Nuptias in cœlo Christus futuras negat, non fœminas, angelis nos aequales futuros esse adserit, non quoad naturam, vel sexus privationem, sed quoad sanctitatem, immortalitatem, spiri-

ritualitatem, felicitatem, exclusam cibi potusve necessitatem &c. Tertullianus de resur. carn. cap. 62. *Non dixit, erunt angeli, ne homines negaret, sed tanquam angeli, ut homines conservaret. Non abstulit substantiam, cui similitudinem attribuit.* Nomine *viri* apostolus non sexum, sed perfectionem, robur & constantiam virilem intelligit. Dicta veterum sic accipienda sunt, quod negent in cœlo fore sexuum diversitatem, quoad *usum*, non autem quoad *substantiam*. Scoti rationes nituntur falsa hypothesi. Sexus fœmineus in suo genere tam perfectus est quam virilis, si enim vitium & imperfectio esset fœmineus sexus, nec in statu innocentiæ locum habuisset, nec Christus ex fœmina carnem adsumsisset. Deus per se intendit creare tam fœminam quam masculum, cum uterque sexus necessarius sit ad sobolis generationem, & consequenter ad speciei humanæ conservationem, falsum igitur est, fœminam esse marem occasionatum.

§. LXXXIX. Quæritur

Quæritur V) An a resuscitatis corporibus omnis deformitas aberit?

V) *An a resuscitatis corporibus omnis deformitas aberit?* Deformitas corporis humani tribus modis contingere potest: 1) Ex *defectu*, vel *membri convenientis*, qualis est in mancis ac mutilis, manu, brachio, pede, oculo destitutis, vel *congruae quantitatis*, qualis est in nanis ac pumilionibus. De hoc deformitatis genere, quid statuendum sit, ex præcedentibus patere potest, nisi quis de nanis & pumilionibus aliud quam de infantibus statuendum arbitretur, cum corporis brevitas in eis sit quandoque monstrosa & ignominiosa. 2) Ex *accessione membri disconvenientis*, qualis est in sedigitis, strumosis &c. 3) Ex *inconcinno membrorum situ ac improportione*, qualis est in strabis, simis, varis, valgis &c. De posterioribus hisce deformitatis generibus quidam statuunt, ea ab omnibus omnino resuscitatis tam impiis & damnandis quam piis & salvandis abfutura. 1) Quia effectus tum demum deficit a debita perfectione & integritate, quando vel virtus agentis deficit, vel materia quantitate peccat, quorum neutrum locum habet in resurrectione, quæ est opus divinæ virtutis ἀνεμποδίστως agentis, & omnia impedimenta & incommoda potenter avertentis. 2) Quia primi homines absque ulla deformitate & membrorum ἀσυμμετρια divinitus fuere conditi, iam vero resuscitatio analogice respondet primogeniæ creationi. Has rationes respectu piorum & salvandorum efficaciter illud, ad quod adferuntur, probare concedimus, ab illorum enim corporibus divina virtute omnis deformitas ignominiam & imperfectionem secum trahens removebitur, sed in corporibus impiorum ac damnatorum ignominiosæ deformitatis stigmata ac probra relicta iri verisimilius est. Augustinus libr. XXII. de civitate Dei cap. 19. *Si statuam potest artifex homo, quam propter aliquam causam deformem fecerat, conflare & pulcerrimam reddere, ita ut nihil inde substantiae, sed sola deformitas pereat, ac si quid in illa figura priore indecenter exstabat, nec parilitati partium congruebat, non de toto, unde fecerat, amputare atque separare, sed ita conspergere universo atque miscere, ut nec fœditatem faciat, nec minuat quantitatem, quid de omnipotenti artifice sentiendum est? Ergone non poterit quasque deformitates humanorum corporum non modo usitatas, verum etiam raras atque monstrosas, quae huic miserae vitae congruunt, abhorrent autem ab illa futura felicitate sanctorum, sic auferre atque perdere, ut quascunque earum*

faciunt etsi naturalia tamen indecora excrementa substantiae corporalis nulla eius diminutione tollantur? Ac per hoc non est macris pinguibusque metuendum, ne etiam ibi tales sint, quales, si possent, ne hic esse voluissent. Omnis enim corporis pulcritudo est partium congruentia cum quadam coloris suavitate. Ubi autem non est partium congruentia, aut ideo quid offendit, quia parvum est, aut ideo quia nimium. Proinde nulla erit deformitas, quam facit incongruentia partium, ubi & quae prava sunt, corrigentur, & quod minus est, quam decet, unde creator novit, inde supplebitur, & quod plus est quam decet, materiae servata integritate detrahetur. Cap. 20. *Nescio quo modo sic adficimur amore martyrum beatorum, ut velimus in illo regno in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices, quae pro Christi nomine pertulerunt, & fortasse videbimus, non enim deformitas in eis, sed dignitas erit, & quaedam quamvis in corpore, non corporis sed virtutis pulcritudo fulgebit, nec ideo tamen, si aliqua martyribus amputata & ablata sunt membra, sine ipsis membris erunt in resurrectione mortuorum, quibus dictum est: capillus capitis vestri non peribit. Sed si hoc decebit in illo novo seculo, ut indicia glorioſorum vulnerum in illa immortali carne cernantur, ubi membra, ut praecideretur, percussa vel secta sunt, ibi cicatrices, sed tamen eisdem membris redditis, non perditis, adparebunt. Quamvis itaque omnia, quae acciderunt corpori vitia, tunc non erunt, non sunt tamen deputanda vel adpellanda vitia, virtutis indicia.* (Confer ea, quae de vestigiis vulnerum in glorificato Christi corpore diximus in harmonia Evangelica de resurrectione. cap. IX. pag. 317. In cicatricibus martyrum sole fulgidioribus exstabit martyri glorioſum monumentum, non autem ullum corporis glorificati dehoneſtamentum.) De impiorum vero corporibus in enchirid. cap. 92. dicit: *non debet nos fatigare incerta habitudo eorum, quorum certa & sempiterna erit damnatio.* Richardus libr. IV. sent. dist. 44. artic. 1. quæst. 6. *In damnatis nulla erit pulcritudo, quod si ergo habuerunt turpitudinem in hoc mundo, in eis remanebit, & si habuerunt pulcritudinem in hoc mundo, auferetur ab eis, & erunt turpissimi & vilissimi & pleni omni sœditate & infectione.*

§. XC. Quæritur VI) *Si non periturus est capillus de capite, quomodo corpora resuscitata ob capillorum prolixitatem non erunt deformia ac monstrosa?* Respondet Augustinus libr. XXII. de civit. Dei cap. 19. *Ita nihil periturum esse de corpore, ut tamen nihil deforme sit in corpore, ea igitur, quae fomae* (al. deformem) *factura fuerant enormitatem massae ipsi accedent non locis, in quibus membrorum forma turpetur, velut si de limo vas fieret, quod rursus in eumdem limum redactum totum de toto iterum fieret, non esset necesse, ut pars illa limi, quae in ansa fuerat, ad ansam rediret, aut quae fundum fecerat, ipsa rursus faceret fundum, dum tamen totum reverteretur in totum, hoc est, totus ille limus in totum vas nulla sui parte perdita remearet. Quapropter si capilli toties tonsi, unguesve defecti ad loca sua deformiter redeunt, non redibunt, nec tamen cuique resurgenti peribunt, quia in eamdem carnem, ut quemcunque ibi locum corporis teneant, servata partium congruentia, materiae mutabilitate vertentur, quamvis quod ait Dominus: capillus capitis vestri non peribit, non de longitudine, sed de numero capillorum dictum multo aptius possit intelligi, unde & alibi dicit: capilli capitis vestri numerati sunt omnes.* Confer ea, quæ de vero horum verborum Christi sensu adduximus superius §. 15. ubi monuimus, pios veteres verba

Quæritur VI) An omnes capilli sint resuscitandi?

verba illa ad resurrectionis articulum adplicare eo quidem sensu, quod ne minima quidem corporis particula sit peritura, interim ex eo inferri nequit, quod humores superflui & excrementitii, capillorum item & unguium superfluitates, quæ sunt potius reiectamenta & excrementa, quam membra corporis & ornamenta, quæque magis gravant & onerant, quam ornant, in resurrectione sint homini restituenda.

CAPVT V.

DE FORMA RESVRRECTIONIS.

Forma resurrectionis. §. XCI. *Forma* resurrectionis est vel *interna* vel *externa*. Interna con-

1) *Interna.* sideratur vel respectu *mortuorum* vel respectu *vivorum*, quos scilicet dies novissimus deprehendet vivos. Forma resurrectionis interna respectu *mortuorum* consistit: 1) in *corporum e terrae pulvere ἀναπλάσει* sive *reformatione*; 2) in *eorumdem animatione* sive animarum cum corporibus resuscitatis redunitione. Utrumque verbis perquam emphaticis describitur Ezech. XXXVII. 5. *Haec dicit Dominus ossibus aridis: Ecce ego intromittam in vos spiritum, & vivetis*, v. 6. *Et dabo super vos nervos, & succrescere faciam super vos carnes, & superextendam in vobis cutem, & dabo vobis spiritum, & vivetis &c.* Confer Iob. XIX. 25. *In novissimo die de terra surrecturus sum.* v. 26. *Et rursum circumdabor pelle mea.* Chaldæus reddidit: *postquam inflata fuerit pellis mea*, hoc est, quando Deus spiraculum vitæ mihi denuo inspirabit, *erit hoc, de carne mea iterum videbo Deum.* Mulieres scilicet Sareptana & Sunamitis dicuntur *mortuos suos recepisse de resurrectione*, Hebr. XI. 35. cum prophetæ precibus reditum animæ ad corpora mortuorum impetrassent, 1 Reg. XVII. 21. 2 Reg. IV. 36. Inde Gabrielis serm. II. in fest. Pasch. *Resurgere nihil aliud est, quam quod mortuum fuerat, iterum vivificari, vel animam vivificantem iterum corpori, quod deseruit, uniri.* Utriusque antecedens seu prævium opus erit *cinerum ac pulverum dissipatorum collectio*, consequens ac subsequens *compositi restitutio, eiusdemque secundum utramque partem aeterna duratio.* Quemadmodum enim in morte hominis triplex casus animadvertitur: 1) *casus compositi* per separationem animæ a corpore, 2) *casus corporis*, quod dissolvitur in elementa, 3) *casus materiae*, in quam postremo resolvitur corpus in elementa dispersum: sic in resurrectione casui oppositæ, ordine tamen retrogrado & inverso tria observari possunt: 1) *pulverum ac cinerum dissipatorum collectio*, quæ est quædam ad corporum reformationem præparatio, 2) *corporis ex illis pulveribus ac cineribus formatio*, quæ est ad animarum susceptionem dispositio, 3) *eiusdem formati animatio*, sive animæ ad illud corpus reformatum velut in pristinum domicilium reductio, & redintegrata cum corpore unio, quæ est partim naturalis, partim personalis, per illam constituitur una natura humana, per hanc unum suppositum & unus homo; at quia non ad temporalem, sed ad perpetuo duraturam vitam anima corpori iterum unitur, adeoque vinculo indissolubili cum eo coniungitur, ideo iteratam illam animarum cum corporibus e terræ pulvere suscitatis unionem sequitur totius compositi secundum utramque natu-

naturam æterna duratio. Primum opus, pulverum scilicet ac cinerum dissipatorum collectionem angelorum ministerio peragendum disputant, illudque per *congregationem electorum a quatuor ventis*, Matth. XXIV. 31. intelligendum arbitrantur Scotus lib. IV. sent. distinct. 43. quæst. 5. Thomas de Argentin. ibidem, unde non sine temporis tractu nec sine locali motu idipsum absolutum iri censent; reliqua autem duo videlicet corporis ex pulveribus & cineribus formationem, eiusdemque formati animationem immediata divinæ virtutis operatione in momento perficienda statuunt. Richardus libr. IV. sentent. distinct. 43. artic 5. quæst. 2. & ex eo Cornelius a Lapide in comm. 1 Cor. 15. pag. 346. *Natura spatii & motus non videtur pati, ut partes corporis resuscitandi a variis locis in unum colligantur in monumento, quia res non potest moveri ab extremo in aliud extremum, quin prius transeat spatium medium:* sed memineri mus μη υπερφρονειν παρ ο δει φρονειν, αλλα φρονειν εις το σωφρονειν, Rom. XII. 3. nec curiosius scrutemur momenta, quæ Pater cœlestis posuit εν τη ιδια εξυσια, Actor. I. 7. Suarez part. III. quæst. 53. disput. 44. sect. 4. non dubitavit adferere, & quidem rectissime, *corporis resuscitandi partes Dei virtute* (utpote infinita) *ab extremo ad extremum sine medio transire posse, ac proinde in unum locum momento temporis simul coire.* Forma resurrectionis interna respectu *vivorum* consistit in momentanea ac subitanea eorum immutatione, qua non ipsa corporum substantia in illis abolebitur, sed qualitas mutabitur, ac quod corruptioni ac morti est obnoxium, naturam induet incorruptam & immortalem, quæ 1 Cor. XV. 51. & 52. 1 Thes. IV. 15. & 17. quæ αλλαγη sive mutatio tum mortis, tum resurrectionis loco ipsis erit, de qua in sequentibus plenius dicemus.

§. XCII. Forma resurrectionis *externa* consistit in modo atque ordine, quem Christus vivorum ac mortuorum iudex observabit, qui colligitur ex his scripturæ dictis: Matth. XIII. 41. *In consummatione seculi mittet Filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala & eos qui faciunt iniquitatem.* v. 42. *Et mittent eos in caminum ignis.* XXIV. 30. *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute & gloria multa.* v. 31. *Et mittet angelos suos cum tuba vocis magnae, & congregabunt electos eius a quatuor ventis a summis cælorum usque ad terminos eorum.* XV. 31. *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suae.* v. 32. *Et congregabuntur ante eum* (ministerio angelorum) *omnes gentes*, (ex mortuis suscitatæ) *& separabit eos sicut pastor segregat oves ab hoedis.* Ioh. V. 28. *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii hominis.* v. 29. *Et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii.* 1. Cor. XV. 51. *Non omnes quidem obdormiemus, omnes autem immutabimur.* v. 52. *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba, (canet enim) & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur.* 1 Thess. IV. 15. *Nos, qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non praeveniemus eos, qui dormierunt.* v. 16. *Quoniam ipse Dominus in iussu, in voce archangeli & in tuba Dei descendet de cælo, & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi.* v. 17. *Deinde nos, qui vivimus, qui reliqui sumus superstites, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Domino.* Talis igitur videtur. *II) externa.*

tur futurus resurrectionis ordo & modus. In die novissimo 1) Christus, vivorum ac mortuorum iudex, subito & ex improviso in forma illa visibili, qua in cœlum adscendit, in nubibus adparebit, & super thronum maiestatis suæ in gloria magna sedebit. 2) Angeli, qui tanquam adparitores, præcones ac ministri aderunt, tuba canent. 3) Sonabit omnipotens & efficacissima Christi vox: *surgite mortui!* 4) Ad vocem illam excitabuntur, qui in pulvere terræ dormiunt, & resumtis corporibus propriis tribunali Christi sistentur. 5) Qui in Christi adventu adhuc vivi seu superstites invenientur, *in momento, in ictu oculi* immutabuntur, qua immutatione omnis corruptio & mortalitas in illis abolebitur, inque eius locum ἀφθαρσια και ἀθανασια succedet. 6) Utrique tum resuscitati ex pulvere, tum immutati in duas distribuentur classes, separatis bonis a malis, ac illis quidem ad Christi dextram, his vero ad eius sinistram collocatis, quæ ipsa collocatio sententiæ iudiciariæ utrisque exspectandæ præludium quoddam erit. Ephremus in libr. I. de pœnit. *Vbi vox tubae de cælo insonuerit, omnia ex tumulis humanae conditionis ossa exsilient atque discurrent, artus suos iuncturasque cum festinatione requirentia &c. Cælestis nempe regis iussu terra suos mortuos reddet, mare itidem suos, quidquid item humanorum corporum vel bestia rapuit, vel voravit piscis, avisve discerpsit, in priorem statum remeabit, omnesque in ictu oculi resurgent, & ante tribunal adstabunt, ita ut ne unus quidem capillus capitis desit.* Quamvis vero de hac *externa* resurrectionis forma non absurde cogitetur, successionem quamdam temporis in ea futuram, tamen de *interna* resurrectionis forma, quæ in corporum e terræ pulvere formatione & animarum cum iisdem reunitione consistit, indubitanter adfirmare possumus, eam *in momento & in ictu oculi* peragendam, id quod disertis verbis docet apostolus 1 Cor. XV. 52. εν ατομω (scilicet τε χρονε quod alias vocatur το νυν) εν ριπη οφθαλμε (*in ictu oculi* απο τε ριπτειν, quod est proiicere) *& mortui resurgent incorrupti & nos immutabimur.* (Elegit apostolus motum, qui alios omnes celeritate superat ad resurrectionis & immutationis maximam celeritatem insinuandam, oculi enim agitatione nihil velocius aut agilius. Hieronymus comment. *Atomus est punctum temporis, quod secari & dividi non potest.* Idem in epist. CLII. ad Miner. notat, *quosdam legere* εν ροπη, *quod significat motum, propensionem ac devergentiam lancis, quae celerrime ad pondus attollitur vel deprimitur*, unde *momentum staterae* vocatur Sap. XI. 23. sensus utrobique eodem recidit.) Dei enim operatio, utpote ab infinita virtute proficiscens, non requirit temporum successionem, sed in momento absolvi potest. Gregorius Nyssenus orat. III. de resurrect. Christi pag. 161. *In momento oculi perficietur resurrectio. Ictus autem seu momentum oculi clausio palpebrarum est, atque hac velocitate nulla res alia celerior esse potest. Neque humano more pro captu tuo reputans descripseris in animo tuo, quot sint temporum intervalla, primum ut ossa putrefacta & in terram redacta in pristinam duritiem & levitatem compingantur, unita vero ex ipsa fractione rursus in aptam & convenientem compagem & naturalem coeant iuncturam & commissuram, neque vero deinde animadverteris carnium obductionem & nervorum productas coniunctiones αποτεταμενας συνδεσεις venarum arteriarumque tenues & exiles ductus, & quasi alveos sub cute explicatos, animarum inenarrabilium & innumerabilium multitudinem ex arcanis*

quibusdam habitationibus evolantem, earumque unumquamque suum corpus tanquam vestem peculiarem agnoscentem, & in hoc rursus celeriter inhabitantem, certoque discrimine utentem in tanta multitudine spirituum generis eiusdem. Cogita enim ab Adam animas & ab illo usque corpora tot numero domibus solutis ac desertis, patribusque familias ex longa quasi peregrinatione revertentibus, eaque omnia perfici admirabiliter & extra communem captum. Neque enim vel domus tarde renovatur & instauratur, vel incola aberrat ac quasi sub dio manet, dum propria ac peculiaria quaerit, sed protinus ad eam tendit tanquam columba ad suam turrim, etiamsi multae atque frequentes circa eumdem locum fuerint iisdem notis insignes &c. Elucet autem ex hac momentanea mortuorum resuscitatione & vivorum immutatione *infinita Dei potentia.* Magnum est mortuos resuscitare; maius in propriis corporibus in cinerem & pulverem redactis eos resuscitare & immortalitatis vestibus induere; maximum, in momento vel puncto temporis id ipsum perficere. Confer Hieronymum in epist. ad Minerium, Augustinum epist. XLIX. & lib. XX. de civit. Dei cap. 20. Theodoretum, Oecumenium & Anshelmum in comm. 1 Cor. XV. qui omnes *momentaneam* fore resurrectionem disputant. De modo resurrectionis generaliter observetur illud Augustini lib. XX. de civit. Dei cap. 20. *Resurrectionem mortuorum futuram esse oportet, si christiani esse volumus, ut credamus, sed non ideo inanis est fides nostra, si quemadmodum futura sit, comprehendere non valeamus.*

CAPVT VI.

DE FINE RESVRRECTIONIS.

Finis resurrectionis. I) respectu Dei.

§. XCIII. *Finis* resurrectionis est duplex, respectu *Dei resuscitantis* & *hominum resuscitandorum.* Dei resuscitantis respectu finis *principalis, mediatus ac summus* est Dei gloria. Ut enim *omnia operatur Deus propter seipsum* & propter gloriam suam. Prov. XVI. 4. ita quoque resuscitationis opus ad hunc finem principaliter, & ut scholastici loquuntur, *ultimate* spectat. Sicut Deus in principio omnia condidit ad nominis sui gloriam, ut scilicet ipsius bonitas, sapientia ac potentia ex opere creationis κτισεως και πλασεως a creaturis rationalibus agnosceretur: sic corpora hominum in cinerem & pulverem redacta in die novissimo iterum eriget, & in vitam revocabit, ut similiter in hoc opere divina eius bonitas ac maiestas agnoscatur ac deprædicetur, videlicet ut in glorificatione piorum ipsius *misericordia*, in damnatione impiorum ipsius *iustitia*, in utroque vero opere ipsius *veritas & potentia* conspiciatur. Esai. XXVI. 19. *Vivent mortui tui, expergiscimini & iubilate, qui habitatis in pulvere*, hoc est, dormientes in pulvere terræ voce Christi expergefacti Deo iubilabunt. Ad hunc finem etiam pertinet, quod peculiariter *Christi mediatoris gloria* in resurrectionis opere sit conspicienda. In hac vita mors piis Christi membris adhuc videtur dominari, cum ipsi non minus quam impii a corpore Christi mystico penitus excluſi morti adhuc sint obnoxii, sed in resurrectione mortuorum victoria, quam Christus ex morte reportavit, plenissime & perfectissime conspicietur. Psalm. XL. 16. *Ostende servis tuis opus tuum, & gloriam*

riam tuam filiis eorum. Peccatum & mors sunt opera diaboli, hæc ergo Moses petit in nobis Dei servis destrui per spiritualem regenerationem in hac vita & per finalem liberationem in mortuorum resurrectione a Messia exspectanda. Esa. LXVI. 14. *Ossa vestra quasi herba germinabunt*, (in die scilicet resurrectionis) *& cognoscetur manus Domini* (hoc est, gloriosa eius potentia & maiestas) *in servis eius.* 1 Cor. XV. 25. *Oportet eum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius.* v. 26. *Ultimus autem inimicus destruetur mors.* v. 54. *Cum autem corruptibile hoc induerit incorruptibilitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est, absorpta est mors in victoria.* v. 57. *Deo autem gratiae, qui dedit nobis victoriam per Christum.* Col. III. 4. *Cum Christus adparuerit, vita vestra, tunc & vos adparebitis cum ipso in gloria.*

§. XCIV. *Hominum resuscitandorum* respectu finis duplex est: 1) *Communis* omnibus resuscitandis est κρισις coram tribunali Christi ad iudicis sententiam audiendam, unde resurrectio ac iudicium immediato nexu invicem coniunguntur, Hebr. VI. 2. *Iacientes fundamentum resurrectionis & iudicii aeterni*, hoc est, in quo unicuique aeterna mansio adsignabitur. Hebr. IX. 27. *Statutum est hominibus semel mori, & post mortem iudicium*, hoc est, postquam ex mortuis fuerint resuscitati, ad iudicium sistentur. Apoc. XX. 12. *Vidi mortuos magnos & pusillos stantes coram Deo, & aperti sunt libri, & alius liber apertus est, qui est vitae, & iudicati sunt mortui ex his, quae scripta erant in libris secundum opera ipsorum.* Unde superius inter cætera resurrectionis fundamenta retulimus etiam *Dei iustitiam, quae requirit, ut omnes stantur coram tribunali Christi, & reportet unusquisque, quae in corpore fecit, congruenter ad id, quod fecerit sive bonum sive malum*, 2 Cor. V. 10. 2) *Proprius* finis alius est respectu *vere credentium* & piorum, videlicet æterna gloria præmii loco ex gratuita Dei misericordia ipsis collata, alius respectu *incredulorum* & impiorum, videlicet æterna ignominia supplicii loco ex rigore iustitiæ divinæ ipsis illata. Dan. XII. 2. *Multi de his, qui dormiunt in terrae pulvere, evigilabunt, alii in vitam aeternam, & alii in opprobrium aeternum.* v. 3. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt sicut stellae.* Ioh. V. 28. *Venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii hominis*, v. 29. *& prodibunt, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii*, illius scilicet iudicii, de quo Iudæ v. 15. *Venit Dominus cum sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, & de omnibus duris, quae locuti sunt contra eum peccatores impii.* 2 Thess. I. 6. *Iustum est apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant*, v. 7. *& vobis qui tribulationem sustinetis, requiem nobiscum in revelatione Domini Iesu de cœlo cum angelis virtutis eius.* Finis ergo resurrectionis est, ut hominibus omnibus ad iudicium Christi cum corporibus & animabus suis adductis pro diversitate eorum, quæ in hac vita egerunt, præmia vel supplicia adiudicentur, ac proinde ut pii, qui vera fide Christo in hac vita fuere inserti, & ex fide bona egerunt, in corpore & anima perpetua felicitate cum Christo capite suo in cœlesti gloria perfruantur iuxta gratuitas Christi promissiones: Ioh. XII. 26. *Ubi ego sum, illic & minister meus erit.* XIV. 3. *Ubi ego sum, ibi & vos eritis.* XVII. 24. *Volo ut, ubi*

II) respectu hominum.

ubi ego sum, illi etiam mecum sint, ut videant gloriam meam. 1 Thes. IV. 17. *semper cum Domino erimus.* Contra vero impii cum satana capite & patre suo æternis inferni suppliciis torqueantur, adeoque ut sponsa Christi, vera scilicet ecclesia cum Christo sponso suo in æternum regnet ac triumphet, hostes vero illius pedibus eius penitus subiiciantur in æternum prostrati ac devicti.

CAPVT VII.

DE EFFECTIS RESVRRECTIONIS.

Effectus & consequentia resurrectionis.

§. XCV. *Effectus ac consequentia* resurrectionis cum fine fere coincidunt. Resuscitandis omnibus communis erit ἀφθαρσια καὶ ἀθανασια, unientur enim animæ cum corporibus ex terræ pulvere suscitatis non ad temporariam ac solubilem aliquam coniunctionem, sed ad æternum & indissolubile utriusque vinculum; dies novissimus temporis successioni ac decursui finem imponet, ac mera & nuda æternitas successionis ac finis expers sequetur. (Augustinus de fid. ad Petr. cap. 3. negat *corruptionem a corporibus impiorum auferendam*, sed intelligit beatam illam ἀφθαρσιαν, quæ cum spiritualitate, virtute & gloria est coniuncta. *A corporibus*, inquit, *impiorum non auferetur corruptio & ignobilitas & infirmitas, in quibus seminantur, quae ob hoc morte non exstinguentur, ut illud iuge tormentum corpori atque animae sit mortis aeternae supplicium.* In enchirid. ad Laurent. cap. 92. *Nec moveat nos, quomodo in damnatis erit corpus incorruptibile, si dolere poterit, aut quomodo corruptibile, si mori non poterit. Non est enim vera vita, nisi ubi feliciter vivitur, nec vera incorruptio, nisi ubi salus nullo dolore corrumpitur. Ubi autem infelix mori non finitur, ut ita dicam, mors ipsa non moritur, & ubi dolor perpetuus non interimit sed adfligit, ipsa corruptio non finitur.*) Piorum ex mortuis resuscitatorum propria erit animæ & corporis glorificatio. 1 Cor. XV. 4. *Resurgit in gloria.* Sap. V. 1. *Stabunt iusti in magna constantia*, v. 17. *Accipient regnum decoris & diadema speciei sive speciosum de manu Domini;* beata cum Deo, cum Christo, cum angelis & omnibus sanctis conversatio, faciei divinæ iucundissima visio & æternæ lætitiæ perfruitio. Psalm XVII. 15. *In iustitia videbo faciem tuam.* CXVI. 9. *Ambulabo coram Domino in regione viventium.* Ose. VI. 2. *Suscitabit nos in die tertio, & vivemus in conspectu eius.* 1 Cor. XIII. 12. *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem a facie ad faciem.* 1 Ioh. III. 2. *Cum adparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicut est. Impiorum* vero ex mortuis suscitatorum propria erit confusio & ignominia, Esa. LXVI. 24. *Erunt abominatio omni carni.* Dan. XII. 2. *Resurgent ad opprobrium;* ac præter ignominiam supplicium & pœna sempiterna, Esa. LXVI. 24. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non exstinguetur.* Matth. III. 12. *Paleas comburet igni inexstinguibili.* Sed de hac piorum gloria & impiorum ignominia in tract. V. & VI. inferius plura dicentur. Ad resurrectionis consequentiam etiam referri potest: 1) Abrogatio ministerii verbi & usus sacramentorum. Ierem. XXXI. 34. Hebr. VIII. 11. *Non docebit ultra vir proximum suum.* 1 Cor. XI. 26. *Mortem Domini adnunciabitis, donec veniat.* XIII. 8. *Caritas nunquam*

quam excidit, sive prophetiae evacuabuntur, sive linguae cessabunt, sive scientia destruetur. Item politiarum & œconomiarum. Dan. II. 44. *Regnum cœli comminuet & consumet universa regna terrena.* VII. 26. *Iudicium sedebit, ut auferatur potentia eius.* 1 Cor. XV. 24. *Cum evacuaverit omnem principatum & potestatem & virtutem.* Matth. XXII. 30. *In resurrectione non nubent neque nuptui dabuntur, sed sunt sicut angeli Dei in cœlo.* 2) Cessatio omnium actionum naturalium in corporibus humanis. 1 Cor. VI. 13. *Deus & ventrem & escas destruet.* Apoc. VII. 16. *Non esurient nec sitient amplius.* 3) Liberatio creaturæ a vanitate & servitute corruptionis, Rom. VIII. 21. adeoque totius mundi συντελεια sive consummatio, Iob. XIV. 12. *Vir dormivit & non resurget, donec non erunt cœli.* XIX. 25. *Post excitari meum*, hoc est, me ex mortuis excitato, *exscindentur haec*, quæ scilicet in mundo videntur, qua de re in tract. IV. plenius agendum erit, ubi etiam de millenario Christi in terris regno, quod resurrectionem secuturum & finem mundi antecessurum esse, chiliastæ somniant, disseremus.

CAPVT VIII.

DE SVBIECTO RESVRRECTIONIS.

Subiectum resurrectionis.

§. XCVI. *Subiectum* resurrectionis sunt *omnes homines* cuiuscunque sexus, conditionis & status tam impii quam pii, tam increduli & impœnitentes, quam vere credentes. (Quidam id vocant *subiectum quod*, ut distingui possit a *subiecto quo*, *quod* in resurrectione est idem numero corpus. Quidam vocant *obiectum*, quidam *materiam*, sed res eodem recidit.) Demonstramus hoc 1) ex scripturæ dictis, & quidem 1) ex dictis *universalibus ac generalibus*, quæ omnes omnino homines resurrecturos esse adserunt: Esa. XXV. 7. *Auferet Deus velum, quo velatae sunt omnes gentes.* v. 8. *Absorbebit mortem in sempiternum.* Ioh. V. 29. *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii hominis, & procedent &c.* Quidam huc referunt dictum apostolicum 1 Cor. XV. 22. *in Christo omnes vivificabuntur*; sed ostendimus superius, proprie & in specie de credentibus in Christum illud accipiendum esse. Rectius igitur ad hanc classem referuntur tum illa scripturæ dicta, in quibus *indefinite* mortuorum resurrectio futura prædicitur, (indefinitam enim illam æquipollere universali, ex manifesto dicto Christi modo citato colligitur.) Ezech. XXXVII. 4. *Ossa arida audite verbum Domini*, v. 5. *haec dicit Dominus, ego mittam in vos spiritum.* Dan. XII. 1. *Multi de his, qui dormiunt in pulvere terrae, evigilabunt.* Act. XXIII. 6. *De spe & resurrectione mortuorum ego iudicor.* 1 Cor. XV. 21. *Per hominem mors & per hominem resurrectio mortuorum.* 2 Tim. IV. 1. *Christus iudicaturus est vivos & mortuos.* 1 Petr. IV. 5. *Impii rationem reddent ei, qui paratus est iudicare vivos & mortuos.* Apoc. XX. 13. *Dedit mare mortuos, qui in eo erant, & mors & infernus dederunt mortuos suos.* Tum illa, in quibus omnes iudicio Dei sistendi dicuntur. Si enim omnes homines, pii & impii iudicio Dei sistentur, utique etiam omnes resurgent. Esa. XLV. 23. *Per me ipsum iuravi, mihi curvabitur omne genu.* Matth. XXV. 32. *Congregabuntur ante Christum iu-*

iudicem omnes gentes, & separabit eos ab invicem sicut pastor segregat oves ab hœdis. Act. XVII. 31. *Iudicabit Deus orbem*, scilicet universum, hoc est, omnes homines, *in aequitate.* Rom. XIV. 10. *Omnes stabimus ante tribunal Christi.* 2 Cor. V. 10. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque, quae in corpore fecit &c.* Apoc. XX. 13. *Et dedit mare mortuos, qui in eo erant, & mors & infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant & iudicatum est de singulis &c.* (Augustinus lib. XX. de civit. Dei cap. 15. *Convenienter quidam hoc loco mare pro isto seculo positum accipiunt &c. Hoc ergo mortuos exhibuit mare, qui in eo erant, hoc est, exhibuit homines hoc seculum, quicunque in eo erant, qui nondum obierant &c. Mare exhibuit, quia sicut inventi sunt, adfuerunt. Mors vero & infernus reddiderunt, quoniam vitae, de qua iam exierant, revocaverunt. Nec frustra fortasse non satis fuit, ut diceret, mors aut infernus, sed utrumque dictum est, mors propter bonos, qui tantummodo mortem perpeti potuerunt, non & infernum; infernus autem propter malos, qui etiam pœnas apud inferos pendunt.* Simplicius est, quod quidam existimant tres classes describi mortuorum, una est eorum, qui in mari submersi sunt, altera eorum, qui extra mare mortui, sed non sepulti, verum a bestiis devorati vel in cineres redacti. Tertia eorum, quos infernus vivos absorpserat. Piscator per ἅδην intelligit sepulcrum, ut sic intelligantur, qui in sepulcris reconditi.) 2) Ex *dictis specialibus*, quae disertam & perspicuam mentionem impiorum faciunt. Dan. XII. 2. *Quidam evigilabunt ad ignominiam sempiternam;* id vero de piis intelligi nequit, quippe qui omnes ad æternam lætitiam & gloriam resurgent. (Porphyrii detorsionem, qui hoc dictum propheticum de statu ecclesiæ Israeliticæ post redditam victoriam & cæsos Antiochi duces exposuit, refellimus superius §. 13.) Matth. X. 28. *Timete eum, qui potest animam & corpus perdere in gehenna;* hoc est, qui corpus ex mortuis suscitatum ac animæ iterato unitum gehennæ cruciatibus obiicere potest, id vero de piorum corporibus intelligi nequit, quippe quæ ad cœlestem gloriam prodibunt. Ioh. V. 29. *Procedent alii ad resurrectionem vitae, alii ad resurrectionem iudicii;* ubi ipsa distributio & diversitas status resurrectionem secuturi ostendit, etiam impios, qui mala egerunt, resuscitatum iri. Non est quod, excipias, *de spirituali resurrectione Christo sermonem esse*, de ea enim iam ante v. 25. locutus fuerat, cui subiungit vaticinium de resurrectione universali omnium hominum in die novissimo secutura, ut ex uno διεργηματι και ζωωποιηματι probet alterum. *Nolite*, inquit, *mirari*, quod scilicet dixerim me habere potestatem spiritualem vivificandi animas & iudicium exercendi, quia etiam corpora mortuorum ex terræ pulvere suscitaturus sum. Quod autem in v. 28. de corporali resurrectione agatur, probamus a) ex *connexione*, quia v. 17. mentio fit iudicii, quod resurrectioni in die novissimo erit coniunctum. b) Ex *temporis determinatione.* Quando Christus de spirituali sive prima resurrectione loquitur v. 25. dicit, *venit hora*, ac προσδιοριστικως addit, *& nunc est;* sed quando de resurrectione corporali sive secunda loquitur, simpliciter dicit, *venit hora*, scilicet in novissimo die, nec addit eam iam tum adesse, quæ est observatio Augustini lib. XX. de civit. Dei, cap. 6. c) Ex *subiecti descriptione. Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii hominis.* Iam vero spiritualiter mortui nunquam in

in scripturis dicuntur esse in monumentis, sed corporaliter mortui sic describuntur, quod *habitent in pulvere terrae*, Esa. XXVI. 19. quod *quiescant in cubilibus suis*, LVII. 2. quod *dormiant in pulvere terrae*, Dan. XII. 2. &c. Si in monumentis esse est spiritualiter mortuum esse, utique etiam audire vocem Filii hominis & procedere erit spiritualiter vivere. At quomodo inter eos, qui spiritualiter vivunt, quidam possunt dici *ad resurrectionem iudicii* procedere, cum de iis, qui in Christum credunt ac spiritualiter vivunt, dicatur, *quod non iudicentur*, Ioh. III. 18. quodque *non sint venturi in iudicium*? V. 24. Si regeras, *hoc accipiendum respectu Dei offerentis*, resp. ex textu, de illis, qui vocem Filii Dei audient, expresse dicitur, quod *processuri sint*, scilicet ex monumentis, atqui procedere non est Dei offerentis sed hominum recipientium, non Dei vocantis sed hominis audientis. d) Ex *denominatione causae instrumentalis*. Qui in monumentis sunt, dicuntur audituri vocem Filii hominis, per illam vocem non potest intelligi prædicatio evangelii, ut in v. 25. quia agitur de illis, *qui sunt in monumentis*, hoc est, de corporaliter mortuis, at illi non possunt audire evangelii prædicationem; præterea quidam, qui hanc vocem audient, procedent ad *resurrectionem iudicii*, at qui evangelii prædicationem audiunt, hoc est, auribus cordis recipiunt, *obedienter audiunt*, ut ex Heb. IV. 2. recte exponit Augustinus lib. XX. de civ. Dei, cap. 6. Illi omnes vivunt, hoc est, a morte peccatorum excitantur, spirituali vita donantur, vivificam Spiritus sancti consolationem in corde sentiunt, & de vitæ æternæ possessione confirmantur. Per vocem ergo Filii Dei in v. 28. non potest intelligi prædicatio evangelii, sed intelligitur φωνη illa μεγαλη, de qua Matth. XXIV. 31. 1 Thess. IV. 16. quam etiam quidam per σαλπιγγα sive *tubam* accipiunt, ut superius monuimus, per quam omnes mortui in sepulcris velut in cubilibus dormientes excitabuntur. e) Ex *resurrectionis consequente*. Qui in monumentis sunt, audient vocem Filii hominis, *& procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii*. Christus non ut in præcedenti v. 25. de spirituali resuscitatione per quamdam restrictionem dixerat, *mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint, vivent*, etiam hoc loco dicit, omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii hominis, & qui audierint, procedent, sed absolute & simpliciter dicit, *audient & procedent*, ut ostendat, omnes illam vocem efficacissimam & potentissimam esse audituros, etiam eos, qui mallent in monumentis suis æternum quiescere. Prodibunt autem ex monumentis & resurgent omnes, sed sorte perquam dissimili, *qui bona fecerunt, procedent in resurrectionem vitae, qui vero male egerunt, in resurrectionem iudicii*, quod posterius membrum non potest de piis ac credentibus, qui spiritualis sive primæ resurrectionis participes facti sunt, Apoc. XX. 6. intelligi, sed necessario ad impios & incredulos referendum, ac proinde etiam impiorum resurrectio ibidem prædicitur. f) Ex *collatione cum loco prophetico Dan. XII.* Augustinus lib. XX. de civ. Dei cap. 23. *Sententiae evangelicae Ioh. V. locus propheticus Dan. XII. similimus est de resurrectione mortuorum. Nam qui illic dicti sunt esse in monumentis, ipsi hic dormientes in terrae aggere, vel sicut alii interpretati sunt, in terrae pulvere. Et sicut ibi procedent dictum est, ita hic exsurgent. Sicut ibi, qui bona fecerunt in resurrectionem vitae, qui autem mala egerunt,*

in resurrectionem iudicii: ita & ipso loco hi in vitam aeternam, & hi in opprobrium & in confusionem aeternam. Non autem diversum putetur, quod cum ibi positum sit, omnes qui sunt in monumentis, hic non ait propheta omnes, sed multi dormientium in terrae aggere, ponit enim aliquando scriptura pro omnibus multos; quae omnia si probe observentur, in fumum abeunt detorsiones Smalcii, quibus disp. VI. contra Frantz p. 171. hunc locum horribiliter corrumpere fuit ausus. Cum dicto Christi coniungimus dictum apostolicum Act. XXIV. 15. ubi resurrectionem mortuorum tum *iustorum* tum *iniustorum* sese exspectare apostolus adserit, quo quid clarius dici potuisset? Excipiunt, a) *non potuisse apostolum exspectare sive sperare resurrectionem iustorum.* Resp. spes apostoli refertur ad ipsam resurrectionem, quae postea ratione diversorum subiectorum in resurrectionem iustorum ac iniustorum distinguitur, sic Paulus Rom. VI. 17. *gratias se agere* dicit Deo, quod Romani *fuerint servi peccati, obedierint autem ex corde in formam doctrinae caelestis;* ubi est enunciatum coniunctum, non enim agit Deo gratias, quod Romani olim fuissent servi peccati, sed quod cum olim fuissent servi peccati, iam obedierint doctrinae: sic & hoc loco apostolus sperat resurrectionem iustorum & iniustorum, hoc est, resurrectionem, quae est iustorum & iniustorum. Adde, quod certo respectu etiam iniustorum resurrectionem pii sperare possunt, ut scilicet iusto Dei iudicio ipsis retribuatur, quod contra pios in hac vita male egerunt, Sap. V. 1. 2. Thess. I. 6. b) *Iniustorum nomine intelligi eos, qui olim tales fuerant.* Resp. at coniunguntur iusti & iniusti, iam vero omnes aliquando fuere iniusti, ergo hoc sensu nulli deberent dici iusti. Quotiescunque in scripturis iusti & iniusti invicem opponuntur, non intelliguntur iniusti, qui olim tales fuere, sed qui adhuc revera tales sunt.

§. XCVII. II) Ex *rationum momentis.* 1) Ex resurrectionis *causa impellente.* Iustitia divina requirit, ut non solum piis, qui in hac vita bona egerunt, reddantur praemia, sed etiam ut impiis, qui mala egerunt, rependantur supplicia. Quare cum non solum pii in corpore, & per corpus bona egerint, sed etiam impii in corpore, & per corpus peccaverint, ideo iustitia divina requirit, ut non solum pii sed etiam impii resurgant. 2) Ex resurrectionis *causa efficiente.* Christus est constitutus iudex omnium hominum non solum piorum sed etiam impiorum, Ioh. XVII. 2. *Pater dedit ei potestatem omnis carnis*, V. 27. *potestatem faciendi iudicium.* Act. XVII. 31. *Iudicaturus est orbem terrarum in iustitia.* Ergo non solum pios sed etiam impios resuscitabit. 3) Ex resurrectionis *consequente.* Impii non tantum iudicio Christi sunt sistendi, sed etiam una cum corporibus & in corporibus suis igni infernali adiudicandi. Ergo necessarium erit, ipsos in corporibus resuscitatis iudicio Christi sisti & damnationis sententiam audire. 4.) Ex *absurdis.* Si non resurgunt impii a) falsa erunt modo adducta Spiritus sancti oracula, in quibus impiorum resurrectio disertis verbis praedicitur. b) Iniustus erit Deus, qui corpora, quae fuerunt iniustitiae arma ac malorum operum organa, debitis eximit suppliciis. c) Securitati & impietati reproborum bipatentes portae aperientur &c. quae omnia cum sint absurda, ideo absurdum quoque illud, ex quo talia consequuntur.

§. XCVIII. III) Ex *patrum testimoniis*, quorum itidem duae constitui pos-

possunt classes. In quibusdam enim *generaliter* omnium omnino hominum resurrectionem secuturam adserunt; in quibusdam *definite* ac specialiter etiam impiorum resurrectionem futuram testantur. Ad *priorem* classem pertinent hæc dicta: Iustinus apol. II. pro christ. p. 68. *Christus omnium, qui unquam exstitere, mortalium corpora excitabit.* Tertullianus de resurr. carn. cap. 63. p. 347. *Resurget caro, & quidem omnis.* Auctor libri de *definitionibus*, qui habetur in operibus Tertulliani cap. 6. *Omnes simul & semel resurgent.* Epiphanius in ancorat. *Omnes resurgent, etiamsi nolint.* Augustinus in enchirid. ad Laurent cap. 84. *Resurrecturam carnem omnium, quicunque nati sunt, hominum atque nascentur, & mortui sunt atque morientur, nullo modo dubitare debet christianus.* De dogm. eccles. cap. 8. in principio: *Omnium hominum erit resurrectio.* Serm. CXL. de temp. *Omnes sumus resurrecturi, sed non omnes laetaturi.* Hesychius libr. VII. comment. in cap. 25. Levit. *Totius humani generis erit resurrectio.* Ad *posteriorem* classem hæc referenda: Tertullianus de resurr. carn. cap. 35. p. 331. *Praecipit Christus, eum potius timendum, qui corpus & animam occidat in gehennam, id est, Dominum solum, non qui corpus occidant, animae autem nihil nocere possint, ideſt, humanas potestates; adeo hic & animae immortalis natura recognoscitur, quae non possit occidi ab hominibus, & carnis esse mortalitatem, cuius sit occisio, atque ita resurrectionem quoque mortuorum carnis esse, quae in gehennam, nisi resuscitata, non poterit occidi.* Cyprianus serm. de resurr. Christi: *Resurrectio communis est, & ante tribunal Christi necesse est in corpore stare iustos & impios, Dei hoc dictante iustitia, ut pietas & impietas debitis stipendiis donarentur.* Lactantius lib. VII. instit. cap. 21. *Quia impii peccata in corporibus contraxerunt, rursus carne induentur, ut in corporibus piaculum solvant, & tamen non erit caro illa, quam Deus homini superiecerit, huic terrenae similis, sed insolubilis ac permanens in aeternum, ut sufficere possit cruciatibus & igni sempiterno.* Cyrillus lib. IV. in Iohan. 12. *Universum genus humanum, quod in mortem cecidit, ad vitam revertetur; qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae, qui mala, in resurrectionem iudicii.* Augustinus de vera relig. cap. 27. circa finem: *Resurget pius populus, ut veteris hominis sui reliquias transformet in novum: resurget impius populus, qui ab initio usque ad finem veterem hominem gesserit, ut in secundam mortem praecipitetur.* De fide ad Petr. cap. 3. circa medium: *erit etiam iniquorum resurrectio, sed sine immutatione, quam solis fidelibus & ex fide iuste viventibus daturus est Deus, habebunt iniqui cum iustis resurrectionem carnis communem, immutationis tamen gratiam non habebunt.* Cap. 29. in principio: *firmissime tene & nullatenus dubites, omnibus hominibus & bonis & malis resurrectionem carnis in adventu Domini futuram esse communem, retributionem vero iustitiae Dei esse bonis malisque dissimilem.* In orat. contra Iudæos, Paganos & Arianos cap. 20. *Bonis malisque promittitur resurrectio.* De verb. Dom. serm. XVII. circa finem: *etiam impii resurrecturi sunt, sed in ignem ituri.*

§. XCIX. Ratione distinctorum illorum subiectorum duæ constituuntur resurrectionis species Ioh. V. 29. Una vocatur *resurrectio vitae*, quæ est piorum & vere credentium propria, altera vero dicitur *resurrectio iudicii*, quæ est impiorum & incredulorum propria. Resurrectio vitæ vocatur ratione *finis & consequentis*, quia pii resurgent ad vitam æter-

ternam sive *ad vitas seculi*, ut loquitur Dan. XII 2. ut in passionem plenariam vitæ ac felicitatis æternæ introducantur, unde iure ac merito ipsorum resurrectio vitæ, hoc est, *vitalis* ac salutaris *resurrectio* adpellatur. Dicitur etiam ἀναστασις εις ζωην, *resurrectio ad vitam*, 2 Maccab. VII. 14. αιωνιος ἀναβιωσις ζωης, v. 9. κρειττων ἀναστασις, quia omnia meliora reddet, Heb. XI. 35. & absolute ἀναστασις, Luc. XX. 36. ubi pii & electi vocantur υιοι της ἀναστασεως, quia illi vere & proprie censentur resurgere, qui ad vitam & beatitudinem æternam resurgunt. Impiorum resurrectio potius est horribilis in æternum exitium prolapsus, unde eorum resurrectio itidem ratione *finis & consequentis* vocatur *resurrectio iudicii*, scilicet damnatorii sive condemnationis, quia scilicet fine eo resurgent, ut audita in iudicio sententia damnatoria in mortem secundam sive æternam præcipitentur. Quidam disputant, *priorem* resurrectionis speciem proprie vocari תְּחִיָּה ἀναβιωσιν, ζωοποιησιν, ἀναστασιν: *posteriorem* vero תְּקוּמָה ἐξαναστασιν. Et sane in quibusdam scripturæ dictis hoc discrimen observatur, ut constat ex Luc. XX. 36. Rom. VIII. 11. 1 Cor. XV. 22. &c. interim tamen non est perpetuum; Ioh. V. 29. impiorum resurrectio vocatur ἀναστασις κρισεως, Act. XXIV. 15. ἀναστασις ἀδικων, Ioh. XI. 24. Heb. VI. 2. universalis omnium hominum resurrectio absolute vocatur ἀναστασις, Rom. IV. 17. in genere dicitur quod Deus ζωοποιει τους νεκρους. Dicendum igitur, quod quemadmodum est duplex vita, *corporalis* & *spiritualis*, *naturalis* & *cælestis*; ita quoque duplex sit ζωοποιησις και ἀναβιωσις, collatio scilicet vitæ corporalis & spiritualis, prioris participes reddentur in resurrectione impii, non autem posterioris, quia vitæ naturalis restitutionem in ipsis sequetur æternum opprobrium ac supplicium, quod mortis æternæ sive secundæ nomine spiritus sanctus exprimit Apoc. XX 6. De resurrectione ad vitam suavissime sic loquitur Polycarpus in orat. sua προαγωνιω apud Eusebium lib. IV. hist. eccl. cap. 15. *Domine Iesu Christe fac me participem resurrectionis sanctorum tuorum*, hoc est, scio duplicem esse resurrectionem, sanctorum ad vitam, impiorum ad mortem æternam, ardenti igitur voto & toto pectore precor, ut lætissime resurrectionis ad vitam particeps reddar.

§. C. Antithesis: Impiorum resurrectionem negant 1) *Iudaei*, de quibus Buxdorffius in synag. Iud. cap. 1. refert, quod antiquam illam traditionem amplectantur, quæ statuit, *pios tantum resuscitatum iri*, *impios autem prorsus exspirare*, *& aeternis tenebris obrui*, *ut nunquam redeant in vitam*. Eamdem opinionem videntur amplexi amici Iobi, unde ipsi, quem ob impietatem promeritis adfici suppliciis existimabant, crebro obiiciunt, eum prorsus exstinctum iri, nullam vitæ spem ipsi esse reliquam, eius memoriam prorsus interituram, Baldad. XVIII. 5. sic differit: *lux impii exstinguetur*, *nec splendebit scintilla ignis eius*, *v. 13. consumet robur eius primogenitus mortis*, *v. 14. avertetur de tabernaculo fiducia eius*. Zophar XX. 7. *Velut sterquilinium sempiternum peribit impius*, *videntes eum dicent*, *ubi ille?* In libro Abkat Rochel impiis Iudæis beneficium resurrectionis obtingere negatur, quia *scilicet indigni sint liberatione & gaudio futuro in diebus Messiae*. In thalmud. lib. Sanhedrin de resurrectione ita differitur, ut tantum piorum & iustorum mentio fiat; & clarius libro Taanith solis iustis resurrectio adsignatur. Similiter apud Rabbinum Saadia Gaon

Antithesis.

Gaon super Dan. XII. gentilium resurrectionem itidem negant, ut videre est in Abraham Aben Ezra & Rabbi Salamon & Rabbi David Kimchi super Esa. XXVI. v. 14. item Aben Ezra & Rabbi David super Psal. 1. 5. ubi docent, *animas impiorum una cum corporibus interire in die mortis*, sicut & Aben Ezra super Daniel XII. Sed præter locum propheticum solis radio scriptum Dan. XII. 2. & argumentum ex regula iustitiæ divinæ petitum, D. Helvicus in elench Iud III. qui est tom. IV. Giessens. disp. VI. th. 19. & 20. ipsis opponit, quod in hac quæstione sibi non satis constent; alibi enim adfirmant, *gentiles condemnatum iri*, ut patet ex Raschi super Ezech. XXXII. 18. at si condemnabuntur, utique non solæ animæ condemnabuntur, sed animæ cum corporibus, cum utraque peccaverint, id quod agnoverunt Anschе Hamæchkar, sicut tradunt Aben Ezra & David Kimchi super Psalm. CIV. 30. ac posito principio resurrectionis, resurrectionem ipsam negare non debent. At principium resurrectionis iuxta Judæos est *ossiculum in spina dorsi humani*, quod nunquam putrescit, etsi per multa annorum millia in terra iacuerit, inde enim fabulantur Deum initium sumere resuscitationis, iam illud æque est in gentilibus atque in Iudæis. Targum Hierosolymitanum Cant. VIII. 5. *impiis* spem facit resurrectionis, licet non omnibus, sed iis tantum, *qui in regione Canaan obierunt*. Rabbi Bechai in lib. Kadhakemach ait *absque discrimine omnes Israelitas impios resurrecturos, sed in sui ignominiam sempiternam*, ex quibus apparet, Iudæos de impiorum resurrectione nihil certi habere.

§. CI. II) *Photiniani* de impiorum resurrectione obscure & ambigue loquuntur, videntur autem sentire, totum hominem, quando moritur, corpore & anima exstingui, ac pios quidem ad æternam vitam resuscitatum iri, impios vero vel non resuscitandos vel suscitatos & a Christo iudicatos iterum in nihilum redigendos, adeoque ipsos etiam diabolos æternum delendos & prorsus perdendos. Obiecerat hæc ipsis D. Frantzius disp. VII. poster. in August. confess. th. 98. ad quæ responsurus Smalcius in refut. p. 409. anguillæ instar totus lubricus est, ut certo ex verbis eius colligere nequeas, quid de hisce christianæ doctrinæ capitibus sentiat, interim si adcurate obserues sequentes propositiones a Smalcio dissertis verbis ibidem adsertas, facile adparebit, cui opinioni sit addictus. Sic ergo loquitur p. 409. *Solos pios victuros in aeternum, nonne est petitum ex penetralibus sacrarum literarum, quae solo vitae promissione solantur fideles, iam si quis hinc colligat, impios aeternum non victuros id non nostrae sententiae, sed sacris literis potius adscribendum esset.* (Vocabulum *vitae aeternae* est ambiguum, quandoque enim accipitur pro beata illa vita, quam electi in cœlis cum Christo & sanctis angelis agent; quandoque vero pro duratione æterna accipitur: priori sensu impiis denegatur, posteriore vero adscribitur, quæ duratio impiorum diverso respectu & *vita & mors aeterna* vocari potest, quia

Vita erit his fine fine mori & mors
vivere pœnis.)

Franciscus Iunius in comm. Daniel XII. tom. I. oper. p. 933. *Vita aeterna duobus modis consideranda est, 1) secundum essentiam creaturae viventis in se, 2) secundum adfectionem creaturae viventis ad principium aeternum vitae, hoc est, Deum qui propterea in scripturis vita aeterna appel-*

pellatur. Secundum vitam illam essentialem, qua creaturae vivunt in sese, omnes tam mali quam boni aeternum victuri sunt, sed secundum alterum modum soli pii victuri sunt in Christo Iesu. Pergit Smalcius pag. 410. *Cum porro de interitu vel iudicio daemonum legitur, nonne delendos eos esse hinc iure colligi potest? iam quomodo hoc futurum sit, in eo unicuique nostro quidem iudicio licet suo sensu abundare, idque idem etiam de cruciatibus daemonum & impiorum statuendum est, nos, quid amplius & aliud hac de re statui debeat, nihil nunc dicimus.* Scriptura iudicium dæmonum & impiorum non describit per *annihilationem*, sed per *aeternorum cruciatuum* & ignis infernalis *adiudicationem*; dicuntur enim impii *ituri in supplicium aeternum, ac proiiciendi in ignem aeternum, qui paratus est diabolo & angelis eius*, Matth. XXV. 41. & 46. paleæ dicuntur *comburendae igni inextinguibili*, III. 12. *vermis impiorum non morietur, ignis eorum non extinguetur*, Esa. LXVI. 24. Marc. IX. 44. 46. & 48. At si æterno supplicio adficiendi sunt, utique æternum erunt duraturi. Tertullianus de resurrectione carnis cap. 35. p. 331. *Si quis occisionem carnis atque animae in gehennam ad interitum & finem utriusque substantiae arripiet, non ad supplicium, quasi consumendarum, non quasi puniendarum, recordetur ignem gehennae aeternum praedicari in poenam aeternam & inde aeternitatem occisionis agnoscat, propterea humanae ut temporali praetimendam, tunc & aeternas substantias credet, quarum aeterna sit occisio in poenam. Certe cum post resurrectionem corpus cum anima occidi habeat a Deo in gehennam, satis constabit de utroque & de carnali resurrectione & de aeterna occisione. Absurdissimum alioquin, si idcirco resuscitata caro occidatur in gehennam, ut finiatur, quod & non resuscitata pateretur. In hoc scilicet reficietur ne sit, cui non esse iam evenit.)* Pag. 413. Matth. X. 28. *sermo est de tali anima, quae occidi potest nempe a Deo, anima autem, quae idem est, quod spiritus, in gehennam coniici non potest, cum ad Deum redeat, qui eam dedit, & sit immortalis*; (animam esse immortalem & animam impiorum una cum corpore perdendam esse in gehenna non pugnant invicem, sed sunt subordinata, perditio enim illa non erit animæ abolitio vel annihilatio, sed æternorum cruciatuum, qui æternæ ac secundæ mortis nomine intelliguntur, inflictio.) Pag. eadem *probat Frantzius, quod impii aeternis cruciatibus obnoxii erunt, qua quidem in re quia nihil de nobis certi pronunciare potest, mirum est, ipsum ita esse curiosum & anxie scrupulosum, ut eam etiam, quam nos non profitemur, refutare velit sententiam, quod in homine, qui alios docet Christi religionem, vitio non caret* (imo vero id vitio merito vertitur Smalcio, & ipsius adseclis quod suam de æternis impiorum ex morte resuscitatorum cruciatibus sententiam disertis verbis profiteri nolint, sed forte Smalcius eam nobis ediſſeret,) sequitur enim pag. 414. *Ego quidem, quod ad me attinet, hanc quaestionem satis difficilem esse puto, quae vero a Frantzio adseruntur, ea non dubito adfirmare, rem istam nullo modo conficere.* (Quæ D. Frantzius pro stabilienda impiorum resuscitatorum damnatione attulerat, ex illis eam confici posse Smalcius negat, sed tamen alia fundamenta proponit, utique ergo innuit, se non tantum probationem rei, sed etiam rem ipsam negare.) *Locus enim* Ioh. V. 29. *allegorice intelligi potest imo debet*, (contrarium ostendimus superius) *locus* Matth. XXV. 41. *de resurrectione nihil loquitur, sed tantum de iis, quos Christus vivos offendet.* (Falsissimum hoc est, quia v. 32. congregandæ dicuntur coram Christo iudice *omnes gentes*,

tes, ergo de universali iudicio, ac proinde etiam de universali resurrectione iudicium antegressura ac omnium piorum glorificatione, omnium vero impiorum damnatione iudicium secutura v. 41. diserte agitur.) *Locus* Danielis XII. *de captivitate Babylonica & de liberatione ex illa proprie intelligendus est, ad negotium resurrectionis non nisi improprie trahi potest, quod ut multa, quae hic dici possint, omittam, vel hoc solum evincit, quod ibi non de omnibus sit sermo, sed de multis tantum*, (contrarium ostendimus superius ac frivolae illi argutiae ex Porphyrii schola petitae respondimus.) *Apoc. XXII. 14. & 15. Item Iudae v. 14. & 15. nulla resurrectionis sit mentio.* (in priore loco agitur de gloria beatorum aeterna & poenis impiorum sempiternis, inter quas exclusio a coelesti Hierosolyma & aeterna felicitate non postremum obtinet locum. In posteriore agitur de ultimo Christi adventu & iudicio contra impios ferendo, utrumque videlicet tum iudicium tum poena impiorum resurrectionem eorum praesupponit.) *Locus Matth. X. 28. perditionem tantum animae in gehenna, non cruciatum denunciat.* (contrarium ex Tertulliano paulo ante ostendimus.) *Ignis Marc. IX. 44. inextinguibilis dici potest, quomodo etiam ignis, quo Sodoma exusta est, aeternus adpellatur, cum tamen hodie is nullus sit, quia scilicet aeternum exitium attulit isti civitati.* (At Sodomiticus ignis nuspiam dicitur ἀσβεστος, qua περιφρασει infernalis ignis proprie describitur, *cuius fumus dicitur adscensurus in secula seculorum*, Apoc. XIV. 11. cui coniungitur *opprobrium aeternum*, Dan. XII. 2. *supplicium aeternum*, Matth. XXV. 46. *ac vermis impiorum* corda & conscientias arosurus *nunquam extinguendus vel finiendus* Marc. IX. 44. dicitur) si obvertere velint Iud. v. 7. *ignem Sodomiticum vocari* αιωνιον, respondemus, Sodomitas ut *duplici caecitate* corporali & spirituali percussos Genes. XIX. 11. ita quoque *duplici igne* temporali & aeterno punitos, qua de re in tract. de inferno plenius dicetur. Matth. XXIII 15. *filius gehennae est dignus gehenna, hoc est, supplicio gravi. Duplicitas autem ista manifeste docere potest, sermonem hunc esse figuratum, cum in cruciatibus aeternis nulli dentur gradus.* (Contrarium suo loco demonstrabimus) Matth. VIII. 29. *non de adflictione aliqua futura in fine mundi, sed de tali, quae tunc daemonibus accidere poterat, sermo est, quae erat, quod Christus eos eiiciebat ex hominibus inter extraneas gentes, ad quas Christus tunc missus non erat.* (Imo vero diserte addunt daemones, *venisti huc ante tempus*, scilicet iudicii *nos βασανιται*, quem vero *βασανον* intelligant, colligitur ex Matth. XXV. 41. Luc. XVI. 23. Apocal. XX. 14 &c.) Apoc. XIV. 10. & XX. 10. *nulla sit resurrectionis mentio.* (Agitur ibi de aeternis impiorum ac diabolorum suppliciis, cum vero impii ea non solum in animabus sed etiam corporibus sint toleraturi, ideo resurrectio impiorum ex illis probari potest) Concludit tamen Smalcius his verbis: *Quae omnia fusissime dilatari & probari potuissent, si nunc cum Frantzio ea de re contendere nobis animus esset, quam nusquam aperte proposuimus, sed quam ille ex libris nostris vi quadam extorquere conatur.* (*Si* D. Franzius iniuriam ipsis fecit, hasce hypotheses eis adsignando, eceur in eis adstruendis, & quae in contrarium adferuntur, diluendis tantopere solicitus est Smalcius? Cur non diserte & perspicue suam suorumve adseclarum proponit sententiam? Quid adhuc tergiversatur?) Pag. 415. audacior factus subiungit: *impios futuros etiam immortales, nempe in aeternum opprobrium, nec usquam sacrae literae comprobant,*

bant, nec quidquam ex illis adferri posse videtur, unde sententia illa probari possit. Causam, cur in hac quæstione de impiorum resurrectione tam obscure & lubrice loquantur, exponunt ipsi in actis manuscriptis colloquii Racovienſis hisce verbis: *caute hac de re agendum est quemadmodum & ipse Christus & apostoli sese ad captum populi adcommodarunt, ut parabola de Lazaro & divite docet, non erat tunc tempus conturbandi Iudaeos, ut & nunc non est. Sic & interdum possunt quaedam dici, quae hanc sententiam hominibus indicent, donec tandem aetas maturescat, & homines hisce loquendi modis adsuescant.* Atqui 1) veritas nihil timet nisi abscondi. 2) Filii lucis non amant tenebras. 3) Suspecta merito est doctrina, quæ audiri & probari se non patitur. 4) Christo honorificentius testimonium præbent Pharisæi Matth. XXII. 16.

Argumenta contra impiorum resurrectionem:
1) *ex Psam I. 5.*
2) *ex Esa. XXVI. 14.*
3) *ex Esa. XLIII. 17.*
4) *ex Ierem. LI. 39.*
5) *ex Dan. XII. 2.*
6) *ex 2 Macc. VII. 14.*
7) *ex Luc. XIV. 14.*
8) *ex 1 Thess. IV. 14.*

§. CII. Argumenta contra impiorum resurrectionem potiora hæc sunt, 1) Psalm I. 5. *Non resurgent impii in iudicio, neque peccatores in cœtu iustorum.* 2) Esa. XXVI. 14. *Morientes non vivent, gigantes non resurgent.* 3) XLIII. 17. *Simul obdormierunt, nec resurgent, exstincti sunt quasi linum.* 4) Ierem. LI. 39. *Dormiant somnum sempiternum, & non consurgant.* Responsionem pete ex §. 38. 5) Dan. XII. 2. *Multi qui dormiunt sub pulvere terrae, evigilabunt. Ergo non omnes.* Responsio tradita fuit §. 13. 6) 2 Macc. VII. 14. *Tibi resurrectio non erit.* Resp. explicatio ac limitatio statim additur, εις ζωην *ad vitam.* 7) Luc. XIV. 14. *retribuetur tibi in resurrectione iustorum.* Resp. non excluduntur impii, ideo autem iustis peculiariter tribuitur resurrectio, quia illorum resurrectio erit salutaris ad vitam, cum contra impii resurrecturi sint *ad opprobrium, ad iudicium & ad supplicium*, ac ipsorum resurrectio ad opprobrium & exitium est potius æternus casus quam resurrectio. 8) 1 Thess. IV. 14. *Dormientes per Iesum adducet cum eo.* Resp. Photius apud Oecumenium in comm. illius loci tres causas adducit, propter quas apostolus resurrectionem describens, nullam fecerit aperte mentionem eorum, qui ad supplicium & ultionem resurgunt. *Primum quidem, quod ut Thessalonicenses consoletur, resurrectionis meminit. Nolo enim vos ignorare ait de his qui dormierunt, ne mœreatis. Non ergo eum, qui consolationem erat allaturus, tristiae permiscere oportuit. Qualis enim fuisset consolatio, supplicium & ultio perpetua, tenebrae, vermes & ignis? Itaque si ita scripsisset, mœrorem potius intendisset, & nulla ex parte animabus eorum consolationem attulisset. Secundo autem quia talibus resurrectionem exponebat. Merito ergo eorum non meminit, qui sunt in supplicium abducendi. Fideles namque qui iuxta dominica conversantur praecepta, nullius pœnae capient experientiam, sed in perpetuo gaudio ac laetitia degent. Tertio vero quia ipsum resurrectionis mysterium & propter quid facta sit, pariter nunc exponit. Etenim resurrectionem facit Deus ad salutem omnium hominum & immortalitatem ac inenarrabilem gloriam, aeternorumque fruitionem bonorum. Si quidem supplicium diabolo & angelis eius, quemadmodum dicit etiam in evangelio, praeparavit. Quod si quidam suis nequitiis pro praeparatis sibi bonis, ea, quae diabolo sunt praeparata, eligunt, id non fit iuxta dominicam benigni-*

gnitatem & providentiam. Idcirco Paulus ipsam resurrectionis naturam referens & propter quid ipsam Deus producat, merito eorum non meminit, qui in supplicium abducuntur, neque enim fit propter suppicium, sed propter mercedis retributionem. 9) *Resurrectio est singulare beneficium Christi, quod impiis tribui nequit.* Resp. resuscitatio piorum ad vitam æternam est beneficium Christi mediatoris ac salvatoris; resuscitatio impiorum ad ignominiam & pœnam æternam est opus Christi judicis.

9) *ex ratione.*

§. CIII. Quæritur circa resurrectionis subiectum. 1) *An infantes in utero materno exstincti sint resurrecturi?* Justinus in qq. & respons. ad orthodox. quæstion. 13. pag. 311. hoc dubium movet. Sic enim quæstionem informat: *Si resurrectio propter eorum, quae quisque in vita egit, remunerationem fit, quomodo infantes, aut etiam qui in utero exstinguuntur fœtus, resurgunt, qui neque factorum compensationem referunt, neque vel laxamenti vel angustiae, propter aetatis immaturitatem δια το της ηλικιας αωρον, sensum percipere possunt?* Respondet autem ex his fundamentis: *Qui credit verum esse illud, seminatur in infirmitate, resurgit in potentia, eum quoque possibile est & decet infantiam credere resurrectionem. Nam qui eis incorruptibilitatem tribuit, potentiam quoque, qua praesentia sentiant bona, conferre potest. Atque horum si resurrectio non fit, reperietur Deus frustra eos finxisse. At si Deus nihil facit frustra, necesse profecto est per resurrectionem infantes quoque ad id, ut sint, sive adesse produci. Quo modo vero importunum non fuerit, ulciscendae infantium occisionis gratia Herodem condemnare, si infantes, qui vindicandi sunt, non exstent? Testimonium his perhibent & baptistae Johannis in utero materno exultationis subsultatio & infantium atque lactentium hymnus & laudatio.* Hæc Justinus. *Si fœtus* fuere *animati* & vivi, quibus contingit prius sepeliri quam nasci, ac ipsis convertitur in cœmiterium, quod vitæ debebat hospitium, dubium nullum, quin sint resurrecturi: 1.) quia *omnes homines* in die novissimo resurgent, iam vero infantes illi sunt homines, quippe corpore organico & anima rationali præditi. 2) Quia infantes Christianorum per preces parentum & ecclesiæ Deo oblatos etiam ante perceptum baptismum in utero exstinctos a salute non debere excludi, ostendimus in tract. de bapt. §. 238. at si *salvandi* sunt, utique etiam resuscitandi. 3) Quemadmodum Christus ex eo, quod Deus se vocat Deum Abrahami, Deum Isaaci ac Deum Jacobi Exod. III. 6. contra Sadducæos probat resurrectionem illorum patriarcharum, Matth. XXII. 31 Marc. XII. 26. Luc. XX. 38. sic ex eo, quod Deus se vocat *Deum seminis nostri*, quæ adpellatio infantes nondum in lucem editos complectitur, resurrectionem infantum in utero materno exstinctorum probare possumus. 4) Christus non solum nasci, sed etiam *in utero virginis concipi* ac gestari voluit, ut etiam infantum in utero materno adhuc concluforum ac piis precibus sibi oblatorum sese salvatorem esse demonstraret.

Quaestiones de subiecto resurrectionis.
I) An infantes in utero materno exstincti sint resurrecturi.

§. CIV. II) *An fœtus abortivi sint resurrecturi?* De hac quæstione sic disserit Augustinus tom. III. in enchirid. ad Laurent. cap. 85. *De abortivis*

II) An fœtus abortivi sint resurrecturi?

tivis fœtibus primo occurrit quaestio, qui iam quidem nati sunt in uteris matrum, sed nondum ita, ut iam possint renasci. Si enim resurrecturos eos dixerimus, de his, qui iam formati sunt, tolerari potest utcunque quod dicitur. Informes vero abortus quis non protlivius perire arbitretur, sicut semina quae concepta non fuerint? Sed quis negare audeat, etsi adfirmare non audeat, id acturam resurrectionem, ut quidquid formae defuit, impleatur? atque ita non desit perfectio, quae accessura erat tempore, quemadmodum non erunt vitia, quae accesserunt tempore, ut neque in eo, quod aptum & congruum dies adlaturi fuerant, natura fraudetur, neque in eo, quod adversum atque contrarium dies adtulerant, natura turpetur, sed integretur, quod nondum erat integrum, sicut instaurabitur, quod fuerat vitiatum. Cap. 86. *Scrupulosissime inter doctissimos quaeri ac disputari potest, quod utrum ab homine inveniri possit ignoro, quando incipiat in utero homo vivere? Utrum sit quaedam vita occulta, quae nondum motibus viventis adpareat? Nam negare vixisse puerperia, quae propterea membratim exsecantur & eiiciuntur ex uteris praegnantium, ne matres quoque, si mortua ibi relinquantur, occidant, impudentia nimia videtur. Ex quo autem incipit homo vivere, ex illo utique iam mori potest. Mortuus vero ubicunque illi mors potuit evenire, quomodo ad resurrectionem non pertineat mortuorum, reperire non possum.* Tom. V. lib. XXII. de civ. Dei cap. 13. *Abortivos fœtus, qui cum iam vixissent in utero, ibi sunt mortui, resurrecturos ut adfirmare, ita negare non audeo, quamvis non videam, quomodo ad eos non pertineat resurrectio mortuorum, si non eximuntur de numero mortuorum. Aut enim non omnes mortui resurgent, & erunt aliquae humanae animae sine corporibus in aeternum, quae corpora humana quamvis intra viscera materna gestarunt, aut si omnes animae humanae recipiant resurgentia sua corpora, quae habuerunt, ubicunque viventia & morientia reliquerunt, non invenio, quemadmodum dicam, ad resurrectionem non pertinere mortuorum quoscunque mortuos etiam in uteris matrum.* Hæc Augustinus. Decisio quæstionis pendet ex hypothesi de *animae propagatione.* Quidquid enim anima rationali, utpote forma humana fuit præditum, illud aliquando resurget. Quod si igitur certum tempus statuitur, quo fœtus animatur, constare etiam poterit, quinam abortus resurrecturi sint, quinam vero minime. *Resurrectio praesupponit mortem, mors praesupponit vitam.* Abortus inanimes & informati non vixerunt, ergo nec mori potuerunt & per consequens nec resurgent. Fœtus autem abortivi, qui formati fuerunt & vitam habuerunt, etiamsi in utero exstincti fuerint, resurgent ab omni tamen defectu & infirmitate liberati. Sed præstat hic ἐπέχειν & cautam profiteri ignorantiam, quam temerariam venditare scientiam.

§. CV. III) *An partus monstrosi sint, resurrecturi?* Monstra sunt duplicia, quædam a specie humana plane abhorrent, & brutis animantibus quam hominibus sunt similiora, quæ proprie dicuntur *monstra.* Quædam vero speciem hominis adhuc referunt, interim quantitate vel figura membrorum aberrant, & hæc proprie dicuntur *partus monstrosi.* Priorum resurrectionem negamus, posteriorum vero adfirmamus. Augustinus in enchirid. ad Laurent. cap. 87. *Neque enim & monstra, quae nascuntur & vivunt, quamlibet cito moriantur, aut resurrectura negabuntur, aut ita vitiata resurrectura credenda sunt, ac non potius correcta emen-*

III) *An partus monstrosi sint resurrecturi.*

emendataque natura. Absit enim ut illum bimembrem, qui nuper natus est in oriente, de quo & fratres fidelissimi, qui eum viderunt, retulerunt, & sanctae memoriae Hieronymus presbyter scriptum reliquit, absit inquam, ut unum hominem duplicem, ac non potius duos, quod futurum fuerat, si gemini nascerentur. resurrecturos existimemus. Ita caetera quae singuli quique partus vel amplius vel minus aliquid habendo vel quadam nimia deformitate monstra dicuntur, ad humanae naturae figuram resurrectione revocabuntur, ita ut singulae animae singula sua corpora obtineant, nullis cohaerentibus etiam quaecunque cohaerentia nata fuerant, sed seorsim sibi singulis sua membra gestantibus, quibus humani corporis completur integritas, quae verba Augustini adducit Lombardus libr. IV. sent. dist. 44. §. ult. Bonaventura in comm illius loci quærit de monstro, quod *partim est homo, partim bestia*, an illud sit resurrecturum? Respondet autem, *si partes principales sunt hominis, si vixit, habuit animam humanam, & ideo ordinatum est ad resurrectionem, & resurget homo secundum totum.* D. Hüterus in locis artic. XXIV. p. 882. *Cum hominem subiectum resurrectionis constituimus, merito hinc excludimus monstra & partus abortivos inanimes, qui hominis definitionem non sortiuntur.*

§. CVI. IV) *An subiectum resurrectionis recte dicatur totus homo?* Ratio dubitandi est, quia totus homo non moritur secundum omnes partes, cum anima immortalis perseveret. Dicendum igitur, quod cum actiones & passiones sint supposíti, *totus homo* ολικως consideratus recte statuatur subiectum resurrectionis, sed non *totum hominis*, μεριχως considerati sive omnes hominis partes. Animæ enim utpote spiritui immortali non competit resurrectio illa, de qua hoc loco agimus, sed alia, videlicet spiritualis, quam Iohannes vocat, *resurrectionem primam*, Apoc. XX. 6. quæ in hac vita duntaxat locum habet. Corpus vero ut in morte proprie cadit, ita etiam proprie resurgit, & corporis τω πεπτωκοτος respectu homo dicitur resurgere, unde in symbolo apostolico notanter dicitur: *Credo resurrectionem carnis.* Methodius apud Epiphanium haeres. 64. pag. 242. ειν δε τις την αναστασιν επι της ψυχης και μη επι της σαρκος βιαζεται λεγειν εσεσθαι, πολλη μεν μωρια τετω και αλογια, ε γαρ τον εστωτα τις ανιστησεν αλλα τον κειμενον. Chrysostomus serm. de resurr. *De anima non proprie dicitur resurrectio; resurrectio enim eius est, quod cecidit & quod dissolutum est, anima autem non dissolvitur, sed corpus.* Quia vero superius diximus, formam resurrectionis consistere in duobus, in *corporum* scilicet ex terræ pulvere *reformatione* & in eorumdem *animatione*, sive animarum cum corporibus suscitatis redunitione, ideo respectu operis posterioris etiam animabus resurrectio tribui potest, sed κατ αλλο qui corpori resurgenti iterato uniuntur, ac ad pristinum officium animationis, quod in morte ac per mortem suspensum fuerat, iterum redeunt. Ex scholasticis monuimus superius resurrectionem accipi, tum pro *suscitatione animae a peccato mortali* ad statum gratiæ, quæ est resurrectio prima, tum pro *reunitione animarum rationabilium* in sua corpora, & sic resurrectionem definiunt corporis facti incorruptibilis ad animam iteratam unionem. *Resurgere*, inquit Gabriel serm. II. in festo Pasch. *nihil aliud est quam animam vivificantem iterum corpori, quod deseruit, uniri.*

IV) An subiectum resurrectionis recte dicatur totus homo?

V) An bruta sint resurrectura?

§. CVII. V) *An etiam bruta sint resurrectura?* 1) Socinus in resp. ad defens. Pucc. p. 144. Puccio tribuit, *quod statuerit bestias in nova terra futuras.* Et sane Puccius in defens. adv. Socinum p. 38. ita statuit, ac pro resurrectione brutorum adducit tria scripturæ dicta, Esa. LXV. 25. Rom. VIII. 19. 1. Cor. XV. 17. 2) In legendis papistici de Sylvestro memoratur, quod *mortuum taurum excitaverit;* de D. Germano, *quod asellum, qui obierat, & vitulum, quem ipsius familia comederat, a mortuis revocaverit;* de Bonifacio, quod *vulpem exegerit, ut gallinas devoratas redderet.* Capgravius de sancto Aido narrat, quod *octo lupis esurientibus octo bidentes dederit, miserebat enim eum luporum famelicorum, sed postmodum eosdem bidentes iam devoratos a lupis oratione sua integros ex ventribus luporum receperit.* Ex quibus miraculis (nisi falsa & ficta essent) quodammodo colligi posset, etiam bruta resuscitatum iri. 3) *Mahumetistae* brutorum resurrectionem credunt. Sed bruta illa opinio merito exsulare ab hominibus debet. a) Quia scriptura nusquam de brutorum resurrectione loquitur. Quæ Puccius adducit, nihil minus quam brutorum resurrectionem docent. b) Bruta non sunt ad immortalitatem a Deo condita. c) In bruta proprie non cadit virtus vel peccatum, quid Photiniani perquam absurde hic nugentur. Ergo etiam non reportabunt præmia vel supplicia eorum, quæ in hac vita egerunt. d) Animæ brutorum non sunt spiritus immortales, sed una cum corporibus exstinguuntur. Recte ergo Nyssenus lib. de opif. hominis cap. 3. scribit: *Proprium & praecipuum hominis, ac solum a cunctis animantibus est, eius corpus post mortem resurgere & immortalitate donari.* Si dicas *apostolum* Rom. VIII. 20. *adserere, quod creatura subiecta sit ματαιοτητι* v. 21. *liberanda vero a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei*, resp. *creaturae* nomine generaliter intelligi totam mundi machinam cœlesti & elementari regione constantem quæ in hac vita subiecta est *ματαιοτητι*, vanitati ac frustrationi, hoc est, non tantum corruptioni & multiplici mutationi, sed etiam abusui impiorum, unde per quamdam *προσωποποιιαν*, ut Chrysostomus in comm. notat, dicitur simul *ingemiscere & parturientis dolores sustinere, ut a servitute corruptionis liberetur*, quod fiet in die novissimo, quando filii Dei in libertatem gloriæ sive gloriosam evehentur, particula enim *εις* phrasi Hebraica pro *εν* posita videtur. Sed de hoc loco apostolico in tractatu de mundi *συντελεια* plenius disseremus.

CAPVT IX.

DE ADIUNCTIS RESVRRECTIONIS.

Adiuncta resurrectionis. 1) Tempus.

§. CVIII. *Adiuncta resurrectionis* sunt 1) *tempus*, 2) *locus.* Tempus resurrectionis universalis est dies novissimus, in quo etiam seculi consummatio & iudicii extremi executio sequetur. Job. XIX. 25. *In novissimo die super pulverem me statuet.* Dan. XII. 1. *In tempore illo* novissimo *stabit Michael pro populo suo*, v. 2. *& multi, qui in pulvere dormiunt, evigilabunt.* v. 13. *Tu Daniel requiesces & stabis*

bis in sorte tua in fine dierum. Matth. XIII. 39. *Messis est consummatio seculi.* v. 41. *Mittet Filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala* XXIV. 30. *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute & maiestate multa* v. 31. *& mittet angelos suos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos eius a quatuor ventis.* XXV. 31. *Cum venerit Filius hominis in gloria sua & omnes sancti angeli cum eo, tunc sedebit super thronum gloriae suae,* v. 32. *& congregabuntur ante eum omnes gentes.* (ex mortuis scilicet suscitatæ) Ioh. VI. 39. *Quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo, sed resuscitabo illud in die novissimo die,* quod repetitur v. 40. & 44. XI. 24. ait Martha de fratre defuncto Lazaro: *Scio, quia resurget in resurrectione in die novissimo.* 1. Cor. XV. 52. *In novissima tuba, tuba enim canet, & mortui resurgent incorrupti & nos immutabimur.* 1. Thessal. IV. 16. *Ipse Dominus in iussu, in voce archangeli & in tuba Dei descendet de cœlo, & mortui in Christo resurgent primum.* Apoc. XX. 11. *Et vidi thronum magnum & candidum & sedentem super eum, cuius a conspectu fugit cœlum & terra, & locus non est inventus eis.* v 12. *Et vidi mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt &c. & iudicati sunt mortui ex his, quae scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.* Hilarius in proœmio Psalm. & Augustinus sermon CCLI. de temp. statuunt, *die dominico futuram generalem resurrectionem.* Hilarius enim psalmum VIII. propterea hanc inscriptionem *pro torcularibus* habere dicit, *quod corpora nostra die octavo ut vascula novis fructibus praeparata resurrectionis gloriam sint receptura.* Scholastici dicunt: *Resurrectio omnium illorum, qui in adventu Christi inveniuntur mortui, erit in ultimo instanti temporis proprie dicti, quod cessabit cessante motu cœli.* Quia vero præcise & exacte sciri nequit, quis futurus sit novissimus dies, & quo tempore Christus ad iudicium sit venturus, Matth. XXIV. 36. Marc. XIII. 32. Actor. I. 7. ideo etiam momentum universalis resurrectionis sciri nequit. De chiliastarum opinione, quod sancti ante universalem reliquorum hominum resurrectionem sint a Christo suscitandi, ut per annos mille in his terris cum Christo deliciis mundi perfruantur, antequam scilicet seculi consummatio & impiorum resurrectio sequatur, ut & de Piscatoris somnio, qui putat *solos martyres ante universalem hominum resurrectionem esse resurrecturos, & mille annis cum Christo in cœlis regnaturos, deinde vero reliquos homines ex morte in vitam revocandos esse,* in tract. de consummatione seculi dicemus.

§. CIX. Antithesis.

Antithesis.

Circa tempus resurrectionis a veritatis tramite aberrant: 1) *Omnes* quotquot extremi iudicii & consummationis seculi diem curiosa temeritate ac temeraria *curiositate* definire præsumunt. Cum enim resurrectionem mortuorum immediate secuturum sit iudicium extremum & consummatio seculi, ideo determinando tempus iudicii & consummationis seculi etiam resurrectionis tempus soli Deo præcise notum consequenter definire convincuntur. Sed de his ἀεροβατησι imo ὑρανοβατησι inferius dicemus. 2) *Philosophi Platonici ac mathematici*, qui post *annum magnum* seu perfectam revolutionem orbium cœlestium omnia restituenda in eum statum, in quo nunc sunt, tradiderunt, ita ut post triginta sex millium annorum decursum omnes iidem & numero & essentia & accidentibus

bus & actionibus simus futuri, qui nunc sumus. Rationem huius opinionis desumunt ex astronomicis: Volunt enim orbem illum summum cœlorum in se complecti, 366. gradus, & unum quodque astrum centenis quibusque annis unum ex eis pertransire, unde contingat, ut exacto triginta sex millium annorum spatio unum quodque sidus ad idem punctum redeat, a quo moveri cœperat, & cum status ac situs cœlestium corporum eadem ratione, qua fuit ab initio, sese habeat, existimant omnia ad eam formam reditura, qua tunc fuerit. Sed falsitatem huius opinionis multis ostendere non est operæ pretium a) principium eiusdem, quod hominum studia, consilia, actiones, vita & mors dependeant ex positu siderum, nondum satis probatum ac stabilitum, imo a Ioh. Pico Mirandulano & aliis penitus destructum. b) Consectarium eiusdem est absurdum, videlicet resurrecturos homines ad pristinum huius vitæ statum, cum scriptura testetur *ad vitam aeternam* alterius seculi homines resuscitandos. 3) Ipsimet opinionis huius architecti & adseclæ sibi non satis constant, quidam enim illam ἀποκατάστασιν universalem ad quadraginta millia annorum dilatum iri arbitrantur. d) Eadem includit falsissimam hypothesin de *mundi aeternitate*, quia exactis iterum triginta sex annorum millenariis eadem revolutio secutura statuitur & sic consequenter. e) Aristoteles hanc opinionem refellit ex principio physico, quod ἀδυνατον sit, ea, quæ semel interciderunt, eadem numero redire, quantumcunque temporis spatium interponatur. f) Resurrectio mortuorum non est opus vel effectum quoddam naturæ a causis naturalibus, a corporibus scilicet cœlestibus ac gradibus firmamenti originem trahens, sed est actio Dei super naturalis & miraculosa a divina voluntate, potentia, iustitia, sapientia, bonitate & veracitate unice dependens.

§. CX. Quæritur hoc loco: 1) *Cur Deus tamdiu differat piorum resurrectionem, cum corpora piorum fuerint Spiritus sancti templa non minus quam ipsius Christi, quem ultra triduum Deus in sepulchro quiescere noluit.* Resp. 1) Causam exponit divinum oraculum animabus martyrum vindictæ accelerationem flagitantibus datum Apocal. VI. 11. *quibus dictum est, ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur etiam conservi eorum & fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut & ipsi.* Differt igitur Deus tempus resurrectionis & iudicii, quia nondum completus est electorum numerus. 2) Animæ piorum cœlesti vita pace & lætitia interim perfruuntur, neque quidqnam doloris aut molestiæ inde percipiunt, quod corpora utpote per se inanimia ac sensus expertia in sepulchro putrescant. 3) Christus resurrexit ut *primitiae dormientium*, 1. Cor. XV. 23. ac *primogenitus ex mortuis*, Col. I. 18. æquum igitur est, ipsum ut in omnibus, ita quoque in resurrectione πρωτευειν, ut apostolus ibidem loquitur, ac proinde temporis & ordinis respectu non minus quam dignitatis ratione *primus* resurgere debuit. 4) Quamvis corpora nostra non minus quam ipsius Christi fuerint Spiritus sancti templa, tamen inter nostra & Christi corpora est maximum discrimen. Christi corpus est ex Spiritu sancto conceptum, ex virgine sine peccato natum, prorsus impollutum, ac λογω personaliter unitum, nos contra in peccatis nati *iniquitatem velut aquam hausimus*, quæ per corruptionis alembicum iterum est extra-

trahenda. Quæritur II.) *Quo diei tempore homines sint resurrecturi?* Thomas in supplem. quæst. 77. artic. 3. respondet *resurrecturos in crepusculo diei summo diluculo, quo Dominus resurrexit.* Sed ut articulus temporis, in quo Christus ad iudicium rediturus, homini non est notus, Marc. XIII. 35. *nescitis quando dominus domus sit venturus, sero, an media nocte, an gallicinio, an mane:* ita quoque momentum illud temporis, in quo futura est resurrectio, in scripturis non est revelatum. Collatio resurrectionis Christi cum resurrectione nostra non instituitur respectu temporis, sed ratione causæ efficientis ac meritoriæ, quia Christus resurrectione sua beatam ad vitam resurrectionemnobis promeruit.

II) Locus.

§. CXI. De *loco* resurrectionis Judæi sic fabulantur, quod *tempore adventus Messiae resuscitandi sint mortui ea conditione, ut qui extra terram Canaan mortui fuerint, ingenti dolore per subterranea loca volvantur usque ad terram Canaan, ibique demum resurgant.* Sed de hac singulari terræ Canaan prærogativa vel sanctitate altum in scripturis est silentium. Contra vero absolute sine ullius loci vel regionis respectu prænunciat scriptura omnium hominum resurrectionem, quod *evigilaturi sint, qui dormiunt in pulvere terrae*, Daniel. XII. 2. *qui sunt in monumentis*, Iohan. V. 28. *qui in cubilibus suis quiescunt*, Esa. LVII. 2. *qui habitant in pulvere*, XXVI. 19. quod *terra & mare redditura sint mortuos suos;* Apoc. XX. 13. ergo nulla erit opus subterranea circumvolutione ac circumgyratione. Pollicetur Deus Ezech. XXXVII. 12. *se tumulis iam apertis & mortuis vivificatis*, adeoque ex omnibus mundi partibus collectos eos *in terram promissionis reducturum;* ergo extra terram Canaan peragetur mortuorum resuscitatio. Somnio suo probabilitatem quamdam Judæi conciliare nituntur ex eo, quod *pii patriarchae voluerint in terra Canaan sepeliri, & corpora sua post mortem eo deferri, quia scilicet ipsis notum fuerit, Israelitas extra terram Canaan sepultos non resurrecturos a mortuis, nisi per occultos terrae meatus ingenti cum cruciatu in promissam terram fuerint devoluti*, ut nugatur Rabbinus Salomon Jarchi in comm. Genes. XLVII. Sed in hoc argumento est *fallacia causae;* veras huius propositi patriarchalis causas ostendimus in tract. de morte, in quæstione de cultu reliquiarum §. 115. Scholastici de resurrectionis loco varie disputant: Abulensis in Matth. XXII. q. 233. & XXV. q. 302. opinatur, *omnes omnium hominum cineres ab angelis in vallem Iosaphat deducendos, atque in eadem valle omnes homines resurrecturos.* Idem statuit Scotus lib. IV. sent. dist. 43. & alii ex scholasticis. Sed nititur hæc opinio hypothesi incerta, quod scilicet omnes gentes *in valle Iosaphat* sint iudicandæ, adde quod in prophetico vaticinio Joël III. cui unice innituntur, dicatur, *congregandas esse gentes in vallem Iosaphat.* Quod si ergo in vallem illam congregandæ, utique in ea non resurgent. Chrysostomus 1 Thess. IV. *ubique resurgunt, congregantur autem ab angelis*, qua de re in sequenti tract. de extremo iudicio in quæstione de loco plenius dicetur. Scriptura simpliciter adserit, *mortuos in terrae pulvere dormientes vocem Christi audituros, & ad iudicium prodituros;* unde alii ex scholasticis statuunt, *quod resurrecturi sint mortui in illis locis, in quibus tempore resurrectionis erit pars principaliter corporis, sive ibi a principio fuerint sepulta eorum corpora sive non; vel resurgent in illo loco, in quo Deus*

quemque resurgere voluerit & hoc ultimum dicitur propter hoc, si aeque plures partes principaliores corporis reperiuntur in uno loco, sicut in alio. Richardus lib. IV. sent. dist. 43. artic. 5. quæst. 3.

CAPVT X.

DE COGNATIS RESVRRECTIONIS.

Cognata resurrectionis.

§. CXII. *Cognata* resurrectionis sunt: 1) *resuscitatio quorumdam mortuorum a Christo & sanctis Dei hominibus, prophetis & apostolis tum in vet. tum in nov. test. facta*, quæ fuit præludium secuturæ in die novissimo resurrectionis. Exempla & præludia illa enumeravimus superius §. 27. Differt autem illa paucorum resurrectio a futura omnium hominum resurrectione 1) ratione *causae efficientis instrumentalis*. Excepta enim filia Jairi, filio viduæ in Nain ac Lazaro, itemque iis, qui post Christi resurrectionem e monumentis prodierunt, qui a Christo immediate resuscitati, reliqui omnes mediante sanctorum ministerio ac precibus in hanc vitam revocati sunt, sed resuscitatio in fine seculi immediate ab ipso Christo peragetur. 2) Ratione *finis*, illi resuscitati fuere ad hanc vitam, ideoque ipsis denuo fuit moriendum, ut ostendimus in tractat. de morte §. 68. sed qui in die novissimo resurgent, ad immortalitatem & incorruptibilitatem resurgent, ideo a morte penitus immunes ac liberi erunt. 3) Ratione *subiecti*. Illa resurrectio paucorum est, ac proinde duntaxat particularis, hæc vero erit omnium, ac proinde universalis. 4) Ratione *adiuncti temporis*. Illa facta est durante adhuc tempore gratiæ & præsentis vitæ statu, hæc vero fiet in fine seculi, quam immediate sequetur iudicium extremum & mundi totius consummatio.

§. CXIII. II) *Translatio Enochi*, Genes. V. 24. Sirac. XLIV. 16. XLIX. 16. Hebr. XI. 5. & *Eliae*, 2 Reg. II. 11. Sirac. XLVIII. 9. 1 Maccab. V. 58. quibus coniungi possunt *sancti*, *qui cum Christo ex mortuis resurrexerunt*, & cum ipso in adscensione cœlestem gloriam ingressi sunt, Matth. XXVII. 52. & 53. in quibus & ἀναστασις & μεταθεσεως exemplum nobis proponitur. Nec absurde quis huc retulerit exemplum *Mosis*, quem ab ipso Domino sepultum, ac proinde etiam mortuum esse Spiritus sanctus commemorat Deut. XXXIV. 6. Sed quia una cum Elia in transfiguratione Christi conspicitur ἐν δοξῃ & sermones cum ipso confert, Matth. XVII. 3. Marc. IX. 4. Luc. IX. 31. verisimile est, ipsum fuisse a morte divinitus resuscitatum, ac in cœlestem paradisum ad Enochi & Eliæ consortium translatum. Differt autem hæc translatio Enochi & Eliæ a resurrectione mortuorum in die novissimo secutura: 1) ratione *generis*. Aliud est μεταθεσις vivorum, aliud ἀναστασις mortuorum. 2) Ratione *subiecti*. Illa fuit privilegium paucorum, hæc vero erit omnium omnino hominum. 3) Ratione *adiuncti temporis*. Illa facta est durante adhuc vet. testamenti tempore, hæc vero in fine seculi fiet. 4) Ratione *modi*. Illa est actio Dei extraordinaria, hæc vero erit opus Christi mediatoris regis ac iudicis ordinarium. 5) Ratione *finis*. Enoch translatus est, *ut exemplum pœnitentiae esset generationibus*, Sirac.

Sirac. XLIV. 16. hoc est, ut realem pœnitentiæ concionem hominibus proponeret, quia Deus hac translatione manifestum fecit, restare adhuc vitam aliam. Mortui vero in novissimo die resurgent, *ut unusquisque reportet eorum vel praemia vel supplicia, quae in corpore gessit*, 2 Cor. V. 10.

§. CXIV. III) *Liberatio ex morbis lethalibus.* Cum enim morbi sint mortis caduceatores atque adparitores; cum in morbis lethalibus portæ mortis nobis aperiantur, ideo liberatio ex morbis lethalibus haud immerito cognatum quoddam resurrectionis præludium censetur. 1 Sam. II. 6. *Dominus mortificat & vivificat*, per liberationem ex terroribus & periculis mortis. Psalm. IX. 14. *Exaltas me de portis mortis, ut enarrem laudes tuas in portis filiae Sion*, hoc est, vitæ ac sanitati me restituis, atque ex tentationibus liberas, ut laudem canam nomini tuo. XXX. 4. *Eduxisti ab inferno animam meam, vivificasti me a descendentibus in sepulcrum.* LXVIII. 21. *Deus est nobis Deus ad salutes, & Domino Deo sunt ad mortem exitus.* Sicut soli Deo *detectae sunt portae mortis*, Iob. XXXVIII. 17. hoc est, aditus ad mortem perspectos & in promtu habet ad perveniendum, quocunque tandem mortis genere aliquem hinc evocare voluerit; ita quoque ipsi sunt *exitus ad mortem*, hoc est, novit varias vias & modos, quibus ex morte aliquem liberare possit, tum per liberationem ex morbis lethalibus, tum per resuscitationem corporis ex sepulcro, tum per donationem vitæ spiritualis, cœlestis ac æternæ. Psalm. CVII. 17. *Stulti sive peccatores propter viam praevaricationis eorum & propter iniquitates eorum adflicti fuerunt &c. pervenerunt usque ad portas mortis.* v. 19. *Et clamaverunt ad Dominum, & ab angustiis suis servavit eos.* v. 20. *Misit verbum suum, & sanavit eos, & eruit de perditionibus eorum.* Atqui si morborum lethalium immissio est ad portas mortis deductio, utique liberatio ex morbis lethalibus est ex portis mortis quædam reductio. Esa. XXXVIII. 10. inquit Ezechias: *in excisione dierum meorum vadam ad portas sepulchri.* v. 16. *Sanabis me & vivificabis me.* v. 17. *Placuit tibi eruere animam meam a fovea putredinis.* 2 Cor. I. 8. *Summe gravati fuimus supra vires, adeo ut prorsus animi penderemus etiam quoad vitam.* v. 9. *Sed ipsi apud nos αποκριμα τȣ θανατȣ responsum sive decretum mortis habuimus, ne confideremus in nobis ipsis, sed in Deo qui mortuos excitat*, v. 10. *quique ex tanta morte nos eripuit & eripit, in quo speramus, eum nos adhuc etiam erepturum.* Hæc omnia liquido testantur, liberationem ex morbis lethalibus esse præludium quoddam resuscitationis, a qua tamen adhuc differt, tum ratione *termini a quo*, tum ratione *termini ad quem*, ut cuivis primo intuitu manifestum.

De immutatione eorum, quos dies novissimus deprehendet vivos.

§. CXV. IV) Cum primis vero proximam cum resurrectione cognationem habet αλλαγη sive *immutatio eorum, quos dies novissimus deprehendet vivos* εν τω ατομω και εν ριπη οφθαλμȣ peragenda, de qua 1 Cor. XV. 51. *Ecce mysterium vobis dico, non omnes quidem obdormiemus, sed omnes immutabimur.* v. 52. *In momento, in ictu oculi, in tuba novissima, (canet enim tuba) & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur.* v. 53. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptibilitatem, & mortale hoc induere immortalitatem.* & 1 Thess. IV. 15. *Hoc vobis dicimus in verbo Domini, quia nos vivimus, qui reliqui*

erimus in adventu Domini, non praeveniemus eos, qui obdormierunt. v. 16. *Ipse enim Dominus cum hortationis clamore, cum voce archangeli & cum tuba Dei de cælo descendet, & qui mortui fuerint in Christo, resurgent primum,* v. 17. *deinde nos vivi, qui reliqui erimus, rapiemur simul cum eis in nubibus in occursum Domini in aera, & ita semper cum Domino erimus.* Isthæc vivorum immutatio, per quam exuta corruptibilitate & mortalitate incorruptibilitatem & immortalitatem induent, mortis & resurrectionis instar ipsis erit. Antequam vero de isthac vivorum ἀλλαγῃ uberius agamus, notandum est, in loco apostolico 1. Cor. XV. 51. lectionum diversitatem occurrere, de qua Hieronymus in epist. ad Minerium & Alexandrum, quæ est numer. CLII. tom. III. pag. 37. ex veteribus interpretibus latissime disserit. *Quaeritis*, inquit, *quo sensu dictum sit, & quo modo in prima ad Corinthios epistola Pauli sit legendum*: Omnes quidem dormiemus, non autem omnes immutabimur? *An iuxta quaedam exemplaria*: non omnes obdormiemus, omnes autem immutabimur; *utrumque enim in Græcis codicibus invenitur. Super quo Theodorus Heracleotes, quae urbs olim Perinthus vocabatur, in commentariolis apostoli sic locutus est*: Omnes quidem non dormiemus, omnes autem immutabimur. *Enochus enim & Elias mortis necessitate superata ita, ut erant in corporibus, de terrena conversatione ad cælestia regna translati sunt, unde & sancti, qui die consummationis atque iudicii in corporibus reperiendi sunt, cum aliis sanctis, qui ex mortuis resurrecturi sunt, rapientur in nubibus obviam Christo in aera, & non gustabunt mortem, eruntque semper cum Domino gravissima mortis necessitate calcata, unde ait apostolus*: Omnes quidem non dormiemus, omnes autem immutabimur. *Qui enim ex mortuis resurrexerint, & in nubibus viventes rapti fuerint, transibunt ad incorruptionem, & a mortalitate in immortalitatem mutabuntur, non in tempore, non saltim in brevi spatio, sed in atomo & in puncto temporis atque momento, quo palpebra oculi moveri potest, in novissima tuba: tanta enim fiet celeritate resurrectio mortuorum, ut vivi, quos in corporibus suis consummationis tempus invenerit, mortuos de inferis resurgentes praevenire non valeant. Diodorus, Tartensis episcopus, praeterito hoc capitulo in consequentibus breviter adnotavit in eo, quod scriptum est*: Et mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. *Si, inquit, incorrupti resurgent mortui, haud dubie quin & ipsi ad meliora mutati. Quid necesse fuit dicere, & nos immutabimur? An hoc voluit intelligi, quod incorruptio communis sit omnium, immutatio autem proprie iustorum? dum non solum incorruptionem & immortalitatem, sed & gloriam consequuntur. Apollinarius, licet aliis verbis, eadem, quae Theodorus, adseruit, quosdam non esse morituros, sed de praesenti vita rapiendos in futuram, ut mutatis glorificatisque corporibus sint cum Christo, quod nunc de Enoch & Elia credimus. Didymus non pedibus, sed verbis in Origenis transiens sententiam, contraria via graditur.* Ecce mysterium vobis loquor, omnes quidem dormiemus, non omnes autem immutabimur, *quod ita disseruit: Si non indigeret resurrectio interprete, nec obscuritatem haberet in sensibus, nunquam Paulus post multa, quae de resurrectione locutus est, intulisset:* Ecce mysterium vobis dico, Omnes quidem dormiemus, *id est, moriemur,* non omnes autem, *sed soli sancti* immutabimur, *Scio, quod in nonullis codicibus scriptum sit:* non quidem omnes dormiemus, omnes autem immutabimur. *Sed considerandum, an ei, quod praemissum*

De loco apostolico 1. Cor. XV. 51.

sum est, omnes immutabimur, *possit convenire quod sequitur:* Mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. *Si enim omnes immutabimur, & hoc commune cum caeteris est, superfluum fuit dicere:* Et nos immutabimur. *Quamobrem ita legendum est:* Omnes quidem dormiemus, non omnes autem immutabimur. *Si enim in Adam omnes moriuntur, & in morte dormitio est, omnes ergo dormiemus. sive moriemur. Dormit autem iuxta idioma scripturarum, qui mortuus est spe resurrectionis futurae, omnisque qui dormit, utique expergiscitur, si tamen non subita vis mortis eum oppresserit, & mors somno fuerit copulata, cumque omnes ita dormierint lege naturae, soli sancti & corpore & anima in melius mutabuntur, ita ut incorruptio omnium resurgentium sit, gloria autem atque mutatio proprie sanctorum &c. Acacius Caesareae, quae prius Turris Stratonis vocabatur, post Eusebium Pamphili episcopus in quarto συλλεκτων ζητηματων libro proponens sibi hanc eamdem quaestionem latius disputavit, & utrumque suscipiens, quod inter se videtur esse contrarium, sic locutus est. Dicamus primum de eo, quod magis in plurimis codicibus invenitur:* Ecce mysterium vobis dico, omnes quidem dormiemus, non autem omnes immutabimur. *Mysterium dixit, ut attentiores faceret auditores de resurrectione plenius disserturus. Dormitio autem mortem istam, quae communis est omnium, significat, unde rectissime posuit, quod omnes dormiamus, id est, moriamur, sicut supra dixit, in Adamo omnes mori. Cum ergo omnes morituri sint, audite sacramenta, quae dico:* Omnes quidem moriemur, sed non omnes immutabimur. *Canit enim tuba, haud dubie quin angelus septimus, & mortui resargent incorrupti. Si autem incorrupti erunt mortui, quomodo non immutabuntur, cum incorruptio ipsa mutatio sit? Sed hic commutatio, qua Paulus mutandus & sancti sunt, glorificatio intelligitur. Incorruptio autem ideirco communis est omnium, quia id eo miserabiliores erunt peccatores, ut ad tormenta perpetui sint, & non mortali & corruptibili corpore dissolvantur &c. Cui sententiae magis adquievit ecclesia, ut omnes communi morte moriamur, & non omnes mutemur in gloriam &c. Quae cum ita se habeant, & sic intellecta sint a nobis, eorum tantum commutationem suscipere, qui resurgent in gloriam; peccatorum autem & infidelium, qui mortui appellantur, & resurgent incorrupti, nequaquam commutationem, sed poenas perpetuas esse dicendas. Transeamus ad secundam lectionem, quae ita fertur in plerisque codicibus:* Non quidem omnes dormiemus, omnes autem immutabimur. *Ex qua nonnulli adserunt, multos vivos in corporibus reperiendos, & si non dormiant omnes, non omnes esse morituros; si autem non moriantur omnes, non omnes resurrecturos, resurgere enim proprie dicitur, qui prius moriendo cecidit, unde & Paulum volunt scribere 1. Thessal. IV.* Nos qui vivimus, qui residui sumus in adventu Domini, non praeveniemus eos, qui dormierunt *&c. Et ex his dictis probare conantur, apostolum Paulum, & qui cum eo scribebant, putasse, se non esse morituros, sed reperiendos die consummationis in corpore. Quod si verum est, erravit Paulus, & humana aestimatione deceptus est, ut arbitraretur se inveniendum in corpore, quod falsum esse, rerum exitus adprobavit &c. Melius est igitur spiritualiter sentire, quod scriptum est, & dormitionem in praesenti loco non mortem accipere, per quam anima a corpore separatur, sed peccatum post fidem & offensam Dei, dormitionemque post baptismum &c. est enim somnus peccati, qui ducit ad mortem, & est alia delicti dormitio, quae morte non finitur &c. Cum igitur quidam non dormi-*

ant, qui semper in Christo vivunt & vigilant, sequitur, ut nequaquam omnes dormiant, & econtrario omnes immutentur, non immutatione gloriae, quae proprie debetur sanctis, sed ea immutatione, qua corruptivum hoc incorruptivum efficitur, ut vel pœnas vel praemia recipiat sempiterna &c. Hoc autem sciendum, quod magis conveniat veritati ita legere: Omnes quidem dormiemus, non omnes autem immutabimur; maxime quia sequitur: mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. *Si enim omnes sunt immutandi iuxta alteram lectionem, quomodo postea dicitur, quasi praecipuum atque privatum & proprie apostolorum,* & nos immutabimur? *Quaeritis, quo modo intelligendum sit illud, quod in prima ad Thessalonicenses epistola scribitur:* Nos qui vivimus, qui residui sumus in adventu Domini, non praeveniemus eos, qui dormierunt *&c. Super quo quamvis superior Acacii disputatio plenius ventilarit, tamen dicendum est, quid videatur aliis, Theodoro videlicet, Apollinario & Diodoro, qui unam sequuntur sententiam, quorum Diodorus haec scripsit: Residuos atque viventes Paulus apostolus vocat, non quo velit intelligi, & se & alios resurrectionis tempore in corpore reperiendos, sed non dixit, pro eo, quod est, iustos, de quorum & ego sum numero, ipsi enim rapientur obviam Christo, & non peccatores. Viventes autem non iuxta tropologiam, sanctos accipimus, qui peccato mortui non sunt, sed omnes, quos in corpore adveniens Christus invenerit. Quodque sequitur, non praeveniemus eos, qui dormierunt, nequaquam ad peccatores referre debemus, neque enim peccatores cum iustis rapientur obviam Christo, sed ii quos mors dissolverit &c.* Subiungit postea Origenis expositionem allegoricam & concludit: *Haec celeri sermone dictavi, quid eruditi viri de utroque loco sentirent, & quibus argumentis suas vellent probare sententias, vestrae prudentiae exponens, neque enim tanta est meae pusillitatis auctoritas, quanta eorum, qui nos in Domino praecesserunt &c.* Et postea: *Illud breviter in fine commoneo, hoc quod in Latinis codicibus legitur:* Omnes quidem resurgemus, non omnes autem immutabimur, *in Graecis voluminibus non haberi, sed vel:* Omnes dormiemus, non autem omnes immutabimur, *vel*: non omnes dormiemus, omnes autem immutabimur. Is, qui commentariolos collegit in omnes Paulinas epistolas, quos quidam Hieronymi putant, sed falso, indicat triplicem huius loci lectionem. Prima est, *omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*, ut immutari sit proprium transeuntis ad vitam beatam, cuius lectionis & hunc sensum facit, *omnes resurgemus, qui mortui reperiemur, non omnes immutabimur, qui in corpore vivi reperiemur*, quod soli pii sint immutandi, multi autem impii deprehendi vivi. Alteram, *omnes quidem dormiemus, sed non omnes immutabimur*, ut accipiamus neminem non moriturum, non omnes item immutandos in gloriam. Tertiam, *omnes quidem non dormiemus, sed omnes immutabimur*, ut intelligas non omnes morituros, omnes tamen transformandos ad eamdem gloriam, siquidem totus hic sermo non ad omnes homines communiter, sed ad iustos proprie pertinet, atque hanc postremam lectionem maxime probat, ut apostolico sensui maxime congruentem. Chrysostomus homil. XLII. in 1. Cor. circa medium locum hunc sic enarrat: *Venerandum quiddam & arcanum, & quod non omnes norunt, est dicturus. Quid hoc autem est?* Omnes quidem non obdormiemus, omnes autem immutabimur. *Hoc est autem, quod dicit, non*

omnes

omnes quidem moriemur, omnes autem immutabimur, etiam qui non moriuntur, nam illi quoque sunt mortales. Ne ergo quoniam morieris, propterea, inquit, timeas, tanquam non resurrecturus. Sunt enim, sunt etiam aliqui qui hoc effugient, & tamen hoc eis non sufficit ad illam resurrectionem, sed oportet illa quoque corpora, quae non moriuntur, immutari, & transire ad incorruptionem. Et postea: *Mortui resurgent incorrupti & nos immutabimur. Illud* nos *non dicit de seipso, sed de iis, qui tunc inveniuntur viventes.* Ambrosius vel quicunque est alius auctor in comm. 1. Cor. XV. *Omnes quidem resurgemus, non omnes immutabimur. Omnes enim homines resurgent, sed soli, qui regnaturi sunt, in gloriam mutabuntur. Sive ita: Omnes resurgemus, qui in adventu Christi mortui inveniemur, non omnes immutabuntur, qui in corpore sint reperti, quia soli sancti beatitudinis gloriam consequentur. Mortui resurgent incorrupti & nos immutabimur. Mortui vel peccatores intelligendi sunt, qui etiam viventes mortui esse dicuntur, ut ad poenam: aut immortales, ut absque aliqua membrorum diminutione resurgant. Vel certe simpliciter omnes mortuos resurgere dicit, & solos sanctos eum iis, qui vivi iusti inventi fuerint, in gloriam immutari.* In comm. 1. Thess. IV. *Ipso raptu mors proveniet & quasi per soporem, ut egressa anima in momento reddatur. Cum enim tollentur, morientur, ut pervenientes ad Dominum recipiant animas, quia cum Domino mortui esse non possunt.* Augustinus lib. XX. decivit. Dei cap. 20. *Quaeri solet, utrum illi, quos hic viventes Christus inventurus est, quorum personam in se atque illos, qui tunc secum vivebant, transfigurabat apostolus, nunquam omnino morituri sint, an ipso temporis puncto, quo cum resurgentibus rapientur in nubibus obviam Christo in aera, ad immortalitatem per mortem mira celeritate transibunt? Neque enim dicendum est, fieri non posse, ut dum per aera in sublime portantur, in illo spatio & moriantur & revivisçant &c. Ad hunc autem sensum, quo existimemus etiam illos, quos hic vivos inventurus est Dominus, in ipso parvo spatio & passuros mortem & accepturos immortalitatem, ipse apostolus nos videtur urgere, ubi dicit:* In Christo omnes vivificabuntur, *cum alio loco de ipsa loquens resurrectione corporum dicat:* Tu quod seminas, non vivificatur, nisi moriatur. *Quomodo igitur, quos viventes hic Christus inveniet, per immortalitatem in illo vivificabuntur, etsi non moriantur, cum videamus propter hoc esse dictum:* Tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur? *aut si recte non dicimus seminari, nisi ea corpora hominum, quae moriendo quoquo modo revertuntur in terram, sicut sese habet etiam illa in transgressorem patrem generis humani divinitus prolata sententia:* Terra es & in terram ibis, *fatendum est istos, quos nondum de corporibus egressos, cum veniet Christus, inveniet, & in istis verbis apostoli & illis de Genesi non teneri, quoniam sursum in nubibus rapti non utique seminantur, quia nec eunt in terram nec redeunt, sive nullam prorsus experiantur mortem, sive paululum in aere moriantur. Sed aliud rursus occurrit, quod idem dicit apostolus, cum de resurrectione corporum ad Corinthios loqueretur:* Omnes resurgemus, *vel sicut alii codices habent,* omnes dormiemus. *Cum ergo nec resurrectio fieri possit, nisi mors praecesserit, nec dormitionem possumus illo loco intelligere, nisi mortem, quomodo omnes dormient vel resurgent, si tam multi, quos in corpore inventurus est Christus, nec dormient, nec resurgent? Si ergo sanctos, qui reperientur Christo veniente viventes, eique obviam rapientur, crediderimus in eodem raptu de mortalibus cor-*

corporibus exituros & ad eadem mox immortales redituros, nullas in verbis apostoli patiemur angustias, sive ubi dicit, tu quod seminas, non vivificatur, nisi moriatur, *sive ubi dicit*, omnes resurgemus, *aut* omnes dormiemus, *quia nec illi per immortalitatem vivificabuntur, nisi quamlibet paulum tamen ante moriantur, ac per hoc & a resurrectione non erunt alieni, quam dormitio praecedit*, (alii legunt: *dormitione praecedunt*) *quamvis brevissima, non tamen nulla.* In quem Augustini locum sic commentatur Ludovicus Vives. *Graeci codices non omnes hic consentiunt teste Hieronymo. Nam alii habent*: omnes quidem non dormiemus, omnes autem immutabimur, *ut Erasmus copiosius ostendit & in adnotationibus & in apologia, qua super hac re calumniatori respondit. Ex hac librorum dissonantia credo natam controversiam illam, sintne omnes morituri an aliqui, quos dies ille ultimus deprehenderit viventes sine morte transituri ad immortalitatem. Lombardus cum pugnare inter se Hieronymum & Ambrosium docuisset, inter tantos viros pronunciare non sustinuit. Quid quod Augustinus Ambrosio accedit, sed Hieronymus frequenti Graecorum manu stipatur, Origene, Chrysostomo, Theophylacto, qui legerunt apud Paulum.* Non omnes dormiemus. *Et Ambrosium ostendit Erasmus nutare.*

§. CXVI. Hisce veterum vestigiis insistentes notamus circa locum apostolicum 1 Cor. XV. 51. 1.) *In Graeco textu sive in ipso fonte nullam hic esse corruptionem.* Oppositum est hoc theorema Melchiori Cano & Thomæ Stapletono, quorum ille libr. II. locor. theol. cap. 13. hic vero in relect. princip. fid. contr. quæst. 3. artic. 2. & in antidot. 1. Corinth. XV. Græcum nov. testamenti textum corruptionis propter hunc ipsum locum adcusat. Atqui 1) aliud est diversitas lectionis, aliud vero corruptio textus. Quod si namque ob lectionis diversitatem corruptio statim inferenda, nec Hebræus textus in vet. nec Græcus in nov. testam. nec versio Latina incorrupta erit, & consequenter nullam habebimus scripturam integram & incorruptam. 2) Vulgata versio non tantum magnam varietatem & lectionum diversitatem admisit, ut multis probant Benedictus Arias montanus, Franciscus Lucas Burgensis & alii, sed etiam vitiositatem, quæ tamen in concilio Tridentino sub pœna anathematis pro authentica scriptura declarata est. 3) In hoc ipso loco variant Latini codices, quidam enim legunt: *Omnes dormiemus*; quidam vero: *omnes resurgemus*, ut notat Augustinus loco proxime citato. Quod si ergo diversitas lectionis parit corruptionem, etiam Latini codices corrupti erunt. 4) Neutra lectio græci textus talem introducit discrepantiam, quæ fidei analogiæ repugnet, vel errori alicui patrocinetur, ut postea demonstrabimus. 5) Hieronymus lectionis diversitatem in Græco textu notat: corruptionis vero nec verbulo meminit. 6) Bellarminus libr. II. de verbo Dei cap. 7. & Huntlæus Gordonus in epitom. controvers. I. de verbo Dei capit 12. recenset loca, in quibus corruptelam aliquam textui Græco nov. testamenti subesse arbitrantur, sed hunc ipsum locum apostolicum prætermittunt, non prætermissuri utique, siquid mendæ in eo agnovissent.

§. CXVII. II) *Lectio, quae sic habet,* πάντες μεν ου κοιμηθησομεθα, πάντες δε αλλαγησομεθα, *praeferenda est alteri, quae per traiectionem particulae negativae*

sic habet, παντες μεν κοιμηθησομεθα, αλλ᾽ ου παντες αλλαγησομεθα. Hoc theorema probamus sequentibus fundamentis: 1) quia antiquissimi ac probatissimi codices sic legunt, ut constat ex opere Regio & Roberti Stephani codicibus. Eodem modo legitur in editione Aldina, Hervagiana & Wecheliana. 2) Syrus & Arabs interpretes eodem modo vertunt. Acacius apud Hieronymum *plerosque codices sic legere* adserit. 3) Eodem tenore hunc locum citant Theodorus Heracleæ, Diodorus Tarsensis, & Apollinarius Laodiceæ Episcopi referente Hieronymo d. l. Origenes libr. II. contra Celsum, Chrysostomus, Basilius, Theodoretus, Oecumenius & Theophylactus. In commentariolis Hieronymo adscriptis eadem lectio ut apostolico sensui maxime congrua reliquis præfertur. Ambrosius, quamvis in expositione textus alteram lectionem, *omnes quidem resurgemus*, *sed non omnes immutabimur*, sequatur, tamen etiam alteram subdit interpretationem, in qua significat, *fore qui non moriantur*, *atque ob id non resurgant*. Idem facit lib. de fid. resurrect. cap. 9. Augustinus, quamvis alteram lectionem sequatur, tamen in quæst. ad Dulcit. quæst. III. statuit, *non omnes homines morituros*: videlicet non eos, qui in fine mundi obviam Christo rapientur. At hæc sententia non satis congruit cum altera lectione: *omnes dormiemus*. 4) Erasmus in annot. h. l. pag. 356. ponit hanc regulam: *Quoties veteres fatentur*, *lectionem esse diversam*, *semper mihi suspectior esse solet ea*, *quae prima specie videtur absurdior*, *ut consentaneum sit lectorem vel parum eruditum vel parum attentum offensum absurditatis imagine*, *mutasse scripturam*. Idem etiam circa hunc locum usuvenisse videtur. 5) Lectio illa magis congruit συναφειᾳ textus. *Ecce*, inquit apostolus, *mysterium vobis dico*. At qui omnes dormituros sive morituros, non autem omnes immutandos, non erat tantum mysterium, quia iam ante constabat Corinthiis, omnes esse morti obnoxios, omnes esse resuscitandos, sed ex omnibus resuscitatis solos pios ad gloriam per immutationem transferendos, quid quod in hoc ipso capite apostolus illud iam ante tradiderat. v. 22. *In Adam omnes moriuntur*. v. 43. *Seminatur in corruptione*, *surgit in incorruptione &c.* Præterea v. 52. immediate subiunctus optime respondet huic lectioni, *in momento*, *in ictu oculi*, *in novissima tuba & mortui resurgent incorrupti*, *& nos immutabimur*. Distinguit inter mortuos resurrecturos incorruptos & inter vivos ad incorruptionem immutandos, quia scilicet non omnes sint dormituri sive morituri, ac proinde nec resurrecturi, omnes tamen immutandi sive in ipsa resurrectione sive in resurrectionis analogo. Prius ad mortuos, posterius ad eos, quos novissimus dies deprehendet vivos, spectat. 6) Eadem lectio magis congruit cum loco 1. Thess. IV. ut ostendit collatio. versic. 15. *Hoc dicimus vobis in verbo Domini* (id respondet illi 1. Cor. XV. 51. *Mysterium vobis dico*) *nos qui vivimus*, *qui residui sumus in adventu Domini*, *non praeveniemus eos*, *qui dormierunt* (id respondet illis verbis, *non omnes dormiemus*. Si enim quidam vivent ac residui erunt in adventu Domini, qui non prævenient eos, qui dormierunt, utique non omnes dormiemus) v. 16. *Ipse Dominus in iussu*, *in voce archangeli & in tuba Dei descendet de cœlo*, *& mortui resurgent primi* (id respondet illis verbis 1. Cor. XV. 52. *In momento*, *in ictu oculi*, *in novissima tuba mortui resurgent incorrupti*.) 17. *Deinde nos qui vivimus*, *qui relinquimur*, *simul rapiemur cum*

illis in nubibus obviam Domino in aera, (id respondet illis verbis, *& immutabimur*, quia absque intercedente immutatione corpora animalia non possent in nubibus obviam Domino rapi in aera.) 7) Hæc lectio congruit cum aliis scripturæ dictis, in quibus Christus dicitur *iudex ac Dominus vivorum & mortuorum*. Actor. X. 42. Rom. XIV. 9. 1. Pet. IV. 5. Quod si namque omnes morituri essent, utique Christus non vivorum sed mortuorum duntaxat esse iudex.

§. CXVIII. Opponitur huic lectioni a Salmerone, Stapletono, Suarezio, Cornelio a Lapide, Sacroboſco & aliis pontificiis: 1) quod *in aliis scripturae locis & in hoc ipso capite* 1. Cor. XV. 22. *omnes dicuntur in Adamo morituri. Ergo concinnius est sic legere:* Omnes quidem dormiemus, *id est, moriemur*. Cornelius a Lapide in comm. Resp. a) Locus apostolicus 1. Thessal. IV. 15. & 16. clarissime ostendit, quosdam non dormituros, eos scilicet, quos adventus Domini resiuos ac vivos deprehendet. 6) Paucorum prærogativa nihil derogat legi communi. *Omnes in Adam peccaverunt*, inquit apostolns Rom. V. 12. & tamen Pontificii exceptam putant ab hac universalitate b. virginem. e) Enochus & Elias salva regula apostolica Heb. IX. 27. *statutum est hominibus semel mori*, a mortis necessitate fuere excepti. Idem de illis, quos dies novissimus vivos deprehendet, cogitari potest. 2) *quod non omnes in die novissimo sint immutandi, quia impii non transformabuntur in gloriam. Unde apostolus non dicit v. 52. Omnes immutabuntur, sed nos immutabimur*. Stapletonus in antid. h. l. ubi eo impudentiæ procedit, ut *Graecum textum falsum & impium* adserat. Resp. Erasmus respondet, malos etiam immutandos non quidem ad gloriam, tamen ad immortalitatem, sed ostendimus superius, apostolum hic de piis duntaxat loqui, simplicissime igitur respondetur, omnes pios esse ad gloriam immutandos, mortuos quidem per *resurrectionem*, vivos per *analogum resurrectionis*. 3) Quod *haec lectio falsam inducat hypothesin. Nam illud*, omnes quidem non dormiemus, *iuxta verborum proprietatem perinde est ac dicere, nullos dormituros. Non enim Graece dicitur sic: Non omnes dormiemus, quo declararet aliquos non morituros, sed omnes dormiemus, quo significat nulli dormient.* Salmeron. disput. XXVIII. in 1. Cor. XV. pagin. 249. Resp. mirum vero, Chrysostomum, Theodoretum, Theophylactum & alios Græcos patres hoc non animadvertisse, qui tamen Græci sermonis peritiores erant, quam Salmeron. Mirum est, Hieronymum, Ambrosium & alios, qui alteram lectionem præferunt, propterea hanc nostram non penitus repudiare, quia falsam pariat sententiam. Sed breviter respondemus, distinguendum esse idiotismum Hebræum a Græco. Apud Hebræos quidem hic sensus ex tali propositione resultat, ut adparet ex similibus exemplis. *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis caro*, id est, nulla, *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*, id est, nullum. Sed Græci idiomatis est dispar ratio, 4) *Quomodo Paulus diceret, non omnes dormiemus, cum Dominus dicat, Dormitaverunt omnes & dormierunt.* Matth. XXV. Salmeron d. l. Resp. parabola Christi non est opponenda textui apostolico 1. Thessal. IV. in quo clarissime adseritur, non omnes per mortem obdormituros. Per dormitationem ac somnum παραβολικως innuitur, quod ob moram sponsi tædio quodam adficiantur, ac curam sponsi exspectandi ferme

me deponant. Quod si vel maxime cum Hieronymo in comm. Matth. XXV. Augustino epist. CXX. in enarr. Psalm. 147. lib. LXXXIII. quæstion. q. 59. & Gregorio homil. XII. in evang. de morte accipere velimus, responderi tamen posset, immutationem vivorum fore morti analogam, vel de maiori hominum parte agi, quæ ante extremum diem moritur, quorum comparatione pauci sunt, quos dies novissimus deprehendet vivos. 5) *Si orbis conflagratio iudicium perpessura est, quis in tanto incendio vivus valeat superesse?* Salmeron. d. l. Resp. hypothesis argumenti adhuc dubia est, ut in tract. ostendimus, ac si vel maxime esset certa, tamen qui tres pueros in fornace Babylonica servare potuit vivos, id ipsum in novissimo die præstare poterit. 6) *Si de iis, qui non morientur, dixit apostolus*, & nos immutabimur, *quomodo verum erit de ipso apostolo Paulo, quod non sit mortuus, cum se inter eos enumeret, qui non immutabuntur & non morientur? & quomodo hanc ansam prudens dedisset existimandi vicinum iudicium & diem Domini imminere, cum ipse sui corporis resolutionem sciret, & de illa interdum loquatur.* Salmeron d. l. Resp. 1. Thess. IV. 16. itidem se adnumerat iis, quos dies novissimus deprehendet, qua de re pluribus paulo post agemus. 7) *Quis ausit ullum hominem a communi mortis debito eripere, si nec Christus, nec beata virgo, nec Iohannes baptista nec apostoli ab ea excepti fuerunt.* Salmeron d. l. Resp. excepti fuere Enoch & Elias, quos ab antichristo occidendos reservari, falsa est pontificiorum hypothesis. Apostolus discretis verbis excipit, quos dies novissimus vivos inveniet. Christus mortuus est libera voluntate inductus, non autem moriendi necessitate coactus. Gratias autem habemus Salmeroni, quod fateatur, *b. virginem & Ioannem baptistam morti fuisse obnoxios*, cum multi ex pontificiis contrarium statuant.

§. CXIX. III) *Lectio, quae iuxta quosdam codices Graecos sic habet: παντες μεν κοιμηθησομεθα, αλλα παντες αλλαγησομεθα, ac iuxta Latinos codices:* omnes dormiemus, *vel* omnes resurgemus: non autem omnes immutabimur, *potest ad bonum sensum reduci, ac proinde nequit simpliciter repudiari.* Probamus hoc 1) quia sic legunt Tertullianus de resurrectione carnis cap. 42. Origenes in III. volum. epist. ad Thess. Ambrosius & Cyrillus in comm. Augustinus libr. XX. de civ. Dei cap. 20. in quæstionibus ad Dulcitium, orat. contra Iudæos cap. 12. contra Adimantium cap. 20. Fulgentibus libro de fide ad Petrum cap. 3. Philo Carpathius in Cant. canticor. Paulinus, episcopus Nolanus in panegyrico de Celso puero sic canens:

Namque resurgemus, sed non mutabimur omnes. & alii ex Latinis Patribus Didymus, Alexandrinus, & Acacius. Cæsariensis episcopus, apud Hieronymum eam præferunt. Beza in codice Claremontano Græcum textum Latino respondere adserit. 2) *Dormitionis & resurrectionis* nomen generaliter accipi potest, ut complectatur non solum dormitionem sive mortem & resurrectionem, proprie dictam, sed etiam immutationem illam, qua mortalitas exuitur, & immortalitas induitur, quæ instar mortis & resurrectionis futura est. 3) *Immutationis* nomine specialiter intelligi potest beata illa immutatio, qua pii non solum immortalitatem induent, sed etiam in spiritualitatem, gloriam & virtutem transferentur, quæ non erit omnibus

bus hominibus communis, sed piorum duntaxat propria. Gagneius tale scholion ex Græcis adducit: *Resurgent indubie omnium corpora immortalitatis indata gratia, at non omnes immutabuntur, sed in honore permanebunt impii, soli vero immutabuntur iusti, nimirum ad immortalitatis commodum immutati & divinae gloriae indumento ditati.* Omnes ergo morientur & resurgent, si mortis ac resurrectionis nomen *late* accipiatur, ut includat immutationem illam, qua in iis quos dies Domini deprehendet vivos, vita animalis cessabit, & exuta mortalitatis veste immortalitas induetur. Non morientur nec resurgent omnes, si mortis ac resurrectionis nomen stricte accipiatur pro animæ a corpore separatione & eiusdem cum corpore ex terræ pulvere formato reunitione. 4) Cornelius a Lapide in comm. 1. Cor. XV. præfert quidem lectionem vulgatæ translationis, *Omnes resurgemus &c.* ut planiorem, veriorem, certiorem & cum dictis scripturæ, quæ *omnibus hominibus statutum esse semel mori* docent, magis congruentem; interim non audet alteram, quæ negat omnes dormituros ac resurrecturos, simpliciter repudiare; proinde etiam discedit a Soto & Catharino, qui lectionem illam Græcorum & sententiam ex ea ortam, quod non omnes morituri sint, temeritatis ac erroris damnant, ac cum Suarezio concludit, *sententiam illam, quae docet omnes omnino homines morituros ac resurrecturos, tantum esse probabiliorem contrariam.* Cajetanus & Erasmus nobis sunt ομοψηφοι. Sixtus Senensis libr. IV. biblioth. sanct. adnotat. 265. pag. 543. scribit, *apud Graecos Oecumenium, & apud Latinos auctorem libri de eccles. dogm. & Augustinum q. 3. ad Dulcitium pronunciare, quod aeque catholici sunt, qui tam istam quam illam lectionem & opinionem sequantur.*

§. CXX. Cæterum cum lectionis illius, quam alteri præferendum diximus, magnum in loco paralello 1. Thess. IV. paratum sit præsidium, ideo Salmeron eum plane in alienum detorquet sensum. Primo probare conatur, *Paulum de illis residuis in adventu Domini unum non posse intelligi, quia erroris illius, quod dies Domini tum temporis vicinus esset, tollendi causa posteriorem ad Thessalonicenses scripsit epistolam, & quia corporis sui propinquam solutionem fore arbitrabatur, 2. Timoth. IV.* ex quo infert, *alium in his apostoli verbis quaerendum esse sensum*, quem sic exponit: *De resurrectione piorum doctrina traditur & mysterium aperitur. Resurrectio omnium, quantum ad carnem adsumendam universa erit, quantum vero ad plenitudinem gloriae, resurrectio erit iustorum tantum, & de ista hoc loco sermo est, distinguunt enim sacrae literae resurrectionem iustorum ab illa impiorum Psalm. I. 5. Iohan. V. 29. Constabit autem resurrectio hoc ordine: Primo resurgent sancti resurrectione perfecta ante inchoatum iudicium, & cum Christo iudice & beata virgine invenientur in aere, utpote qui dudum in hac mortali vita iudicium suum pertulerant, adparebunt ergo cum Christo in gloria quasi in aere ad iudicandum, segregati tamen ab aliis, qui relinquuntur sub iudicio viventes scilicet communi vita gratiae, de qua Psalm. CXIII. Non mortui laudabunt te Domine, sed nos qui vivimus, scilicet Deo per gratiam. Hi sunt, inter quos se apostolus prae humilitate & modestia collocat & adserit, hos non praeventuros sanctos illos, qui dormierunt, quoniam ipse Dominus descendet de coelo, & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primo, hoc est, illi sancti, qui peculiariter in Christo & pro Christo mortui sunt, qui non sunt in iudicio sistendi, sed iudicaturi cum ipso Domino, quod est dicere: Illi qui pri-*

primi sunt dignitate & meritis, illi resurgent & habebunt stolam suam, invenientur-que cum illo in nubibus &c. Deinde nos, qui vivimus, qui vita gratiae & spe resurrectionis sustentamur, relicti tamen in illum Domini adventum iudicandi ac discernendi ab iniustis, tunc simul cum illis prioribus sanctis rapiemur in aera. Resp. 1) Verba apostoli sunt clarissima. quod *οι ζωντες και οι περιλειπομενοι εις την παρουσιαν του κυριου*, id est, illi, quos dies novissimus inveniet vivos ac residuos, non sint praeventuri eos, qui dormierunt, quodque in adventu Domini *mortui in Christo* sint primum resurrecturi, ac deinde *οι ζωντες και οι περιλειπομενοι*, illi vivi, illi residui simul rapiendi cum illis in nubibus obviam Domino in aera, quae non possunt nisi per violentam detorsionem in alienum sensum trahi. 2) Nostram expositionem confirmant non solum antiquissimi & probatissimi patres superius citati. (quod ne ipse quidem Salmeron dissimulare potuit, sic enim sub finem disputat. IV. pagina 373. scribit: *Hieronymus in epist. ad Miner. & Alexandrum tradit, Diodorum, Apollinarium, & Origenem interpretatos esse viventes & residuos in adventu Domini esse iustos, ut Paulum Timotheum, Sylvanum. Athanasius quoque in lib. qq. tenet, aliquos in iudicio vivos reperiendos, ut & alii multi, ut Hieronymus, Chrysostomus & Epiphanius, qui quidem duos ordines resurgentium ponit, alterum viventium, alterum mortuorum*) sed etiam ex ipsis Pontificiis Caietanus & Erasmus, quin & Cornelius a Lapide in comm. illius loci. 3) Salmeron ex tota antiquitate non potuit pro sua interpretatione stabilienda invenire ullum testem praeter solum *Methodium*, qui tamen non hoc dicit, quod Salmeron vult, sed longe aliud. *Nos*, inquit, *qui vivimus, qui residui sumus, id est, animae immortales non praevenient corpora in resurrectione, sed corpus simul cum anima ad vitam immortalem resurget.* At haec Methodii expositio plane discedit a mente apostoli, non enim apostolus dicit, *non praeveniemus τα κοιμηθεντα* corpora dormientia, sed *τους κοιμηθεντας dormientes* mortuos. 4) Huic nostrae interpretationi nequaquam adversatur, quod *Paulus non sit inter eos, quos dies novissimus deprehendet vivos*, ac proinde per *τους ζωντας και περιλειπομενους* non debeant intelligi viventes vita naturali in adventu Domini, respondet enim pro nobis Augustinus lib. XX. de civitat. Dei cap. 20. *quod apostolus personam eorum, quos hic viventes Christus inventurus est, in se atque alios, qui tunc secum vivebant, transfigurarit.* Loquitur apostolus de se & piis tunc viventibus, ac si victuri essent ad novissimum diem, non quod sic futurum putaret, sed ut illius diei terribilis & incertae memoriam & timorem perpetuum nobis incuteret, ut semper suspensi diem illum exspectemus & ad eum nos comparemus, est ergo *enallage* personae. *Nos qui vivimus*, id est, quicunque vivent, sive ex nobis, sive ex posteris nostris, quorum personam hic induo & subeo, quae sunt verba Cornelii a Lapide dict. I. cum quibus consentiunt illa Erasmi in adnotat. 1. Cor. XV. pag. 355. *Se ponit Paulus inter eos, quos adventus Domini deprehendet vivos, propterea quod Christus eum diem omnibus occultum esse voluit, & ex aliis locis adparet, Paulum semper eum diem exspectasse, licet non nesciam, ita posse intelligi, ut Paulus sub prima persona quosvis designarit, quos adventus Domini sit repertarus.* Nos qui vivimus, *id est, si nunc incidat adventus Domini, quod in nobis accideret, idem accidet in illis, quicunque erunt.* Et in adnotat. 1. Thess. IV.

pag. 457. *Paulus ita loqui videtur, quasi resurrectio ea aetate esset futura, qua haec scribebat: tametsi quoniam participiis est usus, quae sequuntur rationem eius verbi, cui adhaerent, verti poterant & per futurum, ημεις οι ζωντες οι περιλειπομενοι αμα συν αυτοις αρπαγησομεθα*, id, *nos qui vivemus & reliqui erimus, una cum illis rapiemur.* 5) Huius *αναχοινωσεως* exempla in scriptis apostolicis etiam alibi occurrunt, quae per *enallagen personarum* vel *synecdochen* explicanda, 1. Corinth. IV. 6. XI. 31. & 32. Heb. II. 3. III. 6. & 14. 1. Petr. IV. 3. 6) Quod Thessalonicenses ex parvo horum verborum intellectu suspicati fuere, diem Domini esse in propinquo, nostram potius confirmat sententiam. Nisi enim apostolus sese illis, quos dies novissimus deprehendet vivos, per quamdam *αναχοινωσιν* adnumerasset, Thessalonicenses in illam suspicionem devenire minime potuissent. 7) De resurrectione piorum hoc loco sermonem esse concedimus, sed negamus duplicem piorum resurrectionem uspiam in sacris literis describi, quippe quae unicam duntaxat resurrectionem nobis proponunt. 8) Si pii cum Christo iudicaturi prius resurrecturi essent quam pii a Christo iudicandi, quod Salmeron hoc loco adserit, resurrectio non foret momentanea, id non absolveretur uno temporis momento, quod ipsum tamen idem in sequentibus confirmat. 9) Si pios cum Christo iudicaturos a piis iudicio Christi sistendis apostolus hoc loco distingueret, non posteriori, sed priori piorum classi sese adnumeraret, quia inter pios cum Christo iudicaturos Salmeron recenset apostolos. Atqui ab apostolorum collegio Paulus excludi nequit, cum diserte de se scribat 2. Cor. XI. 5. *λογιζομαι μηδεν υστερηκεναι των υπερ λιαν αποστολων* XII. 11. *οθεν υστερησα των υπερλιαν αποστολων* 12. *Signa apostoli facta sunt inter vos*; ac inter apostolos immediate a Christo vocatos seipsum numeret Gal. I, 1. & 12. II. 8. Nec est, quod humilitati ac modestiae Paulinae hoc tribuatur, quia humilitatis studium & veritatis confessio invicem non pugnant, voluit Deus nos esse & humiles & veraces. Augustinus lib. XX. de civitat. Dei cap. V. *Non quoniam super sedes duodecim sessuros Christus dicit Matth. XIX. 28. duodecim solos homines cum ipso iudicaturos putare debemus. Duodenario quippe numero universa quaedam significata est iudicantium multitudo propter duas partes numeri septenarii, quo significatur plerumque universitas, quae duae partes, id est, tria & quatuor alterae per alteram multiplicatae duodecim faciunt. Nam & quatuor ter & tria quater duodecim sunt, & si quae alia huius duodenarii numeri, quae ad hoc valet ratio, reperitur, alioquin quoniam in locum Iudae traditoris apostolum Matthiam legimus ordinatum, apostolus Paulus, qui plus omnibus illis laboravit, ubi ad iudicandum sedeat, non habebit.* 11) Quod in specie apostolis promittitur Matth. XIX. 28. id certo modo omnibus piis in genere promittitur 1. Cor. VI. 2. & 3. quod scilicet *sancti mundum & Angelos sint iudicaturi*, id est, quod iudicium & condemnationem mundi ac diabolorum adprobaturi sint, ut adsessores supremi iudicis Christi & divinae gloriae consortes. Remigius in adnotat. 1. Cor. VI. pag. 38. *Sancti amatores huius mundi & malignos spiritus iudicabunt exemplo fidei suae & comparatione melioris facti, non sicut iudices seculi.* Franciscus Suarez part III. disputat 57. section. 2. tom. 2. & ex eo Cornelius a Lapide in comm. h. l. *Christo in nube splendidissima quasi throno confidenti ad iudici-*

dicium peragendum omnes ſancti in nubibus ſplendidis quaſi thronis adſiſtent & quaſi adſidebunt. Iidem ergo pii diverſo reſpectu & a Chriſto iudicabuntur & cum Chriſto iudicabunt, prius reſpectu *ipſius Chriſti*, qui eſt ſummus & authenticus omnium angelorum & hominum iudex, poſterius reſpectu *impiorum ac diabolorum* infernalibus flammis adiudicandorum. 12) Perquam durum eſt, per τους ζωντας intelligere viventes vita gratiæ, eosque diſtinguere ab illis, qui cum Chriſto iudicabunt, cum ipſi quoque vita gratiæ vivant, ac per τους νεκρους εν Χριστω intelligere ſolos apoſtolos cum Chriſto iudicaturos, cum pii ante noviſſimum diem mortui & a Chriſto iudicandi itidem fuerint εν Χριστω νεκρος. 13) Scopus apoſtolicus noſtram confirmat interpretationem, Salmeronis vero explicationi adverſatur. Scopus eſt, Theſſalonicenſes conſolari, ne propter obitum ſuorum nimiopere contriſtentur. *Nos*, inquit, *qui adhuc vivimus, & quicunque vivent in die iudicii, non prius reſurgemus aut gloria donabimur, quam ii reſurgant ad gloriam, qui ante nos mortui iam pridem computruerunt*; expendite igitur quam facile & ſubito Deus mortuos in cinerem & pulverem converſos ſuſcitabit, ac proinde fratres ac amicos mortuos ne lugeatis nimium, nec ob eos contriſtemini. Theophylactus in comm. *Quia difficile videbatur eos, qui computruerunt, reſurgere, hinc ait Paulus, quod virtutes haudquaquam antevertent illos, ac quemadmodum Deo facile eſt, viventes & integros adducere ad Chriſtum, ſic & illos corruptos.* 14) Quod *mortui in Chriſto* dicantur primi reſurrecturi, id varie ab interpretibus exponitur. Sedulius putat, *ſignificari hic ordinem temporis non dignitatis, qui enim in Chriſti fide & gratia mortui ſunt, primi reſurgent non tempore, ſed dignitate.* Chryſoſtomus & Theophylactus etiam ad tempus referunt. *Reſurgent*, inquiunt, *ante impios iuſti, ut ſint primi in reſurrectione non tantum dignitate, ſed etiam tempore, utpote qui rapiendi ſint in aera, ut Chriſto iudici venienti honoris cauſa occurrant. Poſterius vero reſurgent impii, ut qui neque rapiendi ſint in aera, neque Chriſto occurſuri.* Sed utraque explicatio abludit a mente apoſtoli, quia apoſtolus non ponit ordinem vel temporis vel dignitatis inter reſurrectionem iuſtorum & impiorum, ſed inter mortuos in Chriſto & adhuc viventes. Theodoretus ſic exponit: *Tam facile ac ſubito reſurgent illi, qui iam olim ante multa ſecula mortui & putrefacti, ut praeveniant eos, qui tum temporis ſuperſtites & vivi invenientur, hi enim prius mori debent quam reſurgant, his ergo morientibus illi iam olim ſcilicet mortui reſurgent, & conſequenter hoſce in reſurrectione praevenient.* Sed quid de illa hypotheſi, quod omnes ſint morituri, ſtatuendum, iam ante expendimns. Quidam putant, *non ſignificari hic ordinem & conſequentiam, ſed duntaxat comitantiam*, ut επειτα idem ſit quod *praeterea*. Simpliciſſime hic locus ab Anshelmo ſic exponitur: *Mortui in Chriſto reſurgent* πρωτον *primum antequam ſcilicet Chriſto obviam in aera rapiantur, deinde nos qui vivimus, ſimul cum illis, qui ex mortuis reſurrexerunt, rapiemur obviam Chriſto.* Ponitur enim hic ordo non reſurgentium nec reſurrectionis ad reſurrectionem, ſed ordo reſurrectionis ad raptum & occurſum Domini, videlicet quod primi illi, qui mortui erant, reſurgent, deinde quod iidem cum aliis tum viventibus ſimul rapientur in occurſum Chriſti.

§. CXXI.

§ CXXI. Ex his, quæ dicta sunt, facile colligitur, quid respondendum sit ad quæstionem, *an omnes omnino homines, ac proinde etiam ii, quos dies novissimus deprehendet vivos, sint morituri?* Pontificii adfirmant, sed apostolus 1. Cor. XV. 51. & 1. Thess. IV. 7. negat. Apostolo suffragantur patres plerique omnes. Tertullianus libro de resurrect. carnis cap. 41. ad verba apostoli 2. Cor. V. *Cupientes superindui*, sic adnotat, *id est, ante volumus superinduere virtutem cœlestem aeternitatis, quam carne exuamur, huius enim gratiae privilegium illos manet, qui ab adventu Domini deprehendentur in carne, & propter duritias temporum antichristi merebuntur compendio mortis per demutationem expunctae concurrere cum resurgentibus.* Iustinus Martyr in qq. & resp. ad orthodox. quæst. CIX. *Iudicabit vivos Dominus, id est, eos, qui tunc vivent.* Hieronymus epist. CXLVIII. ad Marcellam: *Hoc ex ipsius loci i. Thess. IV. continentia sciri potest, quod sancti, qui in adventu salvatoris deprehensi fuerint in corpore, in iisdem corporibus ei occurrant, ita tamen ut in gloriam & corruptivum & mortale, gloria & incorruptione & immortalitate mutetur; ut qualia corpora mortuorum surrectura sint, in talem substantiam etiam vivorum orpora transformentur.* Epist. CLII. ad Minerium & Alexandrum allegat verba Theodori Heracleotis: *Sancti, qui in die iudicii in corporibus reperiendi sunt, cum aliis sanctis, qui ex mortuis resurrecturi sunt, rapientur in nubibus obviam Christo in aera, & non gustabunt mortem, eruntque semper cum Domino gravissima mortis necessitate calcata.* Ibidem addit: *Apollinarium eadem adseruisse, videlicet quosdam non esse morituros, & de praesenti vita rapiendos in futuram.* Chrysostomus, Oecumenius, Theophylactus ac Theodoretus in comment. 1. Cor. XV. idem per omnia adserunt. Augustinus in libr. de octo quæst. Dulcitii. *Videtur apostolus adserere, quosdam in fine seculi vivos repertos in illam immortalitatem, quae sanctis etiam caeteris datur, repente mutandos & simul cum illis rapiendos in nubibus, nec aliquid aliud mihi visum est, quoties de his verbis volui cogitare.* Libr. II. de peccat. merit. & remiss. cap. 31. *Hos quibusdam Deus in fine largietur, ut mortem istam repentina commutatione non sentiant, sed simul cum resurgentibus rapiantur in nubibus obviam Christo in aere.* (Idem tamen libr. XX. de civit. Dei cap. 20. in eam videtur potius inclinare sententiam, quod illi etiam mortem sint obituri.) Libr. II. retractat. cap. 33. utramque opinionem ut probabilem proponit. *Aut non morientur*, inquit, *aut de vita ista in mortem, & de morte in aeternam vitam celerrima commutatione tanquam in ictu oculi transeundo mortem non sentient.* Ac ne opus sit reliquos omnes percensere, adnotabo hac de re verba Suarezii tom. II. comm. in part. III. Thom. q. 56. disput. 50. sect. 2. pag. 571. *Haec sententia* (quæ negat illos homines iustos, qui tempore iudicii vixerint esse morituros aut resuscitandos, sed solum immutandos seu transformandos) *videtur esse expressa Pauli. Et ita censent exponenda haec loca* (1. Cor. XV. & 1. Thess. IV.) *Chrysostomus* hom. XLII in 1. Cor. & homil. VII. in 1. Thessal. *Theodoretus, Theophylactus & Oecumenius* ibidem, *Origenes* libr. V. contra Celsum non longe ab initio, *& Hieronymus* epist. CLII. ad Minerium *refert in hanc sententiam Theodorum Heracleotem & Apollinarium, quam ipse non iudicat improbabilem & super Esaiam cap. 51. illam lectionem Pauli sequitur:* Non omnes dormiemus, *in epistola vero CXLVIII. q. 3. interpretans lo-*

locum Pauli 1 Thess. IV. absolute docet hanc sententiam. Augustinus etiam quaest. III. ad Dulcitium, licet locum 1 Cor. XV. aliter legat, & ideo dubius de tota sententia esse videatur, tamen propter aliud testimonium ad Thessal. valde est propensus in hanc sententiam, & plane fatetur, se ignorare, in quo alio sensu locus exponi possit. Et Gennadius de eccles. dogmat. cap. 7. & 8. hanc sententiam ut probabilem relinquit. Praeterea Tertullianus lib. de resurr. carnis cap. 41. & 42. licet locum 1 Cor. XV. aliter legat, hanc nihilominus sententiam aperte docet, & ad illam adcommodat vulgatam lectionem, quae sic habet: omnes quidem resurgemus, *dicens illam immutationem, quae fiet in iustis tunc viventibus, pro resurrectione computari.*

CAPVT XI.

DE PVGNANTIBVS CVM RESVRRECTIONE.

Pugnantia resurrectionis.

§. CXXII. *Pugnantia* cum resurrectione in duas distribui possunt classes. Quædam enim *theoretice* quædam *practice* cum ea pugnare deprehenduntur. Θεωρητικως orthodoxiæ huius articuli adversantur, quotquot vel in totum ac universum resurrectionem negant, vel ex parte eius veritatem & integritatem labefactant. *In totum* ac universum resurrectionem negant, tum *gentiles* extra ecclesiam, tum *haeretici* intra externam ecclesiæ societatem, ut in vet. test. Saducæi, in nov. Hymenæus ac Philetus, Simoniani, Carpocratiani, Valentiniani, Hieracitæ & complures alii, de quibus superius diximus §. 36. Ex *parte* resurrectionis veritatem labefactant, qui idem numero & essentia corpus resuscitatum iri negant, ut Origenes, Iohannes Hierosolymitanus, Eutycius Constantinopolitanus, quos hodie sequuntur Photiniani, Anabaptistæ, Weigeliani, Methistæ & alii, de quibus diximus §. 70. Πρακτικως vero resurrectionis articulo adversantur omnes Epicuræi, empæctæ & athei, quorum voces μιμητικως describuntur Esai. XXII. 13. Sap. II. 1. 1 Cor. XV. 32. quinimo omnes impœnitentes, impii ac securi, quamvis in externo ecclesiæ consortio vivant, & verbis christianam religionem, adeoque etiam resurrectionis articulum confiteantur, tamen ipso facto eumdem abnegare deprehenduntur. Quemadmodum enim de impiis apostolus dicit Tit. I. 16. *Confitentur se nosse Deum, factis vero negant*: ita quoque de iisdem vere pronunciare possumus, confitentur se credere resurrectionem carnis, factis vero negant: ac quod Panormitanus in specie de pontificibus Romanis dicit, *multos ex ipsis eiusmodi vitam agere, ut verisimile non sit, illos resurrectionem mortuorum vel futurum iudicium vel vitam aeternam credere*, idem in genere de omnibus impiis ac securis pronunciare possumus. Deus, qui est ipsa veritas, non iudicat secundum *oris confessionem*, sed iuxta *operis demonstrationem*, ipse *cor intuetur*, 1 Sam. XVI. 7. & ex factis de verborum & confessionis veritate fert iudicium.

CAPVT XII.

DE VSV HVIVS DOCTRINÆ.

Usus doctrinae de resurr.

§. CXXIII. *Usus* doctrinæ de resurrectione est vel θεωρητικος vel πρακτικος. Θεωρητικος est vel διδασκαλικος, ut fundamentalem illum fidei christianæ articulum probe discamus, ac columnam illam, cui tota structura christianismi alioquin in animis hominum corruitura innititur, 1 Cor. XV. 13. & 14. firmiter muniamus; vel ελεγκτικος, ut palladium cœlestis veritatis. *Sicut* in aliis fidei christianæ articulis, ita quoque in hoc ipso, adversus quosvis hostes defendamus, & cum *in nulla re fit contradicatur fidei christianae, ut in resurrectione carnis*, eo alacriores & constantiores in eius assertione nos exhibeamus. Πρακτικος est παρακλητικος tum ratione *nostri*, ut promissione futuræ ad vitam resurrectionis animati, exemplo Maccabæorum martyrum 2 Macc. VII. quævis huius vitæ adversa, adeoque ipsam etiam mortem ob confessionem veritatis illatam excelso animo contemnamus, est enim articulus resurrectionis lucidissimum speculum, quod eorum animos, qui defixis illud intuentur oculis, ita perstringit, ut ad huius vitæ pericula & supplicia quasi cœci efficiantur: tum respectu *proximi*, ut dolorem ex obitu amicorum conceptum leniamus, 1 Thess. IV. 13. Athanasius orat. in adsumt. Christi tom. II. p. 3. μνημη της αναστασεως τα κατα θανατον ανθρωποις χαριζεται νικητηρια. Vel παρηνετικος νουθετικος ac παιδευτικος, tum respectu *nostri*, ut futuræ resurrectionis perpetuo memores corpora nostra exhibeamus arma iustitiæ, & abnegata omni impietate ac securitate solicite ambulemus; est enim articulus resurrectionis vivus quidam fomes pietatem in animis hominum mirifice alens, si exhortationum flagello quotidie excitetur. *Qui bona fecerunt*, ait Christus Ioh. V. 29. *procedent in resurrectionem vitae, qui mala fecerunt, in resurrectionem iudicii. Resurgat ergo in resurrectione prima, qui non vult in secunda resurrectione damnari*, ait Augustinus lib. XX. de civ. Dei cap. 6. tum respectu *proximi*, ut corpora sanctorum ob spem resurrectionis honorifice sepeliamus, de quo practico huius articuli usu egregia patrum dicta in exordio huius capitis superius adduximus.

CAPVT XIII.

DE DEFINITIONE RESVRRECTIONIS.

§. CXXIV. *Definitiones* resurrectionis *activae* sumtæ, hoc est, resuscitationis traduntur variæ. Potiores enumerabimus. Damascenus lib. IV. cap. 28. η αναστασις εστι δευτερα του πεπτωκοτος στασις. Sed hæc potius est nominis quam rei definitio, inde ibidem additur: η αναστασις εστι συναφεια παλιν ψυχης τε και σωματος και δευτερα του διαλυθεντος και πεσοντος ζωωσις, in qua definitione *materia* & *forma* resurrectionis exprimitur; pleniores descriptiones sunt, in quibus etiam causæ externæ, *efficiens* scilicet ac *finis* exprimuntur. *Resurrectio est actio sa-*

sacrosanctae Trinitatis, Patris scilicet, Filii ac Spiritus sancti, qua omnipotenti sua virtute per tubam archangeli omnes homines tum pios tum impios, licet iam olim in pulverem redactos, ex monumentis resuscitabit, & animas eorum cum corporibus ad durabilitatem nunquam finiendam coniunget, ut impii quidem aeternas scelerum suorum poenas luant, pii vero aeterna beatitudine perfruantur; vel *est actio Dei externa, qua iuxta liberrimum decretum & praedictionem omnipotentis ac veracis Dei in novissimo die ad vocem Christi & tubam archangeli cum pristinis omnium mortuorum hominum corporibus animae eorum rursus coniungentur ad vitam immortalem & incorruptibilem, ut reprobi quidem poenas peccatorum cum diabolis aeternas luant, electi vero communicatione lucis, sapientiae, iustitiae & vitae divinae fruuntur ad Dei gloriam*; vel *est actio, qua in die novissimo nobis incognito omnes mortui tam impii quam pii, licet dudum in pulverem redacti, per Christum cum sanctis suis & multis angelorum millibus cum clamore & voce archangeli & tuba Dei in nubibus, eadem, qua in coelos adscendit, visibili forma venturum, resuscitati, unione corporum & animarum instaurata & mortalitate demta, in vitam redibunt, superstites vero in momento immutabuntur, ut sic morte victa integri homines immortales facti coram Dei tribunali sistantur ac perpetuo vivant, alii in gloria, alii vero in poenis pro ratione vitae in his terris exactae. Est nova copulatio animae ad corpus a vi seu potentia Dei, ut integri homines in extremo iudicio sistantur & praemiis aut poenis adficiantur.* Breviter sic definiri potest: *resuscitatio mortuorum est opus solius veri Dei, quo corpora defunctorum omnium ex pulvere excitabit ac animabus uniet, ut pios gloria ornet, impios vero ad cruciatus nunquam finiendos damnet.* Christus Iesus, qui est *resurrectio & vita*, nos in ipsum credentes, ipsique servientes in media morte conservet, & ex terrae pulvere suscitatos ad resurrectionem vitae producat, consortes nos faciat primae resurrectionis, ut secunda mors nullam in nos potestatem habeat; ipsi utpote mortis victori & vitae duci cum Patre & Spiritu sancto sit laus, honor & gloria in aeternum! AMEN!

OBSERVATIO,

DE BIS MORTVIS,

SIVE IIS, QVI EX MORTE IN VITAM REVOCATI, ITERVM FATO FVNCTI SVNT.

§. I.

A longo inde tempore agitata fuit inter eruditos quæstio: *An ii, qui olim ex morte ad vitam fuerunt revocati, postea denuo fuerint mortui, an vero post aliquod temporis intervallum sine mortis interventu in vitam cœlestem translati.* (1) Priorem sententiam amplexus est GERHARDVS in *loco de morte*, ubi *cap.* VII. *de adiunctis mortis*, §. LVIII. p. 68. *seq. tom.* XVII. quæstionem istam more suo adcurate pertractavit. Ablegavimus nos in notula textui subiecta lectores nostros ad dissertationem TOBIAE WINCKLERI, *de bis mortuis*, sub præsidio BALTHASARIS BEBELII, theologi quondam celeberrimi in academia *Argentoratensi* anno 1672. luci publicae expositam, ex qua præcipua momenta bona cum lectoris venia heic reddemus, adiectis quibusdam sive mutatis, quæ mutatione indigere videbantur. Non repetemus iam a GERHARDO nostro diligenter excussa *argumenta* eorum, qui resuscitatos e mortuis iterum obiisse mortem, vel adfirmant, vel negant; sed secundum ordinem dissertationis *Bebelianae*, primo versabimur in recensendis iis, qui postquam semel vita excesserunt, virtute divina in hanc vitam restituti sunt. Deinde paucis adtingemus *quaestionem*, quinam

(1) Scripserunt de hac materia præter auctores *Gerh. Loc. theol. tom.* XVII. p. 68. citatos, COMARINVS in *disput. de bis mortuis.* THEOD. KIRCHMAIER in *diss. de hominibus apparenter mortuis. Witteb.* 1672. IOH. EBERH. SWELING in *diss. de bis mortuis*; quæ exstat cum eiusdem *principiis phys. Bremae* 8. 1676. GISB. VOETIVS, de *Cœlo beatorum & bis mortuis.* 1666. HENR. KRAVSINGIVS de *animabus bis mortuorum. Lipsiae* 1724. JOH. JAC. PLITT *Vernunft und schriftmäßige Gedanken über diejenigen Menschen, welche bald nach ihrem Tod wieder auferwecket, und gröstentheils zweimal gestorben sind. Marburg* 1752. Quibus addi potest IO. AD. SCHERZERVS, in *breviario theologico, cap. XVI. thes. XIV. p. 1137. seq.*

quinam fuerit *ſtatus locusve* animorum a corpore ſeparatorum, donec in priſtinam cum corpore communionem redierunt.

§. II.

Fuiſſe, qui morte vera ſemel abrepti, per miraculum divinum in vitam hancce terreſtrem revocati ſunt, morti denuo obnoxii, exempla in ſacris literis propoſita dubitare nos non ſinunt. Atque *his* etiam *ſolis* recenſendis immorabimur, utpote de quorum reſuſcitatione certiſſima nobis fides facta eſt. Plures quidem alii poni ſolent in numero reſuſcitatorum, partim *gentilium* ſuperſtitione, (2) partim narrationibus, ab *initiis rei chriſtianae* traditis, (3) partim *romanae eccleſiae* ſuffragiis, ut eos prætermittamus, qui diuturno laborantes deliquio, pro mortuis aliquantiſper habiti, lucem denuo viderunt. Sed licet haud prorſus negemus, fieri potuiſſe, ut praeter eos, quos ſacrae tabulae recenſent, alii quoque vel a Chriſto, vel ab apoſtolis primisque eorum ſectatoribus in vitam ſint reſtituti, tamen, cum monumenta iſtorum miraculorum ſatis certa non exſtent, tutius eſt, ab illis abſtinere, quam vera temere miſcere cum falſis.

§. III.

Sin autem ſolas, ut fas eſt, audiamus *ſacras literas*, hac opus eſt cautione, ut ne *plures*, quam illarum fert narratio, bis mortuos faciamus. *Excluduntur* igitur ex eorum numero partim ii, qui in vitam *non vere* ſunt revocati, partim ii, qui, licet reſtituto animi cum corpore commercio, novam vitam vere inchoarint, tamen eo fine non redditi ſunt vitae, ut eam in *his terris* continuarent, *morti denuo obnoxii*. Ad *priorem* claſſem pertinent 1) *Daemoniacus* a Chriſto ſanatus, *Marc.* IX. v. 25. 26. qui a ſpiritu immundo tanta vi correptus fuit, ut pro mortuo haberetur, donec errorem Chriſtus ipſe confutavit. 2) Numeroſus reſuſcitatorum exercitus, *Ezechieli* propoſitus *cap.* XXXVII. quo in loco imagine reſuſcitationis, futura reipublicæ iudaicæ inſtauratio deſcribitur. 3) *Samuel*, pythoniſſæ præſtigiis ab inferis reduci viſus; cuius, ſimulacrum ſive vere adparuerit ſpectantium oculis, quocunque id modo factum perhibeatur, ſive mulieris fraude confictum ſit, certe longiſſime abeſt ab homine, in quo rurſus vigere cœpit animi cum corpore commercium. Ad *alterum* genus referendos putamus 1) *Moſen*, quem, ſi quidem, prout nonnulli (4) haud ſine

(2) vid. SPENCERVS in *adnot. ad origen. adv. Celſum.* lib. II. p. 36. 37. 38. MART. DELRIO in *diſquiſ. mag. lib. II. qu. XXIX. ſect. I.* & HORNIVS ad *ſulpicii Severi hiſtor. ſ. l. 1. cap. LXXIX.*

(3) Ita in *Prochori* de *Iohanne theologo* & *evangeliſta hiſtoria*, *Caſalione* interprete edita, tres homines inedia mortuos fuſis ad Chriſtum precibus in vitam revocaſſe *Iohannes* perhibetur. p. m. 599.

(4) vid. NEUBAUERUS in *diſſ. de corpore Moſis.* ULRICUS HEVDEN *in diſſ. de reſuſcitatione Moſis.* REVSMANNUS in *diſſ. qua Moſen reſuſcitatum, & tam corpore, quam animae gloriae conſortem tuetur.*

veri specie existimant, ex mortuis iam iam excitatus est, omni mortis periculo exemtum, cœlestique indutum gloria revixisse, firma conclusione efficitur ex *Matth.* XVII. v. 3. seq. 2) *Sanctos, cum Christo resuscitatos*, quos itidem puris lucidisque corporibus vestitos, cœlestis vitæ lucem adiisse, tum ex sacris literis, tum ex *Eusebii* aliorumque patrum adsensione, probabile est; denique 3) eos, qui teste *apocalypsi*, *primae resurrectionis* participes, ante ceteros consummata vitæ futuræ beatitate potiuntur.

§. IV.

Quod *speciatim* ad *sanctos* adtinet, *tempore mortis Christi resuscitatos*; (5) prætermissis iam iis, quæ vel ad veritatem huius miraculi firmandam vindicandamque adferri solent, partim de nominibus & numero hominum istorum, de tempore & modo, quo aliis se conspiciendos præbuerint, curiose magis, quam utiliter disputantur; ea duntaxat hoc loco propius adtingenda nobis occurrit quæstio: *Num illi ad vitam mortalem redierint, an potius in cœlum postea translati fuerint cum Christo*, aut immortali saltim vita donati, donec tempore ipsis præstituto in beatorum sedes reciperentur. *Priori* sententiæ favent e *priscis* ecclesiæ christianæ doctoribus TERTULLIANUS, CHRYSOSTOMUS, AMBROSIUS, AUGUSTINUS, (& sive is ipse fuerit, sive alius *auctor libelli de mirabilibus Scripturae Sacrae* (6), THEOPHYLACTUS, e *scholasticis* THOMAS AQUINAS, e *recentioribus*, VOSSIUS, COMARINUS, CALMETUS, PLITTIUS, (7) aliique. *Alteram* tenent ORIGENES, EUSEBIUS CAESAREENSIS, HILARIUS PICTAVIENSIS, EPIPHANIUS, HIERONYMUS, SOPHRONIUS, BEDA, RABANUS MAURUS, PASCHASIUS RADBERTUS, BEZA, GERHARDUS, CALOVIUS, MARKIUS, MICHAËLIS, aliique plures e theologis recentioribus. Qui *iterata* morte sanctos illos obiisse adserunt, provocant maxime ad QUADRATI testimonium, ex eius *ad Adrianum imperatorem oratione apologetica* ab *Eusebio Hist eccl. L. IV. cap. III.* adductum, ubi ii, qui virtute Christi vel morbis liberati, vel ex morte revocati fuerant, post Servatoris nostri discessum *diu in terris superstites fuisse*, nonnullique adeo usque ad ipsius *Quadrati* tempora perveniisse dicuntur. Sed licet concedamus, testimonii huius virrationibus chronologicis, quae omnino suspicionem aliquam movere possint, non infringi; tamen id, quod pro sententia illa efficere debebat, plane non efficit, siquidem nec definit, num in resuscitatorum istorum superstitum numero

(5) Consuli de iis merentur C. M. PFAFFIUS in *diss. de sanctis, tempore mortis Christi, resuscitatis*, *Tub.* 1730. MARCKIUS in *exercit. bibl.* MICHAËLIS, in *exercitatione de sanctis cum Christo resurgente in vitam revocatis*; ut alios taceamus, a PFAFFIO, WOLFIO in *curis* ad h. l. LILIENTALIO in *archiv. bibl.* ad h. l. nominatos.

(6) Verba eius *lib. III. cap. XIII.* ita habent: *Rursum in monumenta, quomodo & de Mose memini, reintrarunt, ubi resurrectionem omnium novissimam exspectant.* Reliquorum etiam testimonia adducta exhibent PFAFFIUS in *diss. cit.* p. 12. BEBELIUS. p. 17. 18.

(7) in *libello cit.* p. 85. seq.

mero comprehensi fuerint ii, qui cum Christo in vitam redierunt, nec eos denuo mortuos esse adfirmat, id unum memorans, diu in terris fuisse visos, id quod sane absque mortis interventu fieri potuit. Cum praeterea altera veterum doctorum pars, quae sanctos cum Christo in coelum sublatos tradit, numero, perspicuitate ac pondere testimoniorum dissentientes antecellat, cum de loco & tempore, quo terrestrem vitam vel continuarint, vel morte finiverint illi sancti, neque in sacrarum literarum, neque in historiae priscae monumentis quidquam annotatum reperiatur; cum verbum, quo utuntur sacrae literae, ἐνεφανίσθησαν, *adparitionem corporum glorificatorum*, certo tempore factam, non diuturnam hominis terreno corpore vestiti, in his terris commorationem significare videatur, coll. *Marc. XVI. 9. Matth. I. 20. XXIV. 30. Act. X. 40.* cum denique opinio eorum, qui sanctos *iam pridem* defunctos iterata morte obiisse statuunt, difficultatibus laboret inexplicabilibus, si mortalem vitam a beatis mentibus denuo inchoatam, sensumque futurae felicitatis & perfectionis cum miseria & discriminibus status nostri praesentis commutatum cogitemus; satis omnino praesidii superesse censemus iis, qui sanctos morte altera exemtos iudicant.

§. V.

Accedimus iam ad eos, qui ipsis *sacrarum literarum* suffragiis *vere bis mortui* habentur. Sunt illorum exempla *octo*, quorum tria in *vet. test.* reliqua in *novo* commemorantur. *Primum* occupat locum *filius viduae Sareptanae*, (8) ab *Elia* propheta suscitatus, cuius mentio fit *1 Reg. XVII.* *Vere* illum effiasse animam, nec mortui saltim speciem praese tulisse, tum matris adflictae oratio ostendit, tum ipsa scriptoris sacri narratio, diserte testantis: invaluisse pueri morbum, donec anima in eo non remanserit; prophetamque deprecatum, ut reverteretur anima mortui. Quod vero Elias *ter incubuit* puero, id sane non probat, animam pueri, corporis duntaxat refocillatione aptam fuisse redditam operationibus suis iterum exserendis. Fuit enim ille prophetae actus non nisi signum quoddam miraculi patrandi externum, cui per se nulla inerat efficacia; licet eiusmodi symbolum prorsus supervacaneum haud videatur, neque nobis constet, cur olim sit adhibitum. *Secundo* occurrit *Sunamitidis* illius *filius*, ab *Eliae* successore & discipulo, *Elisaeo* e mortuis excitatus. *2 Reg. IV.* *Veritatem* miraculi divini in puero facti si quis negare, causisque physicis tribuere omnia velit ea ex ratione, quod propheta super puerum sese extendit, orique eius os suum, oculos oculis, manus manibus adplicuit, ut caro pueri incalesceret, is nec actuum symbolicorum usum intelligere, nec scripturae testimonium, uti fas est, revereri videtur. Nam gestus visusque varios in miraculis edendis a prophetis adhibitos fuisse, licet illi di-

(8) Sententiae quorundam, qui filium istum viduae Sareptanae *Ionam prophetam* fuisse, cum Hebraeis adserunt, repugnat tum supputatio temporum, tum ipsa textus ratio, patriaeque diversitas manifesta, cum Jonas *Hebraeum* se profiteatur, *cap. I. 9. coll. 2. reg. XIV. 25.* ille autem *Sareptanus* fuerit ex urbe *Sidoniis* vicina, & extra iudaeorum ditionem sita.

divinæ virtutis instrumenta essent, varia docent exempla. Puerum autem Sunamitidem *vere* esse mortuum, adeoque nonnisi virtute divina, præter naturæ ordinem efficaci, vitæ potuisse restitui, ex contextu historiæ, disertisque scriptoris sacri verbis *v. 20. 32 - 37.* adparet, quibus accedit, quod resuscitatio istius pueri *2 reg. VIII. 4.* perspicue referatur inter facta magna atque insignia, summa cum hominum admiratione ab *Elisaeo* edita. *Tertio* memoratur *homo quidam*, sepulturæ proximus, & ob incursum prædonum Moabitarum in sepulcrum *Elisaei* vicinum proiectus, qui, cum ossa prophetæ adtigisset, subito vitam recepit. (9) *2 Reg. XIII. 21.*

§. VI.

Novi testamenti tabulæ exempla resuscitatorum produnt sequentia. *Primum* est *filiae Iairi*, cuius historia habetur *Matth. IX. 18. Marc. V. 22. Luc. VIII. 41. Vere* mortuam esse puellam, ex tota narratione, disertoque inprimis & repetito *Lucae* testimonio eluceſcit, ubi inter cetera puellæ anima rediisse dicitur, quod, nisi vere interrupto illius cum corpore commercio dici non posset. Nec obstat enunciatum Servatoris, *puellam non mortuam esse*, *sed dormire* adseverantis. Sive enim hoc ad velandum mortis nomen locutione antiquitus usurpata dixerit, sive ad testandam virtutem suam divinam, cui æque facile sit, defunctam suscitare, ac dormientem; sive ob resurrectionem mox subsecuturam non mortuis, sed dormientibus adnumerari voluerit puellam; eo certe illud dictum trahi non potest, ut contra reliqua narrationis momenta, miraculi veritatem infringat. *Alterum* redditæ a Iesu vitæ exemplum exstat in *filio viduae* cuiusdam *Nainiticae*, quem in lectulo iam collocatum & sepulcro inferendum nudo imperio restituit, referente *Luca*, *evang. cap. VII. 11. sq.* Succedit *Lazarus Bethanienſis*; Mariæ & Marthæ frater, cuius resuscitationem copiose enarrat *Iohannes*, isque *solus*, *cap. XI.* quod mirum videri non debet, cum ceteri scriptores vel uno eiusmodi miraculo, ex quo similia intelligi possent, contenti fuerint, *Iohannes* autem id maxime egerit, ut res Christi, *Hierosolymae* vel in vicinia urbis gestas, easque inprimis, quæ ad demonstrandam eius divinitatem pertinerent, adcuratius traderet. Magnitudo miraculi in *Lazaro* facti eo luculentior est, quo clariora exstiterunt vere mortui, imo iam post quatriduum putiscentis indicia. Plane itaque absonum esset, dubium movere ex eo, quod Christus v. 11. eum *dormire* profiteatur, cuius sententiæ vim mox ipse explicuit, mortem per somni imaginem descripta. Si quid in ista historia propiorem expositionem videatur requirere, est fortassis adsertio Servatoris, cum v. 4. dicit, *morbum hunc non esse ad mortem.* Hoc vero quomodo accipiendum sit, & docet eventus, & Christus ipse declarat. Fuit nimirum morbi *finis* non is, ut in morte consecutura permaneret

(9) Operose satis, sed præter necessitatem litigant hic *Rabbini*, *quis* homo iste resuscitatus fuerit, utrum vir quidam *pius* & iustus, *Sallum* fortasse, maritus *Huldae* prophetissæ, cuius mentio habetur *2 Paralip.* XXXIV. 23. an *impius* quidam homo & indignus, quem, cum vixe sepulchro suo egressus esset, iterum concidisse, alioque sepultum loco tradunt.

neret Lazarus, sed ut ex eius in vitam reditu, gloria Dei illustraretur, Christique divinitas ab ipsis hostibus agnosceretur. Quid postea Lazaro evenerit, quo loco obierit, non satis constat. Vixisse eum post XXX annos, tradit EPIPHANIVS *haeres.* LXVII. Supersunt *duo* resuscitatorum ab *apostolis* exempla, quorum prius est *Tabithae*, mulieris insigniter piae, quae, cum iam lota esset, publiceque in coenaculo collocata, precibus *Petri* ad Christum fusis vitam recepit, *Act.* IX. posterius *Eutychi*, *Act.* XX. 1. a *Paulo* in vitam revocati, qui, cum v. 9. expresse dicatur *mortuus*, v. seq. vero *anima praeditus*, vel eo ipso tempore, quo Paulus eum anima praeditum testatus erat, in vitam rediisse censendus est, vel sic vita excessisse, ut corporis eius cum anima vinculum fuerit dissolutum, non ipsa anima excesserit e corpore. Atque hi sunt quidem illi bis mortui, qui in certissimis sacrarum literarum monumentis nobis proponuntur.

§. VII.

Si *finis* spectetur, quem Deus in hominum istorum ad vitam resuscitatione intendit, constitui potest scopus vel *generalis*, omnibusque miraculis communis, ut doctrinae divinitus patefactae veritas confirmaretur, sanctisque Dei viris, qui a Deo se missos profitebantur, fides atque auctoritas conciliaretur, inprimis vero, per ea, quae Christus ipse singulari potentia effecit, Servatoris optimi divinitas quam clarissime demonstraretur; vel *specialis*, ut exemplis eiusmodi resurrectionis futurae probabilitas ostenderetur, & fortassis etiam, ut nonnulli volunt, instaurandae vitae spiritualis figura exhiberetur; vel denique *iis proprius*, qui excitati e mortuis, vitam continuarunt terrestrem, morte altera finiendam. Atque in his omnino eo quoque spectare videtur miraculum divinum, tum, ut desiderio agnatorum, qui suos praematura morte sibi ereptos dolerent, suavique eorum in hac vita commercio frui diutius vellent, fierit satis; tum vero, ut iis ipsis, quibus novam in terris vitam vivere liceret, nominis divini amplius celebrandi, regnique eius augendi, materia & facultas suppeditaretur.

§. VIII.

Accedimus iam ad *quaestionem*, *quonam statu locove fuerint animi hominum illorum* ab eo inde tempore, quo commercio cum corpore caruerunt, donec illud divina virtute renovaretur. Atque heic praetermissis iis, qui animam vel cum corpore *interire*, & cum eodem in vitam restitui, vel *somnio* obrui existimant, in *duas* maxime *partes* abire videas variorum sententias, cum alii *animas a corporibus loco separatas*, alii non loco divulsas, sed *vi tantum illa informandi destitutas* fuisse statuant. Qui *priorem* amplectuntur sententiam, pro diversa, quam sequuntur, de animorum post mortem statu sentiendi ratione, diversum illis locum tribuunt. *Alii* nimirum collocant animas illas in certo quodam *loco*, patrum plurimorum auctoritate, ut nonnullis placet, firmato, *qui caelum inter beatorum & infernum sit medius*, ubi, quasi in custodia, usque ad reditum in sua corpora fuerint adservatae. *Alii*, ex *pontificiis* nimirum, quos diversas inferni classes facere constat, iis, qui ante Christum resuscitati fuerunt, *limbum patrum* adsignant, ceteris, prout a perfectione sanctitatis si-

sive longius sive propius abessent, vel *purgatorium*, vel *alium quendam locum meliorem*. Ex *nostratibus* sunt, qui in *cælum* ad tempus receptas, & in conspectum Dei admissas putant. Horum sententia, cum magnis urgeatur difficultatibus, si quæratur, quomodo id iustitiæ & bonitati divinæ conveniat, animas cœlestis vitæ gaudio iamiam adfectas, in humanæ vitæ miseriam relabi, mortisque periculo & incommodis denuo exponi, aut, si peccati labe penitus purgatæ, ex intima Dei communione fructum consummatæ sanctitatis iamiam percepissent, carnis huiusce mortalis & peccato semper obnoxiæ sordibus denuo inquinari, & quomodo in tanta præsentis αἰῶνος a futuro distantia (*Luc. XVI.*) reditus e cœlis in terram concedi possit; *aliis* locum quendam tertium *dispensationis divinae extraordinariae* statuere visum fuit, sive receptaculum animis hominum *bis mortuorum* ita proprium, ut exinde ad commune quoddam ψυχοδοχεῖον nulla valeat conclusio; quae MEISNERI & GERHARDI nostri est sententia; *aliis* denique *distinguere locum* inter & *statum* illarum animarum, ut concedi quidem possit, in *cælo* eas fuisse, (veluti *Paulo* contigit in tertium rapi cœlum, ipso testante 2 *Cor.* XII.) non tamen *eodem*, quo animae ceteræ beatæ, *statu*. Atque hanc opinionem modeste proponit BEBELIVS, id sese ea effecturum existimans, ut partim diversæ nostratium sententiæ facilius componantur, partim vulgatis pontificiorum de purgatorio commentis præsidium omne, quod apud nostros quærere possint, præscindatur.

§. IX.

Supersunt ii, qui animas hominum in vitam revocatorum *a corpore separatas* fuisse *negant*. Hi nimirum *mortem naturalem* in eo ponunt, ut vinculum, quod animam cum corpore coniungit, dissolvatur, sive ineptum reddatur corpus, coniunctioni cum anima continuandae; *localem* vero διαζασιν, vel eam animæ a corpore separationem, qua illa in alium plane locum transferatur, ad communes quidem atque ordinarias mortis consecutiones, non tamen ad ipsam *formam* mortis referunt. Atque ita in iis, quos Deus vitæ reddendos destinavit, non διαζασιν illam, quam naturæ ordo in aliis postulat, consecutam fuisse, sed animæ tantum virtutem, corpus informandi, desiisse existimant. Quam sententiam hoc potissimum argumento confirmant, quod ea ratione incommoda vitentur, e ceteris quibuscunque opinionibus nascentia, insimulque paucitas miraculorum & via brevissima, finem præstitutum consequendi a Deo servetur. Si quis autem obiiciat, animos statim post mortem corporis abire in locum suum, ubi æternum sint mansuræ; ea quoque in sacris literis extare testimonia, quæ *excessum animae* a corporibus quorundam bis mortuorum haud obscure prodant; ut pueri, quem *Elias* suscitavit, (1 *reg.* XVII. 22.) & *filiae Iairi*; (*Luc.* VIII. 15.) respondent, primo ab ordinario & communi eventu, ad id, quod providente Deo extra ordinem & singulari modo fit, concludi non posse; deinde, per voce hebraica נפש & græca ψυχη, sæpissime in S. S. denotari halitum, sive vitam, non *animam*, quæ proprie nec rediisse in corpus, nec excessisse dicatur. Et nostro quidem iudicio posterior ista opinio maiori veritatis specie præ reliquis sese commendat. Sed satius ducimus, rem incertam atque abstrusam suo loco relinquere, quam pro certo aliquid definire.

OBSER-

OBSERVATIO II.

DE MORTIS VNIVERSALITATE AC NECESSITATE.

§. I.

Mortem *ordinarie omnibus* in universum hominibus sine ullo ætatis, dignitatis & conditionis discrimine subeundam esse, luculenta sacræ scripturæ oracula testantur. Ps. LXXXIX. 49. XC. 5. 6. *Esai.* XL. 6. 24. *Habac.* II. 5. *Rom.* V. 12. 1 *Petr.* I. 24. *Rom.* VI. 23. 1 *Cor.* XV. 21. 22. 54-57. *Hebr.* IX. 27. Proinde & pii sanctique homines morti corporis manent obnoxii, non sine sapientissimo supremi Numinis consilio. Quum enim regenitis quoque labes congenita inhæreat, verendum esset, ne ii, perpetuis peccatorum irritamentis sollicitati, nulla ipsis imminente morte, in virtutis sanctitatisque studio paullatim languescerent, & incurrentibus subinde repetitis, pro corporis cupiditate explenda stimulis, vitae cœlestis vel tandem obliviscerentur. Plura hac de re differenda reservamus in observationem peculiarem *de causis mortis, et sigillatim de morte piorum.*

§. II.

Sunt quidem, quos ordinaria hac moriendi lege per *extraordinariam* quandam dispensationem divinam exemtos esse, sacræ literæ testantur. Pertinent ad hanc classem *Henochus* (1) & *Elias*, (2) qui vivi in cœlum rapti sunt. *Gen.* V. 24. 2 *Reg.* II. 11. nec non ii, qui vivi in *extremo die* rapientur in nubibus obviam Domino in aërem 1 *Thess.* IV. 17. nec obdormient, sed immutationem (3) subibunt, 1 *Cor.* XV. 51. eamque

(1) De *Henochi* in cœlos translatione legi merentur, C. M. Pfaffii diss. *de raptu Henochi & Eliae, Tub.* 1739. Pfeifferi *dubia vex.* p. 51. Heideggeri *historia patriarch.* p. 252. Buddei *historia eccles. vet. test.* t. I. p. 160. Maii *observ. sacrae* p. 21. 32. Wockenii *selecta sacra*, p. 56.

(2) vid. Ge. Moebius *de adscensu prophetae Eliae, in select. dispp.* p. 641. Io. Buxtorfius *de raptu Eliae, Basil.* 1660 Sam. Maresius in *disput. theol.* t. II. p. 561. Olaus Celsius *de vita & rebus gestis Eliae, Upsal.* 1719. Buddeus in *hist. eccles. vet. test.* t. II. p. 426. ut alios taceamus.

(3) Copiose non minus quam accurate de ista corporum transfiguratione egit Gerhardus noster *loc.* XXVIII. *cap.* X. §. 115. *seq.* p. 75. *seq.* Conferri tamen merentur, præter eas ll. cc. explicationes, quæ in continuis epistolarum paulinarum enarrationibus inveniuntur, Phil. Müller diss. *de immutatione superstitum in fine mundi, Ien.* 1683. Baveri *analysis & vindiciae dictorum* s. s. t. I. p. 157. Marckii *exercit. exeget.* p. 627. Iac. Lavrentii *Paulus δυσνοητος.* p. 443. inprimis vero Danielis Gerdesii *meletemata sacra in caput XV. epistolae prioris ad Corinthios.* p. 503. seq. 511. 516. seq.

piis longe dulciſſimam, impiis acerbiſſimam. Sed præter hos nulla proſtant exemplа hominum, quibus mortem licuerit effugere; nec audiendi ſunt ii, qui *Moſen*, (4) *Ieremiam*, *Ioannem apoſtolum*, (5) matrem denique Servatoris

(4) Notum eſt, fuiſſe qui de *morte Moſis* dubitarent, & *Deut.* XXXIV. v. 5. 6. non ſeparationem animæ a corpore, ſed *transmutationem* potius ſignificari, corpusque eius una cum anima in beatorum ſedes translatum fuiſſe arbitrarentur. Stetit haec ſententia quibusdam e veteribus *Iudaeorum* doctoribus, nec ipſe Iosephvs ab ea alienus videtur. Refert enim *ant. Iud. lib. IV. cap. VIII. § 48. Moſen repentina nube circumdatum in vallem quandam monti Abari vicinam fuiſſe translatum; quod vero in ſacris voluminibus ſcripſerit, ſe mortuum, id factum fuiſſe, quia veritus eſſet, ne propter excellentem eius virtutem a Deo raptum praedicarent;* & paulo antea, *in eum abiiſſe locum, ubi diſparituruſ eſſet.* Suffragatur ei e patribus Hieronymvs, in *Amoſ* IX. adſerens, *locum ſepulturae Moſis ideo non potuiſſe inveniri, quia in cœlum adſtenderit.* Ad eandem opinionem acceſſit, Valent. Weigelivs, refutatus a Casp. Er. Brochmando in *ſyſt. theol.* p. II. ſ. 599. Certe, licet ex *Matth.* XXVII. 3. *Luc.* IX. 30. probabile ſit, *Moſen* in vitam rediiſſe; tamen vere fuiſſe mortuum, verba ſcriptoris ſacri, ſermoni Moſis adnexa, luculenter teſtantur, quae ſane clariora ſunt, & ſimpliciora, quam ut quæſita interpretatione elidi queant. Si quis autem *placidiſſimo mortis genere* Moſen obiiſſe ſtatuerit, ei non adverſamur, modo abſtineat ab illis *Iudaeorum* commentis, de quibus *R. Salomon Iarchi* ad *Deuteron.* XXXIV. 5. cum obitum Moſis *per oſculum* contigiſſe tradunt. Ceterum de hoc argumento diſſeruerunt Io. Ern. Gerhardvs, in *diſſert. de ſepultura Moſis.* Gil. Gavlminvs, *de vita & morte Moſis*, ex edit. *Fabricii, Hamb. 1711.* I. A. Somidivs, *de morte Moſis, Helmſtad. 1703.* Andr. Sennertvs, *de morte et ſepultura Moſis*, Ioh. Bvd. Cramervs, *de morte & ſepultura Moſis, Tigur. 1711.* Witsivs *in miſcellaneis ſacris*, t. I. p. 189. Bvddevs in *hiſt. eccl.* v. t. p. I. p. 530. ſeq. Io. Frid. Cotta *in adnotationibus ad opera Ioſephi, Tub.* 1736. p. 122.

(5) Opinionis de *Ieremia propheta*, & de *Iohanne evangeliſta* mentionem fecit Gerhardvs noſter *loc.* XXVII. *cap.* VI. §. 58. *tom.* XVII. p. 57. 58. Veterum traditionem de morte *Iohannis* luculenter expoſuerunt Tillemontivs in *memoires pour ſervir a l' hiſtoire eccleſiaſtique* t. I. p. I. p. 287. ſeq. Iac. Basnagivs in *hiſtoire l' egliſe* l. XVIII. cap. XIV. §. 1119. Thomas Ittigivs *hiſt. eccleſ.* ſec. I. cap. VII. ſect. V. p. 440. ſ. Henr. Dodwellvs *ad diſſertationes pearſonias* p. 175. ſeq. Tarnovivs in *prolegomenis ad Iohannem*, cap. II. p. 15. Espencaevs *oper.* p. 997. Mitternachtivs in *diſſertationibus de hoc argumento*, nec non commentatores evangelii *Iohannei* capite ultimo, iique, qui in illuſtranda *Iohannis* vita ſingularem

toris *Mariam* (6), fati expertes statuerunt. Illos autem ipsos, quos sacræ tabulæ commemorant, mutationem quandam subiisse aut subituros esse, mortianalogam, non est, quod dubitemus.

larem operam posuerunt, ut THEOPHILVS RAYNAVDVS in libro de *claris Theophilis & Amadeis*, quos inter primum locum *Iohanni* apostolo tribuit; IO. FLOR. HAMMERSCHMIDIVS *de vita & morte sancti Iohannis*, *Pragae* 1699. FRID. ADOLPH LAMPIVS in *prolegom. comment. in evangelium Iohannis*. LEONIS ALLATII *syntagma de Ioannis evangelistae fine & exitu vitae*, cuius ipse in *apibus Urbanis* p. 178. & *diatribe de Georgiis* mentionem facit, num unquam lucem adspexerit, nec ne, haud constat.

(6) De mirabili *Mariae* e vita exitu varia circumferuntur commenta, apostolicæ quidem proximæque ab ea ætati ignota, nec aliis nixa argumentis, quam iis, quæ ex spuriorum scriptorum lacunis temere hauriuntur. Mortuam vero fuisse matrem Domini, *negarunt* olim *Collyridiani*, contendentes, illam inito cum natura divina commercio, nihil habuisse commune cum humana, contradicentibus ecclesiæ doctoribus, ut IO. DAMASCENO in *sermone de dormitione Mariae*, AVGVSTINO *conc.* II. in Ps. XXXIV. ubi inter alia: "*Maria ex Adam mortua propter peccatum; & caro Domini ex Maria mortua est propter delenda peccata.*" ut alios prætermittamus. EPIPHANIO quidem opinionem vitæ in Maria nunquam morte solutæ tribuunt BARONIVS

& PFAFFIVS. At verba eius *lib.* III. *haeres.* 78. si curatius inspiciantur, nihil certi definire, sed rem totam, scriptura tacente, in medio relinquere videntur. Ita enim ille: *si videntur errasse, quaerant vestigia scripturarum, & invenerint utique, neque an mortua sit Maria, neque an sepulta aut non sepulta sit.* Et alio loco: *sive mortua est sancta virgo & sepulta, in honore ipsius dormitio, & in castitate mors, & in virginitate corona: sive sublata est, velut scriptum est, animam ipsius penetrabit gladius; inter martyres est in ipsius gloria: sive mansit, nam non est impossibile Deo, omnia facere, quae vult; finis enim ipsius nemini notus est. &c.* Singularis autem fuit sententia IVLIANI *diaconi Hildephonsi*, qui seculo VII. vixit, & in *praefatione ad librum de laudibus virginis Mariae* scripsit, eam adhuc *in terris* occultam vivere. Inter *Romanae* ecclesiæ doctores exstitere nonnulli, qui, uti peccati labe prorsus immunem, ita mortis etiam expertem fuisse *Mariam* voluerunt. Sed hi maximis sese difficultatibus implicant ipsi, si adsentiendum sit iis, quæ communi inter illos traditione de *resuscitatione & adsumtione beatae virginis* perhibentur. Consuli autem possunt de certissima Mariæ morte IO. ANDREAS SCHMIDIVS, in *prolusionibus Marianis* VII. & X. TILLEMONTIVS *in memoires pour servir à l' histoire ecclesiastique*

§. III.

Utut hæc, quæ de communi moriendi lege tum ſcriptura tradit, tum experientia condocet, clariſſima ſint, mortis tamen neceſſitatem negare auſus eſt Io. Asgillius, *parlamenti Anglicani olim adſeſſor*, mirabilis auctor opinionis, (7) ſtatuens, Chriſtum Servatorem immunitatem a morte latiſſimo ſenſu ſumtam, fide vera impetrandam nobis promiſiſſe, *Ioh.* VI. 51. 53. ac peperiſſe; quemadmodum igitur vi meriti Chriſti effugere queamus mortem æternam, ita non minus *vi eiusdem meriti effugere nos poſſe mortem temporalem*, adeoque ad immortalitatem quandam reſpectu *corporis* quoque pertingere, per quam ad vitam æternam tandem perveniamus. Medium vero conſequendi hanc immortalitatem eſſe fidem firmam ac miraculoſam, qua & mortem effugerit *Henochus*; ipſos itaque homines in culpa eſſe, cum morti ſint obnoxii, quoniam a fide alieni ſint, mortemque timeant, quam, ſi firmiter promiſſo crederent, ſine dubio evitaturi eſſent. Sed hanc ſententiam oppido falſam, oraculisque ſacræ ſcripturæ contrariam eſſe, quin eo fere tendere, ut cum ſanctiſſimis religionis chriſtianæ placitis ludere videatur, res ipſa loquitur. In iis enim dictis, quibus Asgillius ad confirmandam opinionem ſuam abutitur, minime de *morte naturali* ſermo eſt, ut ipſe Servator optimus v. 54. 58. nec non *Ioh.* V. 24. perſpicue declarat; imo, ſi immunitas a morte naturali promiſſa eſſet credentibus, ea ſaltim vis eſſet promiſſi, ut fidelium mortem *poenae* ratione carere, nec eos perpetim in morte manſuros eſſe, ſed in vitam redituros indicaret. vid. *Ioh.* V. 24. VIII. 51. 52. XI. 25. 26. At paradoxon illud tanti profecto non eſt, ut nos diutius moretur.

§. IV.

t. I. p. I. p. 287. ſeq. Iac Basnagius in *hiſtoire de l' egliſe* lib. XVIII. cap. XI. §. 5. lib. XX. cap. VII. § 5. Io. Meisnervs in diſs. *de ſepultura b. Mariae. Witeb.* 1674.

(7) Edidit ille libellum, *anglicano* idiomate conſcriptum, ſub titulo: *The way to heaven in a ſtring or an argument proving, that according to the convenant of eternal life revealed in the ſcriptures man may be translated from hence into that external life without paſſing through death. London* 1699. 8. qui libellus *belgice* verſus *Roterodami* prodiit a. 1700. & in *germanicam* linguam translatus, ſub titulo: *Die Unſterblichkeit der Menſchen auf Erden on Leib und Seele, Lipſiae*, curante I. G. Pritio, a. 1702. lucem vidit. (conf. *Unſchuldige Nachrichten* 1703. p. 27. ſeq.) refutatus Io. Fechtio, in *lect. theol. in ſyllogen diſput.* XLVIII. § 3. p. 561. ſq. Io. Nicol. Qvistorpio, *in colleg. diſp.* XV. & Zach. Grapio *in faſciculo controv. theol. exot. loco VIII.* inprimis autem Io. Georg. Pritio, celeberrimo quondam miniſterii Francofurtani antiſtite in *diſput. theol. de translatione in vitam aeternam ſine tranſitu per mortem. Lipſiae* a. 1702. typis exſcripta. Id unum addimus, eandem fere ſententiam, quam Asgillivs tenuit, eius cauſa ſenatu tandem exire iuſſus, etiam Guil. Postello tribui in *obſervat. Hal.* t. I. p. 333. 334.

§. IV.

Non minus absurda est ea quorundam opinio, qui contendunt, (8) certis quibusdam *medicamentis* effici posse, ut quis immortalitatem corporis consequatur. Ita statuere *Chinenses*, imo præcipuos regni *Peckinensis* proceres, eosque, vim mortis humana arte limitandam adeo pro certo habere, ut errorem istum nullis argumentis ex ipsorum mentibus evelli patiantur, TRIGAVTIVS *Iesuita* testatur. Fuisse etiam *veterum philosophorum quendam*, qui librum de *immortalitate comparanda* scripserit, GALENVS, & ex GALENO LEVINVS MOLKENIVS refert, quem secutus fuit THEOPHRASTVS PARACELSVS, mirabilis vir ingenii, mortem evitari herbarum quarundam virtute posse ratus, nisi ludicre magis quam serio levissimum istud phantasma luci exposuit. Quid enim ars medicorum adversus commune fatum effecit unquam?

Nil contra auxilii ferunt
Herbae, quas docuit suum
Phoebi cura Machaonem,
Humanum miserans genus.

In hac igitur communi atque ineluctabili moriendi necessitate hominem christianum quid magis decet, quam ut mortis semper vivat memor, condigneque se ad magnum illud & ultimum vitæ momentum præparet, ut, cum effugere fatum nequeat, læto hilarique animo expectet mortem, quæ a Christo iam devicta est, iisque, qui in Christum credunt, sanctissimaque eius premunt vestigia, tramitem sternit ad vitam beatam atque sempiternam.

(8) vid. TOBIAE PFANNERI *systema theologiae gentilis purioris*, *cap. XVII. §. 1.*

LOCVS

LOCVS XXIX.

DE

EXTREMO IVDICIO.

PROOEMIVM.

§. I.

Dictum apostolicum Heb. IX. 27.

Statutum est homini semel mori, post hoc autem iudicium, Hebr. IX. 27. Tria in hoc dicto apostolico nobis proponuntur. I) Iudicii extremi certo secuturi *infallibilitas*. Ἀποκειται proprie significat *repositum est*, Luc. XIX. 20. Col. I. 5. 2 Tim. IV. 8. Hoc loco usurpatur pro *statutum*, *definitum*, *constitutum est*, divino scilicet consilio ac iudicio; quae enim divinitus sunt statuta, ea in thesauris divinorum consiliorum ac iudiciorum sunt reposita. Deut. XXXII. 34. *Nonne reconditum sive absconditum est* (Hebr. עִמָּדִי) *apud me, sigillatum in thesauris meis, mea est ultio & retributio.* Ierem. L. 25. *Aperuit Dominus thesaurum suum & protulit vasa indignationis suae.* Quemadmodum igitur iusto Dei peccata punientis iudicio ac *voluntate consequente*, sive iudiciaria post lapsum protoplastorum *statutum est homini semel mori*, Psalm XC. 3. Sir. I. 14. XVII. 1. unde mors vocatur διαθηκη κοσμου, Sir. XIV. 12. & 17. ita quoque respectu voluntatis consequentis, iustitiae ac veritatis divinae post mortem statutum sive repositum est homini *iudicium*, quo respicit verbum θησαυριζειν apud apostolum Rom. II. 5. *Secundum duritiem tuam & impoenitens cor thesaurizas tibi iram*, id est, paulatim coacervas divinam iram, sicut thesaurus quotidiana exigui lucelli accessione cumulatur, ac iræ nomine μετωνυμικως intelligitur *poena* peccatis debita, quae *in die irae & revelationis iusti iudicii Dei*, id est, in die novissimo & in extremo iudicio plene in impios effundetur. II) Iudicii extremi *universalitas*. Sicut *omnibus* omnino hominibus post lapsum mors est communis, 2 Sam. XIV. 14. Psalm LXXXIX. 49. Sir. VIII. 8. XXV. 32. Rom. V. 12. unde τὸ mori a Spiritu sancto sic describitur, quod sit *ingredi viam universae carnis*, Ios. XXIII. 14. 1 Reg. II. 2. ita quoque post mortem omnes manet extremum iudicium. 2 Cor. V. 10. *Omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi.* Quam late patet mors, tam late etiam patet iudicium mortem secuturum, quinimo ad iudicium etiam adducentur illi, qui peculiari Dei privilegio a morte fuere liberi, unde Christus *vivorum & mortuorum iudex vocatur*, Act. X. 42. 1 Petr. IV. 5. III) Iudicii est homini semel mori, μετα δε τουτο, *post hoc autem iudicium*, id est,

post mortem & resurrectionem ex morte succedet iudicium. Quamvis enim non solum in hac vita Deus iudicia sua exerceat bonos defendendo ac præmiis adficiendo, malos autem coërcendo & supplicia eis inferendo, sed etiam in morte cuiusvis hominis anima Dei iudicio ab angelis præsentetur, ac pro ratione status antegressi vel in cœlum evehatur, vel ad infernum detrudatur, tamen iudicium illud est duntaxat *inchoatum*, *partiale* ac *particulare*, sed in die novissimo demum sequetur iudicium *completum*, *totale* ac *universale*, in quo omnes homines in corpore et anima iudicabuntur, ac perfectam, plenam & consummatam operum suorum retributionem percipient.

Commendatio doctrinae de extremo iudicio.

§. II. Postquam igitur de *morte* & *resurrectione* in præcedentibus actum fuit, convenienti ordine sequitur articulus de *extremo iudicio*, quippe quod resurrectionem immediate secuturum & conflagrationem mundi antecessurum esse verisimilibus argumentis suo loco demonstravimus. Grata vero nobis debet esse doctrina de extremo iudicio ob easdem causas, propter quas articulum de resurrectione mortuorum nobis commendatiorem reddi superius diximus; 1) quia ipsa quoque est *mysterium naturae ignotum*, *in solo autem verbo revelatum*. Quamvis enim gentiles quasi per obscuram nebulam ac transennam de extremo iudicio aliquid viderint, vel quia iustitiam divinam tale iudicium requirere prudenter collegerunt, vel quia ex dictamine honestorum & turpium menti humanae divinitus insito & ex propriae conscientiae testimonio convicti sunt, bonis tandem bene, malis vero male futurum, vel quod verisimilius, quia fama doctrinae in ecclesia sonantis ad ipsorum aures pervenit; tamen cognitio illa est non tantum imperfecta, quia *Christum* omnium *iudicem* constitutum penitus ignorarunt, Act. XVII. 31. *normam* iudicii ex parte duntaxat cognoverunt, *obiectum* iudicii, videlicet homines ex morte resuscitatos iudicandos esse tam in corporibus quam in animabus suis ex naturae lumine videre non potuerunt, sed etiam multis fabularum & errorum additamentis contaminata, ut testatum reddunt fabulae de Minoe, Rhadamanto, & Æaco, quos apud inferos iudices collocarunt &c. 2) Quia est *omnis vivificae consolationis in quibusvis huius vitae periculis & adversis fundamentum;* unde apostolus in carcere & vinculis pia meditatione της δικαιοκρισιας τυ θευ sese solatur 2 Tim. IV. 7. *bonum certamen certavi*, *cursum consummavi*, *fidem servavi*; v. 8. *in reliquo reposita est mihi corona iustitiae*, *quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex*; ac Thessalonicenses ad eamdem deducit 2 Thessal. I. 6. *iustum est apud Deum retribuere tribulationem illis*, *qui tribulant vos*, v. 7. *& vobis*, *qui tribulationem sustinetis*, *requiem in revelatione Domini Iesu de cœlo*. 3) Quia est *efficacissimum pietatis incentivum*. Qui enim vere credit & serio expendit, quod *omne opus Deus adducturus sit in iudicium super omne occultum sive bonum sive malum*, Eccl. XII. 14. quod *de omni verbo otioso ratio reddenda sit in die iudicii*, Matth. XII. 36. quod *Dominus ad iudicium veniens illuminaturus sit abscondita tenebrarum & manifestaturus consilia cordium;* 1 Cor. IV. 5. is vitam & actiones omnes ad pietatem componet, & in vero Dei timore ακριβως ambulabit. Ephes. V. 15. Eo nos remittunt apostoli, Paulus Act. XVII. 30. *Deus adnunciat omnibus ubique hominibus*, *ut pœnitentiam agant*, v. 31. *eo quod statuit diem*,

diem, in quo iudicaturus est orbem terrarum in iustitia per virum, in quo statuit; & Petrus 2 Epist. III. 11. *Cum haec omnia* (in die iudicii) *dissolvenda sint, quales opertet vos esse in sanctis conversationibus & pietatibus*, v. 12. *exspectantes & properantes in adventum diei Dei &c.* quin & ipse Christus Luc. XXI. 34. *Attendite vobis ipsis, ne corda vestra graventur crapula & ebrietate & curis huius vitae, & superveniat in vos dies illa repentina*, v. 35. *tanquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem terrae.* v. 36. *Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni reddamini fugere ista omnia, quae futura sunt, & stare coram Filio hominis*, (universorum iudice). 4) Quia est proprium ecclesiae κειμηλιον, ut patet ex illis, quae circa primam rationem paulo superius sunt adlata, Augustinus serm. XXXIV. de verb. apost. non longe a principio: *Scriptura nobis commendat, futurum esse iudicium Dei, quod post resurrectionem complebitur mortuorum. Hoc est, quod praecipue christianos a gentili errore secernit, quia illi hanc tantummodo vitam esse credunt, & ideo sine Deo esse & diversis peccatis atque criminibus non metuunt inquinari. Nos vero ita in hac vita conversemur, ut ad aliam nos praeparemus, in qua & bonis bona & malis mala retribuentur.*

CAPVT I.

DE ONOMATOLOGIA IVDICII EXTREMI.

ονοματολογια. I) ετυμολογια.

§. III. Ordiemur explicationem huius novissimi iuxta methodum hactenus a nobis observatam ab ονοματολογια quae ετυμολογιαν, ομωνυμιαν ac συνωνυμιαν complectitur. I) Ετυμολογια. Iudicium dictum censent a *dicendo iure*, quia iudicis partes sunt secundum legis & iuris praescriptum dicere sententiam. *Extremum* iudicium vocatur respectu *priorum* ac *particularium* istorum iudiciorum, quae in hac vita & in morte hominis Deus exercet. Hieronymus quidem libr. II. adv. Iovian. scribit: *non est in praesenti retributio sed in futuro, unde & dies iudicii in consummatione promittitur, quia nunc non est iudicium, sine causa enim adpellatur dies extrema iudicii, si modo iudicat Deus.* At non potest simpliciter & absolute negari, Deum etiam in hac vita iudicare, cum & scriptura & experientia id testatum reddat. **Duplex enim est Dei** iudicium, quod respectu *hominum* exercet. Prius est *particulare, antecedens, partiale, temporale & occultum*, quod in hac vita vel in morte cuiusque hominis exercet, idque tum *pios*, tum *impios* concernit, sed diversimode. Pios enim contra satanam & ipsius organa defendit, in peccatum prolapsos paterne castigat, ac tandem ex omnibus periculis & adversis liberat, animabus eorum ad se in coelum receptis; impios vero in ira sua punit, molitionibus eorum obsistit, ac ipsorum animas ex corporis domicilio egressas in infernum detrudit. Posterius est *universale, finale, totale, consummatum, aeternum ac manifestum*, quod in die demum novissimo post corporum resuscitationem in publico universi orbis conspectu instituetur, quod proprie *extremi iudicii* nomine intelligitur. Augustinus lib. XX. de civit. Dei cap. 1. *Ideo cum diem iudicii dicimus, addimus ultimum vel novissimum, quia & nunc iudicat,*

cat, & ab initio humani generis iudicicavit, imo etiam quando angelis peccantibus non pepercit, procul dubio iudicavit. (Quidam *triplex* iudicium divinum ſtatuunt. *Generale* ob peccatum primorum parentum, Rom. V. 16. *particulare* in hac vita & morte, *univerſale* & *finale* in die noviſſimo ſecuturum. Sed res eodem recidit, quia extremum & finale illud iudicium, de quo hoc loco agimus, ab utroque priorum iudiciorum diſtinguitur, & generalis illius iudicii, cui propter protoplaſtorum lapſum totum genus humanum eſt obnoxium, quædam manifeſtatio & exſecutio non immerito cenſetur. Iohan. Chaſſanio lib. III. locor. comm. cap. 21. *quadruplex* Dei iudicium ſtatuit, unum ex *natura*, quo per eam legem, quæ natura in animis hominum inſculpta eſt, de bene ac malefactis iudicat; alterum ex *lege*, quo de bonis & malis operibus ac de pravis cogitationibus & cupiditatibus per decalogum iudicat; tertium ex *evangelio*, quo de fide & incredulitate hominum iudicium exercet; quartum eſſe dicit illud *ultimum*, quo illi, qui vel ſola naturæ luce præditi ſunt, vel qui legi obnoxii ſunt, aut evangelio non credunt, condemnabuntur; qui vero Chriſtum per fidem amplexati fuerint ac bona fecerint, regni cœleſtis hereditatem obtinebunt. (Sed ſi diſtincta iudicii norma efficit diſtincta iudiciorum genera, ultimum iudicium, quod diverſorum obiectorum reſpectu ex lege & evangelio inſtituetur, duplex etiam erat ſtatuendum. Adde quod inter legem *naturalem* & *moralem* in decalogo propoſitam non ſit reale aliquod diſcrimen.) Poſt extremum illud iudicium nullum aliud inſtituendum eſt vel exſpectandum, quia definitiva eius ſententia tum pro piis tum contra impios lata ſtatim exſecutioni mandabitur, neque unquam in omnem æternitatem retractabitur.

§. IV. II) Ομωνυμια. Hebr. שָׁפַט ac דין *κρινειν iudicare* & מִשְׁפָּט ac דִּין *κρισις iudicium* variis modis in ſcripturis accipiuntur. Tribuuntur enim judicandi partes 1) *Deo creatori*, *αυτοκρατοριικω* ac ſummo omnium judici, qui hoc nomine *Elohim* vocatur 2) *creaturis rationalibus* ad judicandi ſubſellia divino tamen tribunali inferiora evectis. *Deo* adſignatur judicium tum *communiter*, quando omnes tres perſonæ Deitatis judicare dicuntur, cum judicium ſit opus ad extra, ac proinde indiviſum, ſive omnibus tribus perſonis commune, tum peculiariter *Patri*, *Filio & Spiritui ſancto*. Creaturæ rationales, quibus judicium tribuitur, ſunt *angeli* tum *boni* tum *mali* & *homines* tum *publici*, id eſt, in publico officio *eccleſiaſtico* vel *politico*, conſtituti; tum *privati* omnibus enim ac ſingulis aliquod judicium tribuitur. Deus judicat, tum in *hac* tum in *futura* vita ſive in die noviſſimo, qui huius vitæ erit clauſula, futuræ autem exordium. In hac vita judicat Deus tum in *regno potentiae* tum in *regno gratiae*, ſive in eccleſia. In regno potentiæ judicat tum *immediate* per totius univerſi gubernationem, tum *mediate* per magiſtratus inſtitutionem ac conſervationem. In *regno gratiae* ſive in eccleſia judicat tum in *genere* per verbum legis omnes arguendo & cauſam cuiusque cognoſcendo, tum in *ſpecie* pios defendendo, præmiis adficiendo & aberrantes per paternam caſtigationem in viam reducendo; *impios* vero coercendo & pœnis temporalibus æternarum præludiis adfli-

II) *ομωνυμια.*

fligendo. *Septem* igitur potiſſimum modis Deus in hac vita judicat: 1) Cauſam cuiusque *cognoſcendo*, Gen. XVI. 5. *Iudicet Dominus inter me & te*, XXXI. 49. *Speculetur Dominus inter me & te.* 53. *Iudicet inter nos.* Exod. V. 21. *Videat Dominus & judicet.* Dei enim judicium non proficiſcitur ex cœco impetu adfectuum, ſed cauſam cuiusque adcurate prius cognoſcit & examinat, antequam judicet. 2.) Pios *defendendo*, ex malis eripiendo & præmiis eos adficiendo. Geneſ. XXX. 6. *Iudicavit Deus me & audivit vocem meam*, id eſt, cauſam meam egit, opprobrium a me abſtulit, & præmiis me ornavit. 1. Sam. XXV. 39. *Dominus iudicavit iudicium opprobrii mei de manu Nabal, & cuſtodivit ſervum ſuum a malo.* Pſalm. LIV. 3. *Salvum me fac Deus, in fortitudine tua iudica me*, id eſt, adſere cauſam meam contra hoſtes. Dei enim iudicium non eſt ἀεργον & otioſum, ſed quorum cauſam cognoſcit, illis etiam pro cauſæ qualitate præmia vel pœnas diſtribuit. 3) Eosdem ex infirmitate peccantes paterne *caſtigando.* 1. Cor. XI. 32. *Cum iudicamur, a Domino corripimur.* 1. Petr. IV. 17. *Iudicium incipit a domo Domini.* 4) Impios in ira *puniendo* & vindictam de illis ſumendo. Geneſ. XV. 14. *Gentem, cui ſervient, ego iudicabo*, id eſt, graviſſimis plagis in eos animadvertam. 2. Paralip. XX. 12. *Deus noſter nonne iudicabis eos?* Apoc. VI. 10. *Uſque quo Domine non iudicas & vindicas ſanguinem noſtrum de iis, qui habitant ſuper terram?* 5) Totum hoc univerſum *gubernando* & ſingulis eius partibus convenientia munia diſtribuendo. Geneſ. XVIII. 25. *Qui iudicas univerſam terram an non faciet iudicium?* Pſalm. XCIV. 2. *Exaltare, qui iudicas terram.* XCVI. 13. *Iudicabit orbem terrarum in aequitate, & populos in veritate.* 6) Per verbum legis homines *arguendo.* Gen. VI. 3. *Non iudicabit*, ſive contendet *Spiritus meus cum homine perpetuo.* Eſa. II. 3. *De Sion exibit lex & verbum Domini de Ieruſalem*, v. 4. *& iudicabit inter gentes & arguet populos multos.* 7) Magiſtratus *inſtituendo* ac per eos iudicium politicum *exercendo*, 2. Paralip. XIX. 6. *Non homini iudicatis ſed Domino, qui eſt vobiscum in iudicio.* Pſalm. LXXXII, 1. *Deus ſtat in congregatione Dei, in medio Elohim* ſive iudicum *ipſe iudicat.* In futura vita ſive in die noviſſimo iudicabit Deus per Chriſtum omnes homines pios & impios: illos vitæ æternæ hæredes pronunciando, hos vero æternis ſupplicis adiudicando. Quot modis angeli & homines iudicare dicantur, alibi exponitur, hic enim de *divino* duntaxat iudicio nobis ſermo eſt.

§. V. Ex his facile intelligitur, quot modis iudicium accipiatur, quando Deo tribuitur. Accipitur enim 1) γενικως pro totius univerſi gubernatione & adminiſtratione. Ioh. V. 22. *Pater omne iudicium dedit Filio*, quod ſic exponitur Ioh. III. 35. *dedit omnia in manus eius*, XVII. 2. *dedit ei poteſtatem omnis carnis.* Huc pertinet, quod *iudicia Dei* Pſal. XXXVI. 7. dicuntur *abyſſus multa*, quod Rom. XI. 33. ſic exponitur, *inſcrutabilia ſunt iudicia eius & imperveſtigabiles viae eius*, quodque *iudicia ac viae Domini* Ier. V. 4. ut ſynonyma coniunguntur. 2) Ειδικως, pro eccleſiæ collectione & gubernatione, in qua Deus Pater per Filium manifeſtat evangelium, inſtituit & conſervat miniſterium verbi, confert Spiritum ſanctum, vivificat ſpiritualiter mortuos, defendit pios, coercet impios, ſicque regnum, id eſt eccleſiam Filio colligit. Eſai XLII. v. 1.

Matth. XII. 18. *Ecce servus meus, quem elegi &c. iudicium gentibus adnunciabit*, id est, rectam divini cultus rationem per prædicationem verbi gentibus patefaciet, pœnitentiam & remissionem peccatorum illis adnunciabit. Quidam exponunt de *evangelio*, quod arguit ac damnat omnem mundi iustitiam & solius Christi iustitiam commendat & offert. 3) Διδακτικως, pro divinis mandatis ac præceptis, quæ passim vocantur *iudicia Domini*, Psalm. XIX. 9. CXIX. 13. &c. vel quia Deus illis manifestat, quid agendum ac omittendum iudicet, ac si essent pronunciatæ quædam sententiæ iudicis iudicantis, vel quia in eis tantum iusta & recta continentur, vel quia sunt decreta, quibus perfecte obedientes iustificat, vocantur enim δικαιωματα non κρισεις. 4) Δικαστικως, pro causæ cognitione, contentione præmiorum ac pœnarum distributione & iusta in delinquentes animadversione. Ierem. XXV. 31. *Iudicium esse Domino cum gentibus*, id est, Dominus habet litem cum gentibus. Ioh. V. 30. *Sicut audio, ita iudico, & iudicium meum iustum est*, id est, causam adcurate cognosco, antequam iudicem. 1. Petr. IV. 17. *Iudicium*, id est, castigatio, *incipit a domo Domini*. Vicina est huic classi significatio, qua accipitur pro instrumentis pœnæ, Ezech. XIV. 21. *si quatuor iudicia mea mala misero, gladium, famem, bestiam malam & pestilentiam;* pro memorabilibus exemplis iræ divinæ, Psalm. XLVIII. 12. *exultabunt filiae tuae propter iudicia tua;* pro causa damnationis Ioh. III. 19. *Hoc est iudicium, quod lux venit in mundum & homines magis dilexerunt tenebras quam lucem.* Iudicium & Iustitia in scripturis sæpe coniunguntur ac duplici potissimum sensu accipiuntur, a) *politice* ac *civiliter*, ut *iudicium* significet alteram iudicii partem, qua rei & nocentes puniuntur; *iustitia* vero innocentum absolutionem eorumque a malis defensionem; vel iudicium significet discretionem ac diiudicationem, iustitia vero rei iudicatæ exsecutionem. b) *Ecclesiastice ac spiritualiter*, ut iudicium significet prædicationem legis, qua iubemur Deum timere, a malo declinare & mandata Dei observare; iustitia vero prædicationem evangelii, quæ docet confidere Dei misericordiæ in Christo nobis promissæ & oblatæ. Confer Flacium in clavi scripturæ in voce *iudicare*.

§. VI. Huius loci propria est observatio illa, quod nomen *iudicii* de processu iudiciali in die novissimo olim instituendo usurpatum duplici modo accipiatur: 1) generaliter pro *iudicio discretionis ac discussionis*, cuius obiectum erunt omnes omnino homines; Rom. XIV. 10. *Omnes sistemur ante tribunal Christi.* 2. Cor. V. 10. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi.* Matth. XXV. 31. *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua & omnes angeli cum eo, sedebit super sedem maiestatis suae*, v. 32. *& congregabuntur ante eum omnes gentes & separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis.* 2) Specialiter, & quidem dupliciter: a) pro *iudicio approbationis* 1 Cor. IV. 4. *Qui me iudicat Dominus est;* hoc modo soli pii iudicabuntur, id est, præmio adficientur; b) pro *iudicio redargutionis* ac *condemnationis*, ut κρινειν sit idem, quod κατακρινειν, *condemnare ac perdere*, & κριμα sit idem, quod κατακριμα, sive *condemnatio*, in qua iudicii significatione negantur pii in iudicium venturi ac solis impiis illud paratum esse adseritur. Ioh. III. 18. *Qui credit in Filium,*

non

non iudicatur. V. 24. *Qui verbum meum audit & credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam, & in iudicium non venit, sed transit a morte in vitam.* v. 29. *Qui bona egerunt, procedent in resurrectionem iudicii.* XII. 48. *Qui spernit me & non accipit verba mea, habet, qui iudicet eum, sermo, quem locutus sum, iudicabit eum in novissimo die.* Irenæus lib. V. adv. hæres. cap. XXII. pag. 351. Qui credit, non iudicatur, *id est, non separatur a Deo, adunitus enim est per fidem Deo*; qui autem non credit, iam iudicatus est, *quia separavit semetipsum a Deo voluntaria sententia.* Augustinus lib. XX. de civ. Dei cap. 5. *Ecce hic dixit, fideles suos in iudicium non venire. Quomodo ergo per iudicium separabuntur boni a malis & ad dextram eius stabunt, nisi quia hoc loco iudicium pro damnatione posuit? In tale quippe iudicium non venient*, qui audiunt verbum eius, & credunt ei, qui misit illum. Et cap. VI. Qui bona fecerunt, procedunt in resurrectionem vitae; qui mala fecerunt, in resurrectionem iudicii. *Hoc est illud iudicium, quod paulo ante sicut nunc pro damnatione posuerat dicens:* Qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, sed transit a morte in vitam, *id est, pertinendo ad primam resurrectionem, qua nunc transitur a morte animarum ad vitam virtutum, in damnationem non veniet.* Rungius in comm. 2. Cor. V. 10. *Omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi*, sic progreditur: *Iudicium* in forensi significatione a Spiritu sancto usurpatum 1) significat *condemnationem* Ier. XXIV. 11. *iudicium mortis est huic viro*, id est, sententia mortis dignus est; 2) *causae cognitionem*, quæ fit in iudicio Ier. II. 35. *Iudicio contendam vobiscum;* 3) *moderationem* sive επιεικειαν in executione latæ sententiæ, Ier. XXX. 11. *Castigabo te in iudicio*, hoc est, servato moderamine; 4) *actum iudicii*, quo iudex & partes ad tractationem causarum conveniunt. Pii & finaliter in Christum credentes non veniunt in iudicium iuxta tria priora significata, sunt enim liberati a sententia damnationis, neque ipsorum peccata venient in cognitionem, aut publicabuntur in die novissimo, nec ulla pœna ipsis erit metuenda propter pleniſſimam Christi satisfactionem, ac proinde nec moderatio earum locum habebit; in quarta autem vocis significatione credentes & electi dicuntur comparituri in iudicii extremi actu ad audiendam publicationem evangelii.

§. VII. III. Συνωνυμια

Iudicium absolute ac simpliciter vocatur משפט *iudicium*, κατ εξοχην και εξαιρετικως, quia est universale, finale, ac consummatum illud iudicium, quod in fine seculi Deus exercebit, cuius obiectum erunt non aliqui duntaxat, sed omnes omnino homines. Psalm. IX, 8. *Dominus paravit solium suum ad iudicium* Eccles. XII. 14. *Omne opus adducet Deus in iudicium.* 2. Pet. II. 9. *Novit Dominus iniquos in diem iudicii reservare, cruciandos.* III. 7. *Cœli & terra reservantur igni in die iudicii &c.* Cum adiectione vocatur *iudicium extremum*, quia erit ultimum illud ac immutabile Dei iudicium, in quo, qui absolvuntur, æternum erunt absoluti, qui vero damnantur, æternum erunt damnati. *Novissimum* vocatur, quia in die novissimo exercebitur, quod autem ultimus ille seculi dies vocatur novissimus, eius rei significatio sumta est a tempore, quæ enim ultimo accidunt, ea

III) συνωνυμια.

sunt

sunt nobis maxime nova. Augustinus libr. XX. de civit. Dei cap. 5. vocat *praesentissimum atque novissimum Christi iudicium*; cap. VI. *iudicium magnum, ultimum & maximum iudicium.* Dies censorius, in quo extremum illud iudicium instituetur, vocatur ἡμερα κρισεως *dies iudicii*, Matth. X. 15. XII. 36. (Rationem exponit Augustinus libr. XX. de civitat. Dei cap. 1. *Iste dies iudicii proprie tum vocatur, eo quod nullus ibi erit imperitae querelae locus, cur iniustus ille sit felix, & cur iustus ille infelix. Omnium namque tunc non nisi bonorum vera & plenissima felicitas, & omnium non nisi malorum digna & summa infelicitas adparebit.*) Targum chaldaicum in Psalm. I. εξηγησεως causa vocat יוֹם דִּינָא רַבָּא *diem iudicii magni.* Sicut vice versa Iudas IV. novissimum iudicium vocat κρισιν μεγαλης ἡμερας. Petrus 2. epist. III. 12. vocat *diem Dei*, post quem nullus erit dies alius, sed mera æternitas. In prophetis dies iudicii vocatur *dies irae*; Esa. XIII. 9. גָּדוֹל יוֹם יְהוָה וְנוֹרָא מְאֹד *magnus dies Domini & terribilis valde*; Ioel II. 11. *dies Domini, in quo erunt tenebrae & non lux*; Amos V. 18. *dies irae, dies angustiae & adflictionis, dies tumultus & desolationis, dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & obscuritatis*; Soph. I. 15. *Dies tubae & clangoris* v. 16. *Dies ardens tanquam caminus vel clibanus*; Malach. IV. 1. *Dies pressurae & angustiae*; 4. Esdr. II. 27. quæ & similes adpellationes respectu impiorum huic diei tribuuntur, piorum vero respectu vocatur dies απολυτρωσεως, *perfectae redemtionis*, Ephes. IV. 30. tempus αναψυξεως, *refrigerii*, Act. III. 20. & αποκαταστασεως παντων, *restitutionis omnium*, v. 21. quarum adpellationem emphasin infra explicabimus. Paulus Rom. II. 5. tribus epithetis diem iudicii describit. Primo vocat *diem irae*, id est, pœnæ & ultionis per quamdam μετωνυμιαν causæ pro effecto, quia in die iudicii ira Dei pleno impetu super impios effundetur ac vindicta *sumetur de omnibus, qui non noverunt Deum, & qui non obediunt evangelio Domini nostri Iesu Christi.* 2. Thessal. I. 8. Secundo diem αποκαλυψεως *ac revelationis*, qua tunc *revelabit Deus occulta cordium*, 1. Cor. IV. 5. ac *libri aperientur*, in quibus omnia cogitata, dicta, facta etiam occultissima scripta sunt, Apoc. XX. 12. Tertio diem δικαιοκρισιας *iusti iudicii*, cuius adpellationis rationem pulcerrime exponit Chrysostomus homil. V. in epistol. ad Roman. *Ne audito irae nomine adfectum animique morbum esse putes, addidit iusti iudicii Dei.* Quia vero αποκαλυψεως & δικαιοκρισιας adpellationes ασυνθετως coniunguntur, ideo etiam sic exponi possunt, quod in die novissimo iustum Dei iudicium sit manifestandum. In hac vita iudicium Dei a temerariis & præposteris hominum iudiciis adcusatur, cum bonis mala, malis vero bona distribui videantur, sed in novissimo die omnibus manifestum fiet, Deum iuste iudicare ac unicuique iuxta opera sua reddere. Ut autem in vet. testamento, ut & 2. Petr. III. 12. vocatur *dies Domini*, vel quia est magnus ille dies, in quo omnes homines iudicabuntur; sicut *montes Dei, cedri Dei, venti Dei* dicuntur ob magnitudinem, est enim dies magna, *cuius non est similis*, Ierem. XXX. 7. vel quia peculiariter a Deo, ad opera miraculosa, extraordinaria & plane divina, videlicet ad mortuorum resurrectionem, vivorum immutationem, omnium hominum coram tribunali Christi præsentationem, mundi consummationem, piorum

orum glorificationem & impiorum damnationem, est destinatus, unde vocatur *dies illa magna Dei omnipotentis;* Apoc. XVI. 14. ita in nov. test. vocatur *dies Iesu Christi*, *dies Domini Iesu*, 1 Cor. I. 8. V. 5. 2 Cor. I. 14. Phil. I. 6. & 10. II. 16. &c. quia in ea *Filius hominis revelabitur*, Luc. XVII. 30. *veniens in nubibus cœli cum virtute & gloria magna*, Matth. XXIV. 30. Petrus 1 epist. II. 12. vocat diem επισκοπης *visitationis*, quia erit piis visitatio gratiæ, impiis autem visitatio iræ; 2 Petr. III. 7: diem απωλειας *perditionis*, respectu scilicet impiorum, sicut diserte additur των ασεβων ανθρωπων. Iohannes Apoc. VI. 17. vocat *diem magnum iae divinae.* Adpellatur etiam η εκεινη ημερα, *illa dies*, Matth. VII. 22. XXIV. 36. XXVI. 29. Luc. XXI. 34. 2 Thess. I. 10. 2 Tim. I. 18. IV. 8. &c. itidem εξοχικως και εξαιρετικως, quia est magna & ab omnibus diligenter observanda illa dies, quæ omnibus huius vitæ diebus finem imponet, in qua omnes mortui resurgent, omnes homines iudicabuntur, ac cuivis æterna mansio in cœlo vel in inferno adsignabitur. Bellarminus libr. I. de purgator. cap. 5. per την ημεραν absolute positam 1 Cor. III. 13. intelligit diem extremi iudicii; sed ostendimus suo loco, per diem ibi rectius intelligi vel *generaliter* progressum temporis, vel *specialiter* tempus probationis ac tribulationis. Alius autem exstat locus apud apostolum, in quo η ημερα absolute posita diem iudicii designat 1 Thess. V. 4. *Non estis in tenebris, ut vos dies illa tanquam fur comprehendat;* ubi articulus η est δεικτικος respondens Hebræorum ה notificativo sive demonstrativo. Sic Hebr. X. 25. *exhortantes vos invicem tanto magis, quanto videritis adpropinquantem την ημεραν.* Causam adpellationis tradit Basilius in comment. Esai. XIII. pag. 464. *Dies illa peculiariter dicitur dies propter continuam unionem sui status & perpetuae tranquillitatis. Nulla enim intersipietur nocte, non vespera ulla certo circumscribet eam limite, quod eo die, quae eatenus delituerant occulta tenebrarum, in apertam lucem deprementur.*

§. VIII. Adventus Christi ad iudicium vocatur 1) παρουσια *praesentia; adventus*, Matth. XXIV. 3. 27. 37. & 39. 1. Cor. XV. 23. 1. Thess. II. 19. III. 13. IV. 15. V. 23. 2. Thessal. II. 1. Iacob. V. 7. & 8. 2. Pet. III. 4. 1. Iohan. II. 28. Ut enim Christus semel venit in infirmitate, ut iudicaretur, qui primus Christi adventus vocatur παρουσια, 2. Pet. I. 16. ita secunda vice veniet in virtute, ut iudicet, qui secundus ipsius adventus itidem recte παρουσια adpellatur. Ne quis vero cum Calvinianis ex hac adpellatione *omnimodam Christi secundum humanam naturam a nobis absentiam* colligat, ideo 2) vocatur επιφανεια, 1. Timoth. VI. 14. 2. Timoth. IV. 1. επιφανεια της παρουσιας 2. Thess. II. 8. *adparitio praesentiae eius* (Piscator vertendum existimat επιφανη παρουσιαν *glorioſum adventum*, phrasi hebraica, sed nulla necessitate cogimur, ut discedamus a literali & propria versione.) Tit. II. 13. επιφανεια της δοξης του μεγαλου θεου και σωτηρος ημων Ιησου Χριστου. Item παρουσια της του θεου ημερας *adventus diei Dei*, puta peculiaris illius diei, quam Deus extremo iudicio destinavit, 2. Petr. III. 12. 3) Αποκαλυψις του Χριστου Ιησου απ ουρανου, *revelatio Domini Iesu de cœlo*, 1. Cor. I. 7. 2. Thess. I. 7. 1. Petr. I. 7. & 13. & αποκαλυψις της δοξης Χριστου 1. Petr. IV. 13. Quamvis enim Christus secundum utramque naturam nobis præsens sit iuxta infallibilem su-

am promissionem Matth. XVIII. 20. XXVIII. 20. tamen præsentia illa est invisibilis, sed in die iudicii Christus ita revelabitur, sive manifestabitur, ut ab omnibus conspiciatur. Eodem sensu vocatur 4) Φανερωσις *manifestatio*, Col. III. 4. 1. Pet. V. 4. 1. Ioh. II. 28. III. 2. sicut & primus Christus adventus φανερωσις adpellatur 1. Tim. III. 16. 1. Pet. I. 29. 1. Ioh. I. 2. III. 5. & 8. 5) Βασιλεια θεϱ, *regnum Dei*, Luc. XXI. 31. 2. Tim. IV. 1. quia Christus in hoc ultimo suo adventu ex regno gratiæ pios in regnum gloriæ transferet. 6) Απολυτρωσις, *redemtio piorum*, Luc. XXI. 28. Rom. VIII. 23. quia Christus electos suos ab omnibus malis, a potestate satanae & mortis, ab omnibus huius vitæ miseriis perfecte liberabit. Unde Irenæus lib. I. adv. hær. cap. II. p. 34. pulcerrime Christi adventum vocat την εκ των ϱαιων εν τη δυξη τϱ πατϱος παϱυσιαν επι το ανακεφαλαιωσασθαι τα παντα. 7) *Nuptiae agni*, Apoc. XIX. 7. tunc enim Filius Dei cœlestis sponsus ecclesiam, quam per fidem sibi despondit, in plenam cœlestium bonorum possessionem & ad gaudia vitæ æternæ veluti in domum deducet, ut *ubi ipse est, ibi quoque sit ipsius dilecta sponsa*, Iohan. XVII. 24. Ipsum tempus adventus & iudicii vocatur *hora*, Luc. XII. 40. Ioh. V. 28. & quidem *novissima*, 1 Ioh. II. 18. *hora iudicii*, Apoc. XIV. 7. *dies novissimus*, Ioh. XI. 24. & XII. 48. Cæterum harum adpellationum adventui Christi & extremo iudicio attributarum quædam faciunt ad διδασκαλιαν, ut quando tempus iudicii vocatur *dies novissimus*, *hora novissima* &c. quædam ad ελεγχον, ut quando adventus Christi vocatur επιφανεια και αποκαλυψις, quædam ad νουθεσιαν, ut quando dies iudicii vocatur *dies magnus & terribilis*, *dies iræ &c.* quædam ad παϱακλησιν, ut quando dies ille vocatur dies απολυτρωσεως και αποψυξεως &c.

CAPVT II.

AN SIT IUDICIUM EXTREMUM?

An sit iudicium. Adfir. I) ex dictis scripturae.

§. IX. Ab ονοματολογια transitum facimus ad πϱαγματολογιαν, in qua primo omnium occurrit quæstio πϱι τϱ οτι, *an sit futurum extremum iudicium?* ad quam tota ecclesia tam vet. quam nov. test. unanimi consensu ac voce respondet *adfirmative*. Probatur autem hæc adsertio I) ex manifestis ac perspicuis *scripturae dictis*, quæ in duas distingui possunt classes. Quædam enim ex vet. quædam vero ex nov. test. sunt petita. Augustinus libr. XX. de civ. Dei a cap. 4. usque ad finem libri testimonia scripturæ de extremo iudicio prolaturus hoc ordine progreditur, ut primo loco recenseat dicta nov. test. quibus demum vet. test. oracula subiungit, rationem ordinis adsignat eam, quod *quamvis vet. test. oracula priora sint tempore*, *nova tamen anteponenda sint dignitate*, *quoniam illa vetera praeconia sunt novorum. Nova igitur*, inquit, *ponenda sunt prius*, *quae ut firmius probemus*, *adsumentur & vetera. In veteribus habentur lex & prophetae*, *in novis evangelium & apostolicae literae &c. Hunc & ipse Iesus Christus ordinem servandum esse demonstrans*, scriba, *inquit*, eruditus in regno Dei similis est viro patrifami-

milias proferenti de thesauro suo nova & vetera. *Non dixit vetera & nova, quod utique dixisset, nisi maluisset meritorum ordinem servare quam temporum.* Potuisset etiam addere argumentum *a perspicuitate*, quod nov. test. oracula de futuro iudicio clariora sint quam vet. testam. vaticinia. Sed ut in articulo de resurrectione non dignitatis nec perspicuitatis, sed temporis ratione habita primo loco vet. test. vaticinia enumeravimus, ita quoque in hoc ipso articulo eadem methodo utemur.

§. X. De oraculis

1) *ex vet. test.* vet. test. notandum in genere, quod quædam *directe* & *principaliter* de extremo iudicio agant, quædam vero *indirecte* duntaxat & *consequenter*, ad quam posteriorem classem pertinent illa dicta, in quibus de *iudiciis particularibus*, quæ Deus in hac vita adversus aliquam regionem vel urbem vel quosdam homines exercet, agitur. Cum enim particularia illa iudicia extremi & universalis iudicii sint quædam præludia, imo initia, ideo ad illius confirmationem ἐπομένως & consequenter

a) *ex Mose.* adcommodari possunt. In *Mose* hæc occurrunt vaticinia: Genes. IV. 7. dicit Deus ad Cainum: *Nonne, si bene feceris, erit levatio vel venia; & si non benefeceris, ad ostium cubat peccatum tuum;* in quæ verba sic commentatur Targum Onkelos: *Nonne si bene egeris opera tua, dimittetur tibi? & si non bene egeris, in die iudicii peccatum tuum servatum est, in qua futurum, ut ulciscatur de te, nisi conversus fueris, si vero conversus fueris, dimittetur tibi.* Targum Hierosolymit. eodem fere modo: *Nonne si emendaveris opera tua in seculo isto, condonabitur & remittetur tibi in seculo futuro? Quod si non emendaveris opera tua in seculo hoc, ad diem iudicii magni peccatum tuum conservabitur, & ad ostium cordis quiescit.* Acceperunt igitur concionem illam legalem & pœnitentialem eo sensu, quod mentione extremi iudicii voluerit Deus Cainum a peccato revocare. Philip. Melanchthon in explicat. evangel. dom. II. Advent. *Ab initio mundi exstitit doctrina de novissimo iudicio ut in prima concione ad Cainum: peccatum quiescit, id est, futurum, ut differantur pœnae, sed postea revelabitur, id est, ostendetur ira Dei adversus peccatum, iam cum plurima peccata hic non revelentur, non puniantur, necesse est, aliud iudicium sequi.* Idem ostendit verborum emphasis. Peccatum *ad ostium* aliquandiu *quiescit*, sed in die iudicii evigilabit ac revelabitur, adeoque debitis pœnis adficietur, unde ad v. 8. ubi in Hebræo simpliciter dicitur, quod *Cain locutus fuerit cum Abele*, Targum Hierosolymitanum adnotat, quod cum Abele de providentia divina, de extremo iudicio & de vita æterna contenderit. Sic enim habet: *dixit Cain ad Abel fratrem suum: veni & egrediamur in agrum. Et accidit, cum egressi essent ambo in agrum, respondit Cain: non est iudicium nec iudex, nec seculum aliud, nec merces bona pro iustis, nec pœna pro impiis. Nec Dei misericordia creatus est mundus, nec Dei misericordia regitur mundus, eo quod suscepta est oblatio tua cum beneplacito, mea vero non est suscepta cum beneplacito. Respondit Abel & dixit ad Cain: est iudicium, est iudex, est que seculum aliud, merces item bona pro iustis & pœna pro impiis. Misericordia quoque Dei conditus est mundus, atque misericordia illius gubernatur, utique propter opera bona gubernatur. Quia enim meliora fuerunt opera mea, suscepta est oblatio mea cum beneplacito, tua vero non est suscepta cum beneplacito;* quæ verba etiam in libris Samaritanorum se

reperiſſe teſtatur Hieronymus, ac Maſoritæ ad Targum Ionathæ & Hieroſolymitanum reſpicientes h. l. in margine notant: כח פסוקי במצעו פסוק ut ſit ſenſus, 28. *verſus deſunt in medio verſus*, neque tamen propterea corruptio aliqua textui Hebræo adſcribi poteſt, ut Cornelius a Lapide in comm. h. l. contendit, quia non ipſius textus Hebraici ſed paraphraſeos Chaldaicæ reſpectu defectus ille a Maſoritis agnoſcitur, nec mutilus & hiulcus in Hebræo cenſendus eſt locus, niſi iſta addantur, quia verbum אמר vel ad præcedentia referri poteſt, ut ſit ſenſus, indicavit hoc ipſum Cain Abeli, ac de concione Dei cum ipſo locutus eſt, vel abſolute poſitum accipi hoc ſenſu Cain amice ac blande cum fratre ſuo locutus eſt ac converſatus, hypocritice tamen, ut eventus oſtendit.) De Henocho patriarcha in epiſtola Iudæ v. 14. dicitur, quod de extremo iudicio vaticinatus fuerit: *prophetavit autem de his*, æterno ſcilicet exitio & ſupplicio impiorum, *ſeptimus ab Adam Enoch dicens: ecce venit Dominus in ſanctis millibus*, v. 15. *facere iudicium contra omnes & arguere omnes impios eorum de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, & de omnibus duris, quae locuti ſunt contra eum peccatores.* (Chunmannus Flinſpachius in libr. de conject. extr. temp. hoc exponit de prædicatione *reali*, hoc ſenſu: ſicut mors corporalis in ſex priores eccleſiæ patriarchas, Adamum ſcilicet, Sethum, Enos, Kenan, Mehaleël & Iared propter peccatum efficaciter dominata eſt, ſeptimum vero, in Enochum ſcilicet, vim ac potentiam ſuam exſerere non potuit, is namque vivus in paradiſum translatus documento fuit omnibus, reſtare adhuc vitam aliam & ſecuturum iudicium, Geneſ. V. 24. ita quoque per ſex millia annorum, quibus mundus hic ſtabit, mors in omnes homines dominabitur, ſed in ſeptimo millenario, qui initium æternæ ac cœleſtis vitæ futurus eſt, amiſſo aculeo ſuo prorſus abolebitur; cui interpretationi probabilitatem conciliare nititur ex eo, quod Iudas Enochum notanter dicit eſſe *ſeptimum ab Adamo patriarcham.* Sed rectius accipitur de prædicatione *verbali*, cum expreſſe addatur, quod Enochus προεφητευσε λεγων *dicens* vel dicendo, ergo non tantum fuit concio realis, ſed etiam verbalis. Quia enim Enochus dicitur *ambulaſſe cum Domino*, hoc eſt, in vero Dei timore vixiſſe, peculiari devotione ipſi ſerviiſſe ac ſanctam vitam duxiſſe, ideo dubium nullum, quin hominum antediluvianorum peccata graviter taxaverit, & propoſito ob oculos eorum futuro iudicio ab impietate ad veram pœnitentiam eos revocare voluerit. Unde autem hoc Henochi vaticinium Iudas acceperit, variant ſententiæ. Quidam exiſtimant, Iudam hoc habuiſſe ex *indubitata traditione*, ſicut Paulus nomina magorum Iannes & Iambres, 2 Tim. III. 8. Quidam ſtatuunt, tempore Iudæ exſtitiſſe adhuc *librum de translatione Enochi*, ſed qui temporis progreſſu poſtea interciderit. Vide Scaligerum in notis ad Euſebium p. 244. & 245. ubi ex Georgio Syncello probat, *apoſtolos citare teſtimonia ex libris apocryphis.* Quidam denique adſerunt, Iudam ex *immediata Spiritus ſancti revelatione* & inſpiratione hoc cognitum habuiſſe.) Gen. XVIII. 25. Filius Dei comitatus duobus angelis ad Abrahamum divertit, ac de Sodomitis propter conſummatam ſcelerum menſuram divinitus perdendis cum ipſo loquitur, cui inter cætera Abraham reſpondet: *Numquid diſperdes iuſtum cum impio? abſit tibi, ut facias mori iuſtum cum impio, & ſit iuſtus ſicut impius, abſit tibi. Numquid iudex omnis terrae non faciet iudicium?*

dicium? (Agnoscit igitur Filium Dei *universae terrae*, hoc est, omnium omnino hominum *iudicem* divinitus constitutum, cuius universalis iudicii praeludium quoddam in Sodomitarum excidio proponatur.) Deut. XXXII. 34. *Nonne hoc ipsum reconditum apud me, sigillatum in thesauris meis*, (ea consuevimus in thesauris reponere, quibus praesenti tempore non utimur, sed suo tempore illis sumus usuri, significatur igitur iudicium illud adhuc esse futurum) v. 35. *mihi ultio, & ego retribuam in tempore, quo nutabit pes eorum, quia propinquus dies exitii eorum, & festinant futura eis.* v. 36. *Quia iudicabit Dominus populum suum, & super servos suos paenitebit eum*, hoc est, miserebitur servorum suorum. (Chaldaeus reddidit: *An non omnia opera eorum manifesta sunt coram me? repositа sunt ad diem iudicii in thesauris meis? coram me est ultio & ego retribuam in tempore, quo migrabunt de terra sua, quia prope est dies interitus eorum, & festinat quod futurum est eis: Quoniam iudicabit Dominus iudicium populi sui & ultionem servorum suorum iustorum ulciscetur.* Epistola ad Hebraeos X. 30. hoc oraculum Mosaicum adlegat & addit v. 31. *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.*) v. 41. *Si acuero ut fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea.* (ubi pars posterior est ἐξηγητικη prioris, quia *per Dei gladium* eius iudicium intelligitur. Confer Apoc. I. 16.)

§. XI. 2) In Iobo. 2) *ex Iobo.*

Iobus cap. III. 4. de die nativitatis suae dicit: *Non requirat eum Deus desuper.* (In haec verba sic commentatur Origenes libr. III. in Iobum: *Quid dicis o beate Iob? ergo alios dies inquiret, ut de isto solo dicas, non inquirat illum Dominus desuper? utique ait: Omnes dies seculi inquirentur, omnia tempora & momenta atque secula requirentur, & producentur, nimirum non dies seculi, qui naturam non habent, iam transacti, sed verba & facta, quae in illis diebus sunt gesta, cogitationes & consilia atque tractatus, qui in omni tempore vel momento huius seculi tractati sunt atque cogitati. Haec igitur omnia in omnibus gentibus & in omni lingua inquisita, in iudicio manifestantur in tempore inquisitionis &c.*) XIII. 14. *Quid faciam cum surrexerit ad iudicandum Deus & cum quaesierit, quid respondebo illi?* (Hebr. *Quid facerem, si Deus consurgeret, & si visitaret, quid tum responderem illi?* Loquitur sanctus tum de iudicio Dei *particulari*, quod exercet in hac vita, tum vel maxime de iudicio *universali*, quod in fine seculi exercebit.) XIX. 29. *Fugite a facie gladii, quia est iniquitatum gladius, ut sciatis, quod iudicium restet.* (Memores estote extremi iudicii, & definite male agere.) XX. 25. *Fulgur ab amaritudinibus suis adducet super eum* (impium) *terrorem.* (Ultima tempestas extremum iudicium antegressura vehementissime eum terrebit.) v. 26. *Omnes tenebrae occultare eum non poterunt, devorabit eum ignis, qui non inflatur*, (qui non excitatur opera hominum, sed divinitus accenditur) *adfligetur relictus in tabernaculo suo.* v. 27. *Revelabunt caeli iniquitatem eius & terra consurget adversus eum.* XXXV. 14. *Iudicium est coram ipso, exspecta eum.*

§. XII. 3) In *psalmis* complura de extremo iudicio exstant vaticinia, de quibus Augustinus lib. XX. de civit. Dei cap. 24. in principio sic scribit: *Multa de iudicio novissimo in psalmis dicuntur, sed eorum plura transeuntur & strictim.* Enumerabimus oracula potiora: Psalm II. 9. *Conteres eas* (gentes) *in virga ferrea, sicut* 3) *ex psalmis.*

cut vas figuli confractos dispergeſ eos, terræ ſcilicet terminos (hoc in iudicio extremo præcipue ac conſummative fiet.) VII. 12. *Deus iuſtus iudex & Deus indignans omni die.* v. 13. *Si non converſus fuerit* (impius), *acuet gladium ſuum, arcum ſuum tetendit & paravit illum.* v. 14. *Et parare ei fecit vaſa mortis, ſagittas ſuas ad perdendum operatus eſt.* Hieronymus lib. II. in Threnor. Ierem. III. *Per arcum aliquando dies iudicii deſignatur, ſicut in pſalmiſta dicitur: dediſti metuentibus te ſignificationem, ut fugiant a facie arcus. In arcu enim quanto longius trahitur chorda, tanto de eo diſtrictior erit ſagitta. Sic extremi iudicii dies quanto longius differtur, ut veniat, tanto cum venerit, de illo diſtrictior ſententia procedet.* Auguſtinus in enarrat. h. Pſal. *Vibrabit Chriſtus gladium, cum in ſecundo adventu veniens iudicare vivos & mortuos in manifeſto ſplendore claritatis ſuae uſtis lumine ſuo & terrore impiis coruſcabit.*) Pſalm IX. 5. *Iudicium meum feciſti, ſediſti in ſolio iudicans iuſte.* (præteritum pro futuro accipi poteſt.) v. 8. *Dominus paravit ad iudicium ſolium ſuum.* v. 9. *Et ipſe iudicabit orbem in iuſtitia, iudicabit populos in rectitudine.* Conf. Act. XVII. 31. (Proponit nobis conſiderandam 1) *iudicis maieſtatem*, 2) *throni regii ſtabilitatem*, 3) *iudicii aequitatem.* Auguſtinus in enarr. huius Pſalmi ante medium: *Filius palam manifeſteque venturus eſt ad iudicandos vivos & mortuos, iudicabit autem orbem terrarum in aequitate, non quemadmodum iudicant homines, qui corda non vident, a quibus plerumque deteriores abſolvuntur, quam condemnantur, ſed in aequitate & iuſtitia Dominus iudicabit, teſtimonium perhibente conſcientia & cogitationibus accuſantibus ſeu defendentibus.* Caſſiodorus in comm. h. Pſalm. *Deus homo paravit ſedem ſuam ad iudicium, ut qui hic in humilitate iudicatus eſt, ibi in maieſtate ſua iudicaturus adveniat. Haec ſunt quae titulus dixit occulta filii, quia ineffabile donum eſt, ut humilitatem hominis naturam atque demerſam dextra potentiae ſuae ad cælaeſtia regna levaverit. Ipſe utique Dominus Chriſtus iudicabit, qui hic patiendo iniuſtitiam, ibi impiis veraciter dicitur demonſtrare iuſtitiam. Per orbem terrae ſanctos viros debemus accipere, qui de univerſali eccleſia quaſi de coronae circulo congregantur. Iſti in aequitate iudicandi ſunt, quibus propter fidei & humilitatis ſuae bonum miſericordia copioſa praeſtabitur, qui audituri ſunt:* Venite benedicti Patris mei. *Populi autem debent accipi peccatores, qui operibus diabolicis non videntur exuti, iſti cum iuſtitia iudicandi ſunt, qui pro factorum ſuorum ſcelere damnabuntur, quibus dicendum eſt;* ite in ignem aeternum. *Sic duobus nominibus aequitatis & iuſtitiae qualitatem illam iudicii mirabili brevitate deſcripſit.*) Pſalm XI. 6. *Pluet Dominus ſuper peccatores ignem & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum* v. 7. *Quoniam iuſtus Dominus & iuſtitias dilexit.* Pſalm XLIX. 6. *Cur timebo in die mala?* (Baſilius homil. XIII. in Pſalm refert *ad diem iudicii*, in qua quemlibet propria conſilia circumdabunt.) Pſalm L. 3. *Veniet Deus noſter & non ſilebit, ignis coram eo vorabit, & in circuitu eius tempeſtas excitata eſt vehementer.* v. 4. *Advocabit ad cælos deſuper & ad terram, ut iudicet populum ſuum.* v. 5. *Congregate mihi ſanctos meos ferientes pactum meum ſuper ſacrificium.* v. 6. *Et nunciabunt cæli iuſtitiam eius, quod Deus iudex ipſe.* Quamvis hoc oraculum Davidicum de particulari ac ſpirituali iudicio, quod Deus in hac vita exercet, principaliter agere videatur, tamen optima ratione ad ultimum iudicium in noviſſimo die exercendum referri poteſt, tunc enim 1) *vere veniet Dominus*, hoc eſt, Chriſtus Dei Filius *adparebit in nubibus cum gloria & maieſtate magna*, Matth. XXIV. 30. 2) *Non ſilebit*, quia cum claſſico & tuba Dei

Dei de cœlo descendet, 1 Thess. IV. 16. *& mortui audient vocem eius*, Ioh. V. 28. 3) *Ignis consumens praecedet eum*, quia *cœli igne solventur, & elementa calore liquescent*, 2 Pet. III. 10. *Patefiet Dominus de cœlo cum flamma ignis*, 2 Thessal. I. 8. 4) *Circa eum tempestas magna*, audientur enim horribilia tonitrua, ut in prima legis promulgatione. 5) *Cœlum & terra vocabuntur*, hoc est, redibit Christus cum angelis & sanctis e cœlo, homines e terra congregabuntur ad iudicium, ut sic cœlum & terra commoveantur &c. Augustinus lib. XX. de civit. Dei cap. 24. *Hoc nos de Domino nostro Iesu Christo intelligimus, quem de cœlo speramus esse venturum ad vivos & mortuos iudicandos. Manifestius enim venit inter iustos & iniustos iudicaturus iuste, qui prius venit occultus ab iniustis iudicandus iniuste. Ipse*, inquam, *manifestus veniet & non silebit, id est, in voce iudicis evidens adparebit, qui prius cum venisset, occultus ante iudicem siluit, quando sicut ovis ad immolandum ductus est, & sicut agnus coram tondente fuit sine voce, quemadmodum de illo per Esaiam legimus prophetatum & in evangelio videmus impletum. Advocabit cœlum sursum, quoniam sancti & iusti recte cœlum adpellantur, nimirum, hoc est, quod ait apostolus, simul cum illis rapiemur in nubibus in obviam Christo in aëra. Nam secundum literae superficiem, quomodo sursum advocatur cœlum, quasi posset esse nisi sursum? Quod autem adiunctum est, & terram discernere populum suum, si tantummodo subaudiatur, advocabit, id est, advocabit terram, nec subaudiatur sursum, hunc videtur habere sensum secundum rectam fidem, ut cœlum intelligatur in eis, qui cum illo sunt iudicaturi, & terra in eis, qui iudicandi sunt, & advocabit cœlum sursum, non hic intelligamus, rapiet in aëra, sed in iudiciarias sedes. Potest & illud intelligi: advocabit cœlum sursum, advocabit angelos in supernis & excelsis locis, cum quibus descendat ad faciendum iudicium, advocabit & terram, hoc est, homines in terra utique iudicandos. Si autem utrumque subaudiendum est, cum dicitur, & terram, id est, & advocabit sursum, ut iste sit sensus, advocabit cœlum sursum & terram advocabit sursum, nihil melius intelligi existimo, quam homines, qui rapientur in obviam Christo in aera, sed cœlum dictum propter animas, terram propter corpora. Discernere porro populum suum, quid est nisi per iudicium separare bonos a malis tanquam oves ab hœdis? Deinde conversio sermonis ad angelos facta est: congregate illi iustos eius. Profecto enim per angelicum ministerium tanta res peragenda est. Si autem quaerimus, quos iustos ei congreguturi sint angeli, qui disponunt? Inquit, testamentum eius super sacrificia. Haec est omnis vita iustorum disponere testamentum Dei super sacrificia. Aut enim opera misericordiae sunt super sacrificia, hoc est, sacrificiis praeponenda iuxta sententiam Dei dicentis:* misericordiam magis volo quam sacrificium, *aut si super sacrificia in sacrificiis intelligitur dictum, quomodo super terram fieri dicitur, quod fit utique in terra, profecto ipsa opera misericordiae sunt sacrificia, quibus placetur Deo, in quibus operibus disponunt iusti testamentum Dei, quia propter promissiones, quae novo eius testamento continentur, haec faciunt. Unde congregatis sibi iustis suis & ad dextram suam constitutis novissimo utique iudicio dicturus est Christus: venite benedicti Patris mei, esurivi enim, & dedistis mihi manducare.* Confer eumdem in enarr. h. Psal. Psalm LXVIII. 2. *Sicut deficit fumus, deficiant, sicut fluit cera a facie eius, sic pereant peccatores a facie Dei.* (hunc locum Augustinus in comm. accipit de extremo iudicio: *Cum mali*, inquit, *in hoc seculo sicut fumus se extol-*

extollendo defecerint, veniet illis in fine extrema damnatio, ut ab eius facie pereant in aeternum, cum in sua claritate fuerint praesentati velut ignis ad pœnam impiorum, lumenque iustorum.) Psalm LXXIII. postquam de florente impiorum fortuna multis conquestus erat Asaph, subiungit v. 16. *Existimabam, ut cognoscerem hoc, labor erat ante me.* v. 17. *Donec intrarem in sanctuarium Dei, & intelligerem novissima eorum.* (Augustinus lib. XX. de civ. Dei cap. 28. *Ut solveret difficilimam quaestionem, quae fit, cum boni videntur miseri & felices mali, addit: in novissimo iudicio non sic erit, sed aperta iniquorum miseria & aperta felicitate iustorum longe quam nunc est, aliud adparebit.*) Psalm LXXV. 3. *Cum accepero constitutum tempus, ego iustitias* sive iuste *iudicabo.* (Quando impii & persecutores ecclesiæ mensuram scelerum suorum impleverint, cumque mihi oportunum erit, iuste ac graviter in eos animadvertam, non solum in hoc seculo, sed etiam imo vel maxime in extremo iudicio) v. 4. *Liquefacta est terra & omnes qui habitant in ea.* (tanta severitate puniam, ut terra & inhabitatores eius præ angustia colliquescant.) v. 5. *Dixi stultis, nolite stulte agere, & impiis nolite exaltare cornu* (robur ac potentiam vestram contra Dei servos) v. 6. *Nolite extollere in excelsum cornu vestrum, nolite loqui cervice praefracta.* v. 7. *Quia neque ab oriente neque ab occidente neque ab austro.* (quisquam erit, qui vos in iudicio liberet. Quidam excipiunt μιμητικως dictum.) v. 8. *quoniam Deus iudex est, qui hunc humiliat, illum exaltat,* (illud in die iudicii potissimum complebitur, in quo humiliabit Deus impios, exaltabit autem pios.) v. 9. *Quia calix in manu Domini est vino turpido plenus, miscet & propinat ex illo, fetes eius bibent omnes impii terrae,* (has feces iræ divinæ in die iudicii bibere incipient, & in omnem æternitatem bibent, nunquam enim hoc poculum exhauriri poterit.) Psalm LXXXII. 8. *Surge Deus, iudica terram.* XCIV. 2. *Eleva te iudicans terram.* XCVIII. 9. *Venit Dominus iudicare terram, iudicabit orbem in iustitia & populos in aequitudine.* CX. 5. *Dominus a dextris tuis conteret in die irae suae reges* (hæc dies iræ est *dies iudicii*, in qua omnia terrena regna destruentur & persecutores evangelii pœnis æternis adiudicabuntur) v. 6. *iudicabit in nationibus, implebit eas corporibus,* (occisorum), *conteret caput super terras multas* (*inchoative* illud fit in hac vita, *consummative* fiet in iudicio extremo Esa. LXVI. 24.) Psalm CXLIII. 2. *Ne intres in iudicium Domine cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (ne quæso agas mecum in extremo iudicio iuxta rigorem iustitiæ tuæ, quem nullus hominum sustinere potest, in illa die libera me a verbo aspero, provoco enim a throno iustitiæ ad thronum misericordiæ, nec nisi interposito Christi merito in iudicium tuum venire cupio.)

§. XIII. 4) Ab hymnis Davidicis descendimus ad *prophetas*, in quorum classe primo loco occurrit *Samuel*, quem non solum rabbini inter נְבִיאִים אַחֲרוֹנִים recensent, sed etiam Petrus Act. III. 24. *prophetarum tempora* ab eodem auspicatur. 1 Sam. II. 10. canit Hanna: *conterentur adversarii Domini, quia super eos e cœlis tonabit, iudicabit Dominus fines terrae* (in extremo scilicet & universali iudicio, in quo scelera impiorum, quæ in hac vita manserunt impunita, igne & fulmine cœlesti visitabit. Augustinus libr. XVII. de civitat. Dei cap. 4. *Extrema terrae, quae iudi-*

4) *ex prophetis.*

iudicanda dicuntur, intelliguntur extrema hominis, quoniam non iudicabuntur, quae in melius vel deterius medio tempore commutantur, sed in quibus extremis inventus fuerit, qui iudicabitur) & dabit fortitudinem regi suo, & extollet cornu Christi sui (veniet enim Christus in virtute & gloria magna, ac destruet omnia regna terrena, ipsius vero regnum manebit *in aeternum* Dan. II. 40.) Salomon Prov. XXIII. 10. *Ne attingas parvulorum terminos, & agrum pupillorum ne introeas, propinquus enim illorum*, (in Græco est ο λυτρωμενος αυτως κυριος) *fortis est & ipse iudicabit contra te illorum causam*, hoc est, causam eorum suscipiet & ad iudicium te vocabit. Eccles. III. 17. *Iustum & impium iudicabit Dominus.* XI. 9. *Lactare iuvenis in adolescentia, & iucundetur tibi cor tuum in diebus iuventutis tuae, & ambula in viis cordis tui & secundum adspectum oculorum tuorum, sed scito, quod propter omnia haec adducet te Deus in iudicium.* (Ita transigas iuventutis tuae lætitiam, ut amaritudo iudicii nunquam recedat a tua memoria, fisteris aliquando iudicio Dei in die novissimo, ac rationem reddere cogeris vitæ in his terris actæ.) XI. 13. *Time Deum, & mandata eius custodi, quia hoc decet omnes homines.* v. 14. *Omne enim opus adducet Deus in iudicium super omne occultum sive bonum sive malum* (Hebr. ע verti potest *etiam*, ut sit sensus, omne opus, etiamsi illud fuerit in occulto factum, in iudicio erit omnibus manifestum.) Augustinus lib. XX. de civitat. Dei cap. 3. *Quid brevius, verius, salubrius dici potuit? Deum*, inquit, *time, & mandata eius custodi, quia hoc est omnis homo. Quicunque enim est hoc, est custos utique mandatorum Dei, quoniam qui hoc non est, nihil est. Non enim ad veritatis imaginem reformatur remanens in similitudine vanitatis. Quia omne hoc opus, hoc est, omne quod fit ab homine in hac vita sive bonum sive malum, Deus adducet in iudicium in omni despecto, hoc est, in omni etiam, qui contemtibilis hic videtur, & ideo nec videtur, quoniam Deus & ipsum videt, nec eum despicit, nec eum cum iudicat, praeterit.* Apud Esaiam hæc potissimum occurrunt vaticinia: II. 10. *Ingredere in petram, abscondere infossa humo a facie timoris Domini & a gloria maiestatis eius.* v. 11. *Oculi sublimes hominis humiliati sunt, & incurvabitur altitudo virorum, Dominus autem solus exaltabitur in die illa.* Hieronymus in comm. *Multi haec de die iudicii intelligunt, quod omnis creatura comparatione divinae gloriae humilietur & incurvetur & nihil se esse sentiat. Tunc nec divitiae, nec nobilitas generis, nec potentia dignitatum aliquem defendere poterunt, cuius iram nullus poterit declinare, unde hortatur, ut ingrediamur petras.* III. 13. Taxans peccata populi iudicium extremum in memoriam ipsis revocat: *stat ad iudicandum Dominus, & stat ad iudicandum populos.* v. 14. *Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui & principibus eius.* (Vide Basilium comm. illius loci & Gregorium lib. X. moral. cap. 30.) IV. 4. *Lavabit Dominus sanguinem de medio Ierusalem per spiritum iudicii.* XI. 4. *Iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in aequitate pro adflictis, percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium.* v. 5. *Et erit iustitia cingulum lumborum eius & fides cinctorium renum eius.* (Hoc vaticinium referri posse ad extremum iudicium, patet ex eo, quod apostolus 2 Thessal. II. 8. illud adcommodet ad deletionem antichristi futuram in die iudicii.) Cap. XIII. postquam propheta de excidio monarchiæ & urbis Babylonicæ vaticinatus fuerat, subiungit v. 9. *Ecce dies Domini venit crudelis, plenus indignationis,*

irae & furoris, ut ponat terram in solitudinem, & peccatores eius disperdat ex ea. v. 10. *Quoniam stellae cælorum & Oriones eorum non facient lucere lumen suum, obscurabitur sol, quando egredietur, & luna non splendere faciet lumen suum.* v. 11. *Et visitabo super orbem malum & super impios iniquitatem eorum.* v. 13. *Super hoc cælum conturbabo, & terra movebitur de loco suo.* (Quidam ad solos *Babylonios* hæc referunt propter connexionem cum antecedentibus v. 1. *Onus Babylonis, quod vidit Esaias;* sed quia illud temporale Babyloniorum excidium fuit præludium universalis excidii atque exitii, quod in die novissimo manet impios, ideo merito etiam hoc vaticinium propheticum ad iudicium extremum adcommodatur, præsertim cum propheta generaliter loquatur, quod *visitaturus sit Deus super* תבל *totum orbem habitabilem.* Confer Matth. XXIV. 29. Marc. XIII. 14. Luc. XXI. 25. Hieronymus in cap. I. Ioel. *Hic dies recte adpellatur insanabilis, ita namque LXX. reddiderunt, quia cum dies iudicii venerit, non erit locus pœnitentiae, quia aeternitati comparatur &c.* In comm. cap. XIII. Esa. *Dissolventur omnes manus, quia nullum opus dignum Dei iustitia reperietur, & non iustificabitur in conspectu eius omnis vivens. Omne quoque cor hominis tabescet & pavebit conscientia sui peccati.*) XXIV. 7. *Luxit vindemia, infirmata est vitis, ingemuerunt omnes.* (Totum hoc caput Hieronymus in comm. refert ad diem iudicii, quia v. 23. additur, *erubescet sol, confundetur luna, cum regnaverit Dominus exercituum in monte Sion.* Sed proprie & principaliter agit propheta de Iudæorum reiectione & gentium conversione.) XXVI. 21. *Ecce Dominus egredietur de loco suo, ut visitet iniquitatem habitatoris terrae contra eum, & revelabit terra sanguinem suum, & non operiet ultra interfectos suos.* (In præcedentibus vaticinatus erat propheta de *resurrectione mortuorum*, iam subiungit vaticinium de *extremo iudicio*, in quo *egredietur Dominus de loco suo*, puta peculiari potestatis & gloriæ suæ demonstratione, quia Christus visibiliter de cœlo veniet *cum gloria & potestate magna*, ut visitet in iudicio novissimo iniquitatem habitantium super terram, tunc non manebunt occultæ vel inultæ cædes iniustæ.) XXVII. 1. *In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi & forti super Leviathan serpentem directum & super Leviathan serpentem tortuosum*; (conteret caput serpentis infernalis ac destruet regnum diaboli, id quod plene ac perfecte futurum in die iudicii.) XXX. 18. *Deus iudicii Dominus, beati omnes qui exspectant eum.* v. 27. *Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius & gravis ad portandum, labia eius repleta sunt indignatione, & lingua eius quasi ignis devorans.* v. 28. *Spiritus eius velut torrens inundans usque ad medium colli, ut ventilet gentes in cribro vanitatis.* Proprie & in sensu literali ibi agitur de clade, quæ manebit *Assyrios*, sed quia illa fuit præludium & initium æterni exitii, quod in iudicio extremo eos manet, ideo ad illud adcommodatur ab Hieronymo, Haymone, Lyrano &c. in comm. XLII. 1. *Ecce servus meus, suscipiam eum, electus meus, in quo complacuit animae meae, Iudicium gentibus proferet &c.* v. 3. *In veritate proferet iudicium.* v. 4. *Non erit turbulentus, donec ponat in terra iudicium &c.* (Hunc locum propheticum Augustinus lib. XX. de civitat. Dei cap. 30. itidem ad novissimum iudicium adcommodat: *Iudicium*, inquit, *gentibus protulit, quia pronunciavit futurum, quod gentibus erat occultum. In veritate iudicium protulit, praedicens eis, quando puniendi es-*

essent, si in sua malignitate persisterent &c. donec ponat in terra iudicium: ecce manifestatum est, quod absconditum quaerebamus. Hoc enim est novissimum iudicium, quod ponet in terra, cum venerit ipse de cœlo, de quo iam videmus impletum, quod hic ultimum positum est: & in nomine eius gentes sperabunt. *Per hoc certe, quod negari non potest, etiam illud credatur, quod impudenter negatur &c.* Sed rectius de primo Christi adventu hoc oraculum accipitur, in quo *iudicium gentibus protulit*, hoc est, per evangelii prædicationem gentes ad regnum sui consortium vocavit, ut secundum illius leges porro viverent, *protulit iudicium in veritate*, hoc est, pœnitentiam agentes docuit, quomodo vitam Deo gratam instituere debeant &c.) XLV. 23. *Per meipsum iuravi, ait Dominus, & exiit de ore meo verbum iustitiae, & non revertetur, quod mihi curvabitur omne genu.* (Hoc oraculum apostolus Rom. XIV. 11. adcommodat ad extremum iudicium: *Omnes*, inquit, *stemus ante tribunal Christi, scriptum est enim, vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi se flectet omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.* Cum enim v. 8. *de primo Christi adventu* dictum fuerit, ideo propheta subiungit oraculum de *secundo Christi adventu* ad iudicium.) Esa. LXVI. 15. *Ecce Dominus in igne veniet & tanquam turbo quadrigae eius ad reddendum in ira furorem suum & increpationem suam in flamma ignis.* v. 16. *Quia in igne Dominus iudicabit, & in gladio suo omnem carnem, & multi erunt interfecti a Domino.* v. 18. *Et ego opera eorum & cogitationes eorum visitabo, quando veniet tempus, ut congregem gentes omnes & linguas omnes, & venient & videbunt gloriam meam.* (In præcedentibus vaticinatus erat propheta de resurrectione mortuorum v. 14. *ossa vestra germinabunt tanquam herba*, in sequentibus de æterna piorum gloriæ & æterna impiorum ignominia v. 23. *erit sabbatum ex sabbato.* v. 24. *vermis eorum non morietur &c.* Ergo hæc intermedia verba recte accipiuntur de iudicio extremo, quod inter resurrectionem mortuorum ac damnationem impiorum erit intermedium, & in quo Deus *veniet cum flamma ignis.* Confer 2 Thessal. I. 7. & seqq. Augustinus lib. XX. de civ. Dei cap. 21. *Pœnam iudicii significat, quandoquidem ipsum Dominum quasi ignem dicit esse venturum eis, profecto quibus pœnalis erit eius adventus. Currus vero eius, qui pluraliter dicti sint, angelica ministeria non inconvenienter accipimus. Quod autem ait omnem terram & omnem carnem in eius igne & in gladio iudicari, non etiam hic spirituales intelligamus & sanctos, sed terrenos atque carnales, de quibus dictum est: qui terrena sapiunt & quales omnino caro adpellantur a Domino &c. Quod vero hic positum est: multi vulnerati erunt a Domino, isto vulnere fiet mors secunda. Potest quidem & ignis & gladius & vulnus accipi in bono. Nam & ignem Dominus velle se dixit mittere in mundum, & visae sunt illis linguae divisae, velut ignis, quando venit Spiritus sanctus. Et non veni, inquit idem Dominus, pacem mittere in terram, sed gladium. Et sermonem Dei dicit scriptura gladium bis acutum propter aciem geminam testamentorum duum. Et in Cantico Canticorum caritate se dicit sancta ecclesia vulneratam velut amoris impetu sagittatam. Sed hic cum legimus vel audimus ultorem Dominum esse venturum, quemadmodum haec intelligenda sint, clarum est. Deinde breviter commemoratis eis, qui per hoc iudicium consumentur, sub figura ciborum in lege veteri vetitorum, a quibus se non abstinuerunt, peccatores, impiosque significans recapitulat ab initio gratiam nov. test. a primo*

mo Salvatoris adventu usque ad ultimum iudicium perducens finiensque sermonem &c. Et postea: *haec cum de ista, quae nunc impertitur ecclesiae, perspicua nobisque novissima Dei miseratione dixisset, promisit & fines, ad quos per ultimum iudicium facta bonorum malorumque discretione venietur &c. ad hoc enim propheta terminavit librum, ad quod terminabitur seculum.*) Ier. XXIII. 19. *Ecce turbo dominicae indignationis egredietur & tempestas erumpens super caput impiorum veniet.* v. 20. *Non revertetur furor Domini, usque dum faciat, & usque dum compleat cogitationem cordis sui, in novissimis diebus intelligetis in ea intellectum.* Idem repetitur XXX. 23. & 24. Ezech. XXXIV. 17. *Et vos pecus meum, sic dixit Dominus Deus: ecce ego iudicans inter pecus & pecus, arietes & hircos.* (Confer Matth. XXV. 32. *Separabit eos ad invicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis.*) Daniel postquam de successione quatuor monarchiarum fuerat vaticinatus, subiungit II. 44. *In diebus regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in aeternum non dissipabitur,* (intelligitur spirituale & cœleste regnum Christi, quod durantibus adhuc summis illis mundi imperiis erigi cœpit, illud non concluditur certa periodo, sicut regna mundana, sed durat in omnem æternitatem, & est proprium Christi regnum, unde addit propheta:) *& regnum eius alteri populo non tradetur, comminuet autem & consumet universa regna haec, & ipsum stabit in aeternum;* (hoc fiet in novissimo die & in secundo Christi ad iudicium adventu, tunc enim omnia mundi regna finem habebunt, solum autem Christi regnum persistet æternum. Confer 1 Cor. XV. 24.) v. 45. *Propterea vidisti, quod de monte abscissus est lapis sine manibus, & comminuit testam & ferrum & aes & argentum & aurum.* (Christus, qui est spiritualis *petra*, 1 Cor. X. 4. *ac lapis probatus*, Esa. XXVIII. 16. 1 Petr. II. 6. repentino adventu in novissimo die ad iudicium adparebit; Luc. XXI. 35. 1 Thessal. V. 2. non aliter ac si prægrandis quidam lapis a monte subito avulsus obvia quæque prosternat ac comminuat, sic Christus in suo ad iudicium adventu omnia mundi regna destruet, ut nec vestigium eorum superstes maneat. Vincentius Lirinensis in opusc. de fine mundi: *Ipse lapis erit Dominus noster Iesus Christus, qui venit a se ipso, quem alius homo non mittet, quia ipse super omnes est. Et percutiet istam statuam, hoc est, mundum per conflagrationem, & eam inflammabit & in favillam reducetur, quia omne elementatum comburetur in uno puncto, ita quod non videbitur iste mundus, nisi una favilla.*) Idem propheta postquam cap. VII. de Turcica tyrannide vaticinium ediderat, subiungit consolationem, fore ut Christus ultimo suo ad iudicium adventu Turcicum illud iugum dissolvat, ac pios ad vitam æternam evehat. v. 9. *Adspiciebam, donec throni positi sunt* (ad iudicium celebrandum Matth. XIX. 28. Luc. XXII. 30. *Sedebitis super duodecim thronos.* Apoc. IV. 2. *Ecce sedes posita erat in cœlo & supra sedem sedens.* v. 4. *Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor & super thronos viginti quatuor seniores sedentes;*) *& antiquus dierum sedit,* (Pater cœlestis æternus Deus per Filium iudicabit mundum, Act. XVII. 31.) *vestimentum eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda,* (candor vestimenti summam puritatem, sanctitatem ac maiestatem; canicies capillorum æternitatem notat, unde eadem tribuitur Filio, qui est Patri συναΐδιος, Apoc. I. 14.) *thronus eius flammae ignis, rotae eius ignis accensus,* (confer Psalm L. 3. Esa. LXVI. 15. *ecce Dominus in igne veniet.* Deut. IV. 24. Hebr. XII. 29. *Deus noster*

noſter ignis conſumens eſt, denotatur per hunc ignem iuſtitiæ & iudicii zelus.) v. 10. *Fluvius igneus fluebat & egrediebatur a facie eius.* (Quidam hoc referunt ad proceſſionem Spiritus ſancti a Patre, ſed videtur commodius referri ad fulmen damnatoriæ ſententiæ, quod contra impios in die noviſſimo ex throno Dei vibrabitur: *ite maledicti in ignem aeternum;* Matth. XXV. 41. ut fluvius igneus paleas, ſic divina ira impios comburet) *millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia adſiſtebant ei*, (Matth. XXV. 31. *Cum venerit Filius hominis in maieſtate ſua & omnes angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuae.* Iud. v. 14. *Ecce venit Dominus cum ſanctis myriadibus*) *iudicium ſedit*, (adſeſſores iudicii μετωνυμικως) *& libri aperti ſunt* (ut ex illis iudicium fieret. Confer Apoc. XX. 11. *Vidi thronum magnum candidum & ſedentem ſuper eum, a cuius conſpectu fugit terra & cælum, & locus non eſt inventus eis.* v. 12. *Et vidi mortuos magnos & puſillos ſtantes in conſpectu throni, & libri aperti ſunt, & alius liber apertus eſt, qui eſt vitae, & iudicati ſunt mortui ex his, quae ſcripta erant in libris ſecundum opera eorum.*) v. 13. *Adſpiciebam in viſione noctis, & ecce in nubibus cæli quaſi filius hominis veniebat uſque ad antiquum dierum, & in conſpectu eius adpropinquare fecerunt eum* (Ioh. V. 27. *Pater dedit Chriſto poteſtatem iudicium faciendi, quia Filius hominis eſt.* Act. XVII. 31. *Statuit Deus diem, in quo iudicaturus eſt orbem terrarum in iuſtitia per virum, in quo decrevit.* Matth. XXIV. 30. *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli.*) v. 14. *Et dedit ei poteſtatem & honorem & regnum, & omnes populi, tribus & linguae ipſi ſervient, poteſtas eius eſt poteſtas aeterna, quae non auferetur & regnum eius, quod non corrumpetur.* Ad faciendum iudicium requiritur omnipotentia, omniſcientia ac divina maieſtas, quæ Chriſto vivorum & mortuorum iudici conſtituto in tempore data eſt. Confer. Rom. XIV. 10. *Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti.* v. 11. *Scriptum eſt enim, vivo ego, dicit Dominus, mihi curvabitur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.* Obvertitur huic interpretationi, qua propheticum oraculum ad ſecundum Chriſti adventum ad iudicium adcommodatur, 1) quod *Chriſtus non in ultimo ſuo adventu, ſed in adſcenſione ad cælos in conſpectu Patris cæleſtis ſit adductus;* 2) quod *non in reditu ad iudicium, ſed in exaltatione ſua ad dextram Patris poteſtatem, gloriam & regnum in omnes populos acceperit;* 3) quod *hoſtes innuantur oppugnare eius regnum, quos in die iudicii penitus conteret.* Reſp. deſcribitur in viſione prophetica glorioſa Chriſti ſecundum humanam naturam exaltatio, quæ initium accepit in ipſa adſcenſione, & durabit in omnem æternitatem. Proinde cum evidens teſtimonium, quin & actus quidam conſpicuus illius glorificationis & exaltationis ſit *reditus Chriſti ad iudicium*, ideo oraculum propheticum non immerito ad illum adcommodatur. Hieronymus in comm. *Sedens & vetuſtus dierum dicitur Deus, ut aeterni iudicis habitus demonſtretur. Quod capilli eius lanae mundiſſimae comparantur, purum oſtenditur ſinceramque iudicium & nullam perſonam iudicando recipiens. Senex quoque deſcribitur, ut maturitas comprobetur ſententiae: thronus eius flamma ignis, ut peccatores tormentorum magnitudinem pertimeſcant & iuſti ſalventur, ſic tamen quaſi per ignem &c. Fluvius igneus rapidusque egrediebatur e facie eius, ut peccatores traheret in gehennam. Libri aperti ſunt, hoc eſt, conſcientia & opera ſingulorum, in utramque partem vel bona vel mala omnibus revelantur. Bonus liber eſt, quem ſaepe legimus, liber viventum. Malus liber, qui in accuſatoris tenetur manu, qui eſt*

inimicus & vindex, de quo & in Apocalypsi legitur, accusator fratrum nostrorum. Confer Balduinum adv. typ. VI. Ose. XIII. 12. *Ligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum eius.* v. 13. *Dolores parturientis venient ei.* Hieronymus in comm. *Quomodo, si legitur quid in sacculo, conservatur, & non perit ei, cui ligatum est: sic omnis iniquitas, qua in Deum peccavit Ephraim, colligata est ei & abscondita, & quasi in marsupio reservatur. Denique cum dies ultionis advenerit & extrema captivitas, dolores quasi parturientis venient ei, seu adprehendent illum. Mulier parturiens multo antequam pariat, ex eo tempore, quo concepit, scit se esse parituram, & exspectat quotidie extrema tormenta cruciatusque venturos, ita & Ephraim filius insipiens &c. cum dies parturitionis advenerit, aut stare aut sufferre non poterit.* 1 Thessal. V. 3. *Cum dicent pax & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, & non effugient.* Ioël I. 15. *Clamate ad Dominum, ah, ah, diei, quia prope est dies Domini, & tanquam vastitas ab omnipotente veniet.* II. 1. *Contremiscant omnes habitatores terrae, quia veniet dies Domini, quia prope est.* v. 2. *Dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & obscuritatis.* Vaticinatur quidem proprie & directe propheta de excidio a Babyloniis populo Israelitico inferendo, interim quia excidium illud finalis iudicii fuit praeludium, ideo ad illud non immerito accommodari potest. v. 3. *Ante faciem eius ignis vorax & post eum exurens flamma.* v. 10. *A facie eius contremuit terra, moti sunt caeli, sol & luna obtenebrati sunt, & stellae retraxerunt splendorem suum;* confer Matth. XXIV. 29. Marc. XIII. 24. Luc. XXI. 25. v. 11. *Et Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui, quia multa sunt nimis castra eius, quia fortia & facientia verbum eius;* (haec sunt castra angelica coelestis militiae, parata ad faciendum Dei verbum Gen. XXXII. 2. 2 Reg. VI. 17. Psalm XXXIV. 8. Luc. II. 13. *magnus enim dies Domini & terribilis valde, & quis sustinebit eum?* v. 12. *Nunc ergo convertimini ad me, dicit Dominus.* Act. XVII. 30. *Praecipit Deus omnibus ubique hominibus, ut poenitentiam agant.* v. 31. *Eo quod statuit diem, in quo iudicaturus est orbem terrarum in iustitia.*) v. 18. *Zelo ardebit Dominus super terram & parcet populo suo.* v. 30. *Et dabo prodigia in coelo & in terra, sanguinem & ignem & vaporem fumi.* v. 31. *Sol convertetur in tenebras & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis; magnus* vocatur dies noviſſimus propter res magnas, quae in eo gerentur, *terribilis* dicitur respectu impiorum. v. 32. *Et omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Piis & electis, qui ex vera fide Deum invocant, erunt dies laetitiae & salutis. Hieronymus in comm. Ioël. I. *Dies retributionis omnium delictorum illa est, de qua universi scribunt prophetae.* In comm. cap. 2. *Diem Domini intellige diem iudicii &c. dies poenarum est & angustiae, quia cuncta poenarum plena sunt & cruciatuum &c. Similis ei non fuit a principio & post eum non erit. Omnia enim mala, quae veteribus historiis continentur, aut inundatione maris, aut alluvione fluminum, aut pestilentia, morbis, fame, bestiis, hominum vastitate hominibus acciderunt, hic suppliciis, quae in die sunt reddenda iudicii, non poterunt comparari &c.* Cap. III. 1. *Quia ecce in diebus illis & in tempore illo, cum convertero captivitatem Iuda & Ierusalem;* post reditum ex Babylonica captivitate, imo etiam post liberationem ecclesiae a tyrannide antichristiana: v. 2. *congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat*, Iosaphat significat *iudicium Dei*, symbole igitur

tur exprimitur locus iudicio destinatus, qua de re plura inferius; *& disceptabo cum eis super populo meo & hereditate mea Israel, quos dispersérunt in nationibus & terram meam diviserunt;* summam vindictam ab hostibus ecclesiæ, qui rationem factorum suorum reddere cogentur. v. 12. *Consurgant & adscendant gentes in vallem Iosaphat, quia ibi sedebo, ut iudicem omnes gentes in circuitu.* v. 13. *mittite falces, quoniam maturuit messis, venite & descendite, quia plenum est torcular, exuberant torcularia, quia multiplicata est malitia eorum.* Matth. XXIV. 31. *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli cum eo.* Apoc. XIV. 14. *Et vidi & ecce nubes candida & sedens super eam similis Filio hominis habens in capite coronam auream & in manu eius falx acuta.* v. 15. *Et alius angelus exivit de templo, clamans voce magna ad sedentem super nubem: Mitte falcem tuam & mete, quia venit hora, ut metatur, quoniam aruit messis terrae*) v. 14. *Multitudo, multitudo in valle concisionis*, (in illo loco, in quo Dominus hostes suos conscindet ac consumet) *quia in propinqao est dies Domini in valle concisionis.* v. 15. *Sol & Luna obtenebrabuntur, & stellae retrahent splendorem suum.* v. 16. *Et Dominus de Sion rugiet, & de Ierusalem dabit vocem suam, & movebuntur cæli & terra;* (Christus leo *de tribu Iuda* Apoc. V. 5. qui in Sion & Ierusalem, hoc est, in vera ecclesia colitur, in ultimo suo adventu commovebit cœlum & terram, ac adversus impios horribilem sententiam damnatoriam pronunciabit: *Discedite a me maledicti*) *& Dominus spes populi sui & fortitudo filiorum Israel.* Pii in novissimo die *attollent capita sua, quia adpropinquat redemtio ipsorum* Luc XXI. 28.) Postea concludit prophetiam symbolicam æternæ lætitiæ & gloriæ descriptione, Amos V. 18. *Vae desiderantibus diem Domini*; (loquitur de impiis ex impatientia malorum diem novissimum desiderantibus, in piis enim desiderium huius diei commendatur 2. Tim. IV. 8.) *ad quid enim eam vobis* (desideratis & optatis?) *dies Domini ista tenebrae & non lux.* Tenebræ significant tristitiam & infelicitatem, sicut contra lux lætitiam & prosperitatem. Hieronymus in comm. *Nulli dubium est, omnes nostros diem tenebrarum diem intelligere iudicii.* Sensus igitur est, quod impii nihil levamenti vel in morte vel in die novissimo sint percepturi, sed potius a malis minoribus ad maiora, a temporalibus angustiis ad cruciatus æternos transituri, id quod similitudine quadam declarat propheta: v. 19. *Quemadmodum si fugiat vir a facie leonis, & occurrat ei ursus, ac si quis domum ingrediatur, & innitatur manu sua super parietem, & mordeat eum coluber.* v. 20. *Numquid non tenebrae erit dies Domini & non lux, caligo & non splendor in ea;* repetitio auxesin & confirmationem continet. Soph. I. 12. *Et erit in tempore illo, scrutabor Ierusalem in lucernis.* (Hieronymus d. l. *In fine mundi, quia dies Domini ipsa intelligitur, scrutabitur Dominus Ierusalem, hoc est, ecclesiam suam cum luserna, & ulciscetur super viros contemtores, qui noluerunt servare mandata Domini, & insuper blasphemaverunt in cordibus suis, quod nihil prodesset benefacere, nec obesset male agere, quia nec bonorum operum praemium, nec malorum pœnam restitueret Deus ideo ait*): *Visitabo super viros defixos in fecibus suis, qui dicunt in cordibus suis, non faciet bene Dominus, & non faciet male &c.* v. 14 *In propinquo est dies Domini magnus & velox nimis, sonitus diei Domini amare clamabit ibi fortis.* v. 15. *Dies illa*

illa dies tribulationis & angustiae, dies tumultus & perturbationis erit, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulae & obscuritatis. v. 16. *Dies tubae & clangoris super civitates munitas & super angulos excelsos;* calamitates temporales sunt præludia & initia malorum, quæ in die novissimo oppriment impios; unde additur v. 18. *In igne zeli devorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram;* ira divina incendii instar omnia consumet. Confer 2 Petr. III. 10. in die novissimo *elementa calore solventur, terra autem & quae in ipsa sunt opera, exurentur.* Hieronymus in comm. etiam præcedentia verba v. 10. *Vox clamoris a porta piscium prima & ululatus a secunda & contritio magna a collibus*, ad diem iudicii adcommodat. *Prima*, inquit, *porta oculorum erit, qua exhibebuntur nobis peccata nostra ante oculos nostros &c. & postquam compunctus clamaverit a prima oculorum porta, ululabit etiam a secunda, quam & aures intelligere possumus, & conteritur in nobis, quidquid fuerit excelsum &c. vel lugebunt a porta prima, qui suum baptisma non servaverunt, lugebunt a secunda, qui non egerunt pro peccatis dignam pœnitentiam &c.* Sed hoc videtur paulo coactius. Hagg. II. 7. *Haec dicit Dominus exercituum: adhuc modicum tempus superest, et ego commovebo cœlum et terram et mare et aridam, et movebo omnes gentes, et tunc veniet desideratus omnibus gentibus.* Proprie & principaliter hoc vaticinium agit de *primo Christi adventu*, ut ex sequentibus verbis colligitur *et implebo domum illam gloria*; interim auctor epistolæ ad Hebræos XII. 26. illud ad *secundum Christi adventum* adcommodare quibusdam videtur, cum inter tempora primum & secundum Christi adventum præcedentia sit quædam analogia & convenientia. Quemadmodum enim ante primum Christi adventum horribilia bella præcesserunt, quibus totus terrarum orbis fuit quasi concussus: ita quoque ante secundum Christi adventum *gens contra gentem et regnum contra regnum exsurget.* Quemadmodum in primo Christi adventu cœlum & terra fuerunt mota, ita quoque in secundo Christi adventu *movebitur cœlum*, quia Christus cum omnibus angelis & sanctis e cœlo descendet, *movebitur terra*, quia mortui e sepulchris excitabuntur, & omnes homines ad Christi tribunal congregabuntur. Sed verba epistolæ ad Hebr. convenientius de primo Christi adventu accipiuntur, quia per prædicationem evangelii multi ex omnibus populis in universa terra sunt conversi, & cœlum quasi apertum, ac Deus desuper effudit Spiritum sanctum super omnem carnem, quia omnia in mundo renovavit ac credentibus in Christum liberum in cœlum aditum patefecit, tunc etiam Leviticum sacerdotium cum ceremoniis legalibus & omni cultu Mosaico fuit σαλευομενον, concussum & abolitum, contra vero æternum & immobile Christi sacerdotium ac regnum sanctum, in quo etiam bona cœlestia & æterna μη σαλευομενα credentibus conferuntur, atque hæc est illa ασαλευτος βασιλεια, quam vera fide a nobis adprehendi & suscipi auctor epistolæ iubet v. 28. Zach. XII. 10. *Adspicient ad me, quem confixerunt, & plangent eum planctu quasi super unigenitum, & dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti.* Hoc vaticinium Iohannes Apoc. I. 7. adcommodat ad novissimum Christi adventum ad iudicium: *ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt, & plangent se super eum omnes tribus terrae.* In die novissimo & iudicio extremo omnes tam pii quam impii

pii Christum iudicem oculis corporeis videbunt, illi quidem ad gloriam & lætitiam, hi vero ad opprobrium & tristitiam. Speciatim autem eorum, qui ipsum pupugerunt sive in cruce confixerunt, mentio fit, quia illi maximo doloris sensu adficientur, cum viderint eum, tam ignominiose ac crudeliter a se exceptum, tanta coruscare gloria & maiestate. Adde, quod omnes impii pessimis suis dictis & factis denuo quasi *Christum sibi crucifigant*, Hebr. X. 29. ac persecutores Christum in suis membris pungant & configant, Zach. II. 8. Act. IX. 4. Augustinus libr. XX. de civ. Dei cap. 30. circa medium: *pœnitebit in illa die Iudaeos etiam eos, qui accepturi sunt Spiritum gratiae & misericordiae, quod in eius passione insultaverunt Christo, cum ad eum adspexerint in sua maiestate venientem, eumque esse cognoverint, quem prius humilem in suis parentibus illuserunt, quamvis & ipsi parentes eorum tantae illius impietatis auctores resurgentes videbunt eum, sed puniendi iam non adhuc corrigendi &c.*) Zach. XIV. 5. *Veniet Dominus Deus meus & omnes sancti eius cum eo*, (Conf. Jud. v. 14.) Malach. III. 1. *Ecce venit, dicit Dominus exercituum.* v. 2. *Et quis poterit sustinere diem adventus eius, & quis stabit, cum adparuerit?* v. 3. *Ipse quasi ignis conflans & quasi sapo fullonum &c.* Augustinus lib. XX. de civit. Dei cap. 25. hoc vaticinium adcommodat ad secundum Christi adventum, in quo ut iustus iudex veniet contra eos, qui primum ad ventum gratiæ neglexerunt. *Ex his*, inquit, *videtur evidentius adparere, in illo iudicio quasdam quorumdam purgatorias pœnas futuras &c. nisi forte sic eos dicendum est emundari a sordibus & eliquari quodammodo, cum ab eis mali per pœnale iudicium separantur, ut illorum segregatio atque damnatio purgatio sit istorum, quia sine talium de caetero commixtione victuri sunt &c. porro in plena perfectaque iustitia, cum mundati fuerint, ipsi erunt, quid enim acceptius Deo tales offerunt, quam se ipsos?* Cap. XXVI. *Quia post iudicium, cum fuerint etiam igne mundati, qui eiusmodi mundatione sunt digni, in omnibus sanctis nullum invenietur omnino peccatum, atque ita seipsos offerent in iustitia, ut tales hostiae omnimodo immaculatae ac sine ullo vitio sint futurae, erunt profecto. Sicut pristinis diebus & sicut annis prioribus, quando in umbra huius rei futurae mundissimae offerebantur hostiae. Haec erit namque mundatio tunc in immortali carne ac mente sanctorum, quae figurabatur in illarum corporibus hostiarum. Deinde propter eos, qui non mundatione, sed damnatione sunt digni, et accedam*, inquit v. 5. *ad vos in iudicium & ero testis velox super maleficos & super adulteros &c. quibus damnabilibus criminibus enumeratis addidit.* v. 6. *Ego enim Dominus, & non mutor, tanquam diceret, cum vos mutaverit & in deterius culpa vestra & in melius gratia mea, ego non mutor. Testem vero se dicit futurum, quia in iudicio suo non indiget testibus. Eumque velocem, sive quia repente venturus est, eritque iudicium ipso inopinato eius adventu celerrimum, quod tardissimum putabatur, sive quia ipsas convincet sine ulla sermonis prolixitate conscientias &c. Etiam sic ergo Dominus futurus testis intelligendus est velox, cum sine mora revocaturus est in memoriam, unde convincat puniatque conscientiam.* Hæc Augustinus, quibus conformia habet Hieronymus in comment. Sed ex antecedentibus & consequentibus adparet, Malachiam de *primo Christi adventu* proprie κατα ρητον hoc loco agere; eius enim præcursor fuit Iohannes baptista, & hic ipse adventus pontificibus, sacerdotibus, levitis &c. corruptelas suas taxari sentientibus fuit in-

ingratus & adversus. In eodem cap. III. 16. *Attendit Dominus & audivit, & scriptus est liber monimenti coram eo pro timentibus Dominum & cogitantibus nomen eius.* v. 17. *Et erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die, quam ego facio, in peculium, & parcam eis, sicut parcit vir filio suo servienti sibi.* v. 18. *Et convertimini & videbitis, quid sit inter iustum & impium & inter servientem Deo & non servientem ei.* Augustinus libr. XX. de civit. Dei cap. 27. itidem hoc refert ad iudicium novissimum: *haec distantia*, inquit, *praemiorum atque poenarum iustos dirimens ab iniustis, quae sub isto sole in huius vitae vanitate non cernitur, quando sub illo sole iustitiae in illius vitae manifestatione clarebit, tunc profecto erit iudicium, quale nunquam fuit.)* Malach. IV. 1. *Ecce enim dies venit succensa quasi caminus, & erunt omnes contemtores & omnes facientes impietatem stipula, & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quae non derelinquet eis radicem & ramum.* v. 2. *Et orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiae & sanitas in pennis eius. Et egrediemini & crescetis sicut vituli, qui saginantur.* v. 3. *Et calcabitis impios, quia erunt cinis sub planta pedum vestrorum, quam ego facio, dicit Dominus exercituum.* Quidam accipiunt hoc vaticinium de *excidio Hierosolymitano* ac primo Christi adventu, sed Theophilus Antiochenus lib. II. ad Autolicum, Irenæus libr. IV. cap. 8. Hieronymus in comment. & Augustinus d. l. referunt inter oracula prophetica de *extremo iudicio* & fine mundi, in quo vel maxime *ira Dei quasi clibanus adversus omnes impios ardebit* ac instar stipulæ eos absumet; conf. Matth. III. 12. Piis contra Christus in novissimo suo adventu tanquam verus sol illucescet, corda ipsorum exhilarans & vitæ ac sanitatis æternæ eos participes faciens. *Dies iudicii*, ait Hieronymus, *sanctis erit lux & peccatoribus tenebrae, & ipsa dies erit succensa quasi caminus, ut omnes impii vertantur in stipulam, & camini crementur ardoribus. Cumque eos inflammaverit atque combusserit, non relinquet in eis ullam radicem & germen. E contrario dicitur, quod timentibus nomen Domini orietur sol iustitiae, qui vera omnia iudicabit & nec bona nec mala, nec virtutes nec vitia latere patietur, & sanitas erit in pennis eius, ut sanatos per poenitentiam portet in humeris suis.* Deut. XXXII. *Tunc egredientur, qui nunc seculo quasi carcere sunt inclusi, & salient quasi vituli de armento &c.*) In eodem capite IV. 4. *Mementote legis Mosi servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israel praecepta & iudicia.* Augustinus d. l. c. 21. *Quod subiungit idem propheta:* mementote legis Mosi, *oportune commemorat, post declaratum tam magnum futurum inter observatores legis contemtoresque discrimen, simul etiam ut discant legem spiritualiter intelligere, & inveniant in ea Christum, per quem iudicem facienda est inter bonos & malos ipsa discretio &c. carnaliter quippe accipiendo legem & eius promissa terrena rerum caelestium figuras esse nescientes in illa murmura corruerunt, ut dicere auderent: vanus est qui servit Deo, & quid amplius, quia custodimus mandata eius &c. qui eorum verbis quodammodo propheta compulsus est novissimum praenunciare iudicium, ubi mali nec saltem falso sint beati, sed apertissime adpareant miserrimi, & boni nulla temporali saltem miseria laborent, sed clara ac sempiterna beatitudine perfruantur.* v. 5. *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & terribilis.* v. 6. *Et convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres, ne veniam & percutiam terram anathemate.* Matth. XI. 13. XVII. 12. Marc. IX. 13. Luc. I. 17. hoc refertur ad Iohannem baptistam Christi

Christi in primo adventu præcursorem. Augustinus d. l. & multi ex veteribus ad secundum Christi adventum adcommodant, cum Marc. IX. 12. Elias secundus ea ratione venisse dicatur, ut tertius aliquis Elias ante secundum Christi adventum exspectandus innuatur, non quidem ut Pharisæi & eos secuti pontificii nugantur, quasi in propria persona Elias *Thesbites* sit venturus, nam nec Iohannes baptista fuit talis Elias, Ioh. I. 21. sed quod eximius aliquis ecclesiæ doctor in spiritu & virtute Eliæ novissimum Christi adventum sit proxime præcessurus. Talis vero fuit b. Lutherus, qui corruptelas pontificias magno zelo adgressus doctrinæ repurgationem in ecclesia suscepit. Confer locum de eccles. § CCXCI.

§. XIV. 5) In *libris apocryphis* hæc occurrunt dicta. In 4. libro Esdræ VII. 32. *Terra reddet, quae in ea dormiunt, & pulvis, qui in silentio habitant.* v. 33. *Et revelabitur altissimus super sedem iudicii, & pertransibunt miseriae, & longanimitas congregabitur.* v. 34. *Iudicium autem solum remanebit, veritas stabit, & fides convalescet, & opus subsequetur.* v. 35. *Merces ostendetur, & iustitiae vigilabunt, & iniustitiae non dominabuntur.* v. 43. *Dies iudicii erit finis temporis huius & initium temporis futurae immortalitatis, in quo transivit corruptela.* XIV. 35. *Iudicium post mortem veniet, quando iterum revivisc emus, & tunc iustorum nomina parebunt, & impiorum facta ostendentur.* Iudith. XVI. 20. *Dominus omnipotens vindicabit in eos,* (ecclesiæ hostes) *in die iudicii visitabit illos.* v. 21. *Dabit enim ignem & vermes in eorum carnes, ut urantur, & sentiant usque in sempiternum.* Tob. III. 2. Κριτιν αληθινην και δικαιαν, συ κρινεις εις τον αιωνα. v. 5. Πολλαι αι κρισεις σου εισι και αληθειαι. Sap. I. 9. Εν γαρ βαθυβιοις ασεβησεξετασις εσται, λογων δε αυτου ακοη προς κυριον ηξει εις ελεγχον ανομηματων αυτου. v. 10. οτι ως τηλωσεως ακροαται τα παντα. III. 7. *Iusti in tempore visitationis eorum refulgebunt, & tanquam scintillae in stipula discurrent.* v. 8. *Iudicabunt gentes, & dominabuntur populis, & regnabit eorum Dominus in secula,* (confer. Matth. XIX. 28. 1 Cor. VI. 2.) v. 10. *At impii, sicut cogitaverunt, habebunt correptionem, qui neglexerunt iustum, & a Domino recesserunt.* IV. 19. *Impii erunt post hoc in ruinam sine honore & in contumelia inter mortuos per seculum, quoniam disrumpet illos sine voce prophos, & commovebit illos a fundamentis, & usque ad supremum desolabuntur, & erunt in dolore, & memoria eorum peribit.* v. 20. *Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, & arguent illos ex adverso iniquitates ipsorum.* V. 1. *Tunc stabit in confidentia multa iustus contra faciem eorum, qui angustiaverunt eum, & irritantium labores eius.* v. 2. *Videntes turbabuntur timore vehementi, & stupebunt in insperata salute* επι τω παραδοξω της σωτηριας &c. v. 16. *Iusti autem in seculum vivent, & in Domino merces eorum & cogitatio ipsorum apud altissimum.* v. 17. *Idcirco accipient regnum decoris & diadema speciei de manu Domini &c.* v. 18. *Accipiet armaturam zelum illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum.* v. 19. *Induet thoracem iustitiam & circumponet iudicium* ανυποκριτον. v. 20. *Sumet scutum* ακαταμαχητον οσιοτητα. v. 21. *Acuet autem duram iram in gladium, pugnabit vero cum illo mundus contra stultos &c.* VI. 2. *Audite reges, & intelligite.* v. 4. *Quoniam altissimus exquiret vestra opera, & cogitationes scrutabitur.* v. 6. *Horrende & cito insiabit vobis, quoniam iudicium durum, in*

ς) ex libris apocryphis.

in his qui praesunt, fiet. v. 7. *Potentes potenter tormenta patientur.* v. 8. *Non enim subtrahet personam omnium dominator, nec verebitur magnitudinem, quia magnum & parvum ipse fecit, aequaliterque curam gerit de omnibus.* v. 9. *At fortibus fortis instat scrutatio.* v. 11. *Qui custodierint iuste iusta, iuste iudicabuntur, & qui edocti fuerint ea, invenient responsionem.* Sirac. XVIII. 21. *Ante iudicium para te ipsum ad benefaciendum, & in hora visitationis invenies propitiationem.* v. 24. *Memento irae in die consummationis, & tempus retributionis in conversione faciei.* XXXV. 22. *Altissimus iudicabit iustos, & faciet iudicium.* v. 23. *Et Dominus non tardabit.* v. 24. *Donec reddat homini secundum actus eius, & opera hominum secundum cogitationes eius.* v. 25. *Donec iudicet iudicium populi sui, & laetificabit eos in misericordia sua.* XLI. 5. *Iudicium omni carni in Domino;* loquitur proprie de morte, quæ propter peccatum iusto Dei iudicio in omnes venit. In Græco simpliciter dicitur τατο το κριμα σπ σαρκι παρα κυριω. 2 Maccab. VII. 35. *Nondum enim omnipotentis Dei & omnia inspicientis iudicium effugisti. Nam fratres mei modico nunc dolore tolerato sub testamento aeternae vitae effecti sunt, tu autem iudicio Dei iustas superbiae tuae poenas exsolves.*

§. XV. 2) In *nov.* 2) *ex nov. test.* *testam.* de secundo Christi adventu & extremo iudicio Spiritus sancti oracula & numero plurima & pondere gravissima & claritate maxime perspicua habentur. Matth. VII. 22. inquit Christus: *multi dicent mihi in illa die* (extremi iudicii): *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus &c.* v. 23. *Tunc confitebor illis, nunquam novi vos, discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem.* (Confer XXV. 41.) X. 15. *Tolerabilius erit terrae Sodomorum & Gomorraeorum in die iudicii quam illi civitati;* quæ oblatam in prædicatione evangelii gratiam proterve respuit, confer Marc. VI. 11. Luc. X. 12. quibus in locis *diem iudicii evidentissime praedicari* asserit Augustinus lib. XX. de civit. Dei cap. 5. Matth. X. 26. *Nihil est apertum, quod non reveletur,* si non in hoc seculo tamen in die iudicii. (Conf. Marc. IV. 22. Luc. VIII. 17. XII. 2.) XI. 21. *Tyro & Sidoni remissius erit in die iudicii quam Chorazin.* v. 23. *Terrae Sodomorum remissius erit in die iudicii quam Capernaum.* (Conf. Luc. X. 14.) XII. 36. *De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, rationem reddent in die iudicii.* v. 41. *Viri Ninivitae surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam.* v. 42. *Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam &c.* (Confer Luc. XI. 31. & 32. Augustinus libr. XX. de civitat. Dei cap. 5. *Duas hoc loco res discimus, & venturum esse iudicium, & cum mortuorum resurrectione venturum. De Ninivitis enim & regina Austri, quando haec dicebat, de mortuis sine dubio loquebatur, quos tamen in die iudicii resurrecturos praedixit. Nec ideo dixit* condemnabunt, *quia & ipsi iudicabunt, sed quia ex ipsorum comparatione isti merito damnabuntur &c.*) XIII. 41. *In consummatione seculi mittet Filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem.* v. 42. *Et mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dentium.* v. 43. *Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* (Confer v. 49. & 50. Augustinum d. l.) XVI. 27. *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis, & tunc reddet unicuique secundum opera eius.* XIX. 28. *Vos, qui secuti estis me in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis & vos*

vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. (Confer Augustinum d. l. ubi ad iudicium extremum adcommodat verba Christi Matth. XII. 27. Luc. XI. 19. *Filii vestri*, hoc est, apostoli *erunt iudices vestri.*) XXIV. 29. *signa* extremum iudicium *in cælo, terra ac mari* præcessura adnotata exstant (confer Marc. XIII. 24. Luc. XXI. 25.) & additur v. 30. *Tunc adparebit signum Filii hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terrae, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute & gloria magna.* v. 31. *Et mittet angelos suos cum tuba vocis magnae, & congregabit electos suos a quatuor ventis.* XXV. 31. & seqq. integer *processus* extremi iudicii describitur. XXVI. 64. *Dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli.* (Confer Marc. XIV. 62.) Marc. VIII. 38. *Quem puduerit mei & sermonum meorum &c. Filium etiam hominis pudebit eius, quando venerit in gloria Patris sui cum angelis sanctis.* (Confer Luc. IX. 26. ubi posteriora verba sic habent, *cum venerit Filius hominis in gloria sua & Patris & sanctorum angelorum.*) Luc. VIII. 17. *Non est occultum, quod non revelatur.* (At in hac vita multa impiorum scelera notitiam & pœnam effugiunt, restat ergo universale iudicium.) Luc. XVII. 24. *Sicut fulgur coruscans ex una regione, quae sub cælo est, in alteram, quae sub cælo est, splendet: ita & erit Filius hominis in die suo.* Quidam accipiunt de *primo Christi adventu* per prædicationem evangelii; præcedit enim v. 25. *venient dies, quando desiderabitis videre unum diem filii hominis & non videbitis*, sed ex Matth. XXIV. 27. colligitur posse etiam accipi de *secundo Christi ad iudicium adventu*, quem illustrem & conspicuum fore docet, adeo ut in oculos omnium omnino hominum incurrat, id quod similitudine *fulguris* declarat, ac eo ipso simul innuit, adventum illum fore celerem, inopinatum ac repentinum. Chrysostomus homil. LXXVII. in Matth. *Quomodo fulgur, ut videatur, non indiget praecone aut nuncio, sed in momento temporum omnibus adparet: sic adventus ille ubique splendens statim videbitur.*) Luc. XXI. 34. Christus gravissimis verbis ad preces & vigilantiam nos exhortatur, a crapula vero, ebrietate & curis huius vitæ prænonet, *ne dies iudicii repentina nobis superveniat, tanquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terrae.* Ioh. V. 22. *Pater omne iudicium dedit Filio.* v. 27. *Dedit ei potestatem faciendi iudicium, quia Filius hominis est.* (Augustinus libr. XX. de civitat. Dei cap. 6. *Hic ostendit, quod in ea carne veniet iudicaturus, in qua venerat iudicandus, ad hoc enim ait, quia Filius hominis est.*) XII. 48. *Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet, qui iudicet eum, sermo, quem locutus sum, iudicabit eum in die novissimo.* XIV. 3. *Iterum veniam & accipiam vos ad meipsum, ut, ubi sum ego, & vos sitis.* (Quidam accipiunt de reditu Christi ad apostolos in hac vita post resurrectionem, sed δειλοτης verborum, *accipiam vos* προς εμαυτον, & collatio dicti apostolici 1 Thessal. IV. 17. ostendunt, de secundo Christi adventu rectius accipi. Hieronymus lib. II. adv. Iov. *Et locus & mansiones, quas praeparare se dicit Christus Apostolis, in domo utique sunt Patris, id est, in regno cælorum, non in terra, in qua praesens apostolos relinquebat.*) Act. I. 11. Angeli de reditu Christi ad iudicium sic loquuntur: *Hic Iesus, qui adsumtus est a vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Petrus III. 19. ad pœnitentiam auditores exhortatur, argumento ducto ab ultimo Christi adventu,

ut consistere possint, *eum venerint tempora refrigerii a conspectu Domini, & miserit eum, qui praedicatus est vobis, Iesum Christum*, v. 21. *quem oportet quidem cœlum capere usque ad tempus restitutionis omnium.* X. 42. *Praecepit Deus nobis* (apostolis) *testificari, quod ipse* (Iesus Nazarenus) *constitutus est a Deo iudex vivorum & mortuorum.* XVII. 30. Paulus itidem ad pœnitentiam eodem argumento nos exhortatur: *adnunciat Deus omnibus ubique hominibus ut pœnitentiam agant*, v. 31. *eo quod statuit diem, in quo iudicaturus est orbem terrarum in iustitia per virum, in quo constituit.* XXIV. 25. apostolus coram Felice una cum reliquis christianæ doctrinæ capitibus de *futuro iudicio* disserit. Rom. II. 3. *An putas, quod effugies iudicium Dei.* v. 5. *Secundum duritiem tuam & cor impœtens thesaurizas tibi iram in die irae & revelationis iusti iudicii Dei.* (Origenes lib. II. in epist. Rom. II. tom. III. *Omnes homines per haec, quae agunt in hoc mundo, aut congregant in terra, aut in cœlo, aut in thesauro irae Dei: qui iniquus est, per duritiam cordis & cor impœnitens in thesauro irae actus suos recondit &c.*) v. 15. *Cogitationes hominum se invicem accusant aut etiam defendunt*, v. 16. *in die, qua iudicabit Deus occulta hominum secundum meum evangelium per Iesum Christum.* III. 6. *Deus iudicabit mundum.* XIV. 10. *Omnes stabimus ante tribunal Christi.* v. 11. *Scriptum est enim: vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi curvabitur omne genu.* 1 Cor. I. 7. *Exspectantes revelationem Domini nostri Iesu Christi*, v. 8. *qui & confirmabit vos usque in finem sine crimine in die Domini nostri Iesu Christi.* (Vulgata addidit, *in die adventus*, sed in Græco hoc non habetur.) IV. 4. *Qui me iudicat, Dominus est.* v. 5. *Nolite ergo ante tempus iudicare, quoad usque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique a Deo.* VI. 2. *An nescitis, quoniam sancti hunc mundum iudicabunt.* v. 3. *Nescitis, quoniam angelos iudicabimus.* VII. 29. Καιρος συνεσταλμενος εστι, *parum temporis restat* ad Domini adventum, propinquus est finis seculi, ideoque temporalibus velut in transitu ac transcursu utamur, non autem corde illis adhæreamus. Quidam tamen malunt de tranquillitate illius temporis admodum brevi ac minime diuturna illud accipere. XVI. 22. *Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, anathema, maran atha.* Quidam volunt *Maranata* esse unicam vocem Syriacam, quæ apud Hebræos sonet חרם עד, qua voce generalis quædam designatur devotio, ut legatur Mecharem atha, hoc est, tu sis maledictus, sed in codice Syriaco divisim scribitur מָרָן אֲתָא *Dominus noster venit*, & innuitur extremi anathematis formula, qua extremæ Christi mundi iudicis condemnationi peccator fuit addictus; Iud. v. 14. ηλθε Κυριος. Sic exponunt Ambrosius in comm. Augustinus epist. CXXVIII. Theophylactus in comm. Thalmudistæ eiusmodi anathema vocant שַׁמְתָּא, quod ex duobus propter frequentem eius usum videtur coaluisse, nempe ex חַשָּׁם & תָּא quod est, *Domine veni*, quidam tamen volunt dictum quasi שָׁם מִיתָה, *ibi mors.* Inter Hebraica vocabula, quæ Hieronymi titulo circumferuntur, *maranatha* exponitur *in adventu Domini*) 2 Cor. V. 10. *Omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi, ut referat unusquisque ea, quae per corpus gessit, sive bona sive mala.* Phil. I. 6. *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Iesu Christi.* III. 20. *Exspectamus e cœlis Salvatorem nostrum Dominum Iesum Christum.* IV. 5. ο κυριος εγγυς.

Col.

Col. III. 4. *Cum Christus adparuerit vita vestra, tunc & vos cum ipso adparebitis in gloria.* 1 Thessal. IV. 15. *Qui residui sumus in adventum Domini, non praeveniemus eos, qui dormierunt.* v. 16. *Quoniam ipse Dominus in clamore, in voce archangeli & tuba Dei descendet de cœlo.* V. 2. *Scitis ακριβως, quod dies Domini sicut fur in nocte ita veniet.* v. 3. *Cum enim dixerint, pax & securitas, tunc repentinus eis supervenit interitus, sicut dolor in utero habenti, & non effugient.* v. 23. *Integer vester spiritus et anima et corpus sine querela servetur in adventu Domini vestri Iesu Christi.* 2 Thess. I. 6. *Iustum est apud Deum retribuere adflictionem illis, qui vos adfligunt.* v. 7. *Vobis vero, qui adfligimini, relaxationem nobiscum, cum patefiet Dominus Iesus de cœlo cum angelis suis potentibus,* v. 8. *cum flamma ignis, infligens ultionem iis, qui Deum non noverunt, et iis, qui non auscultant evangelio Domini nostri Iesu Christi.* v. 9. *Qui pœnas dabunt aeterni exitii a facie Domini & a gloria virtutis eius.* v. 10. *Cum venerit, ut glorificetur in sanctis suis, et admirandus fiat in credentibus omnibus in die illo.* II. 8. *Christus destruet antichristum illustratione adventus sui.* 1 Tim. VI. 14. *Serves mandatum sine macula usque ad adparitionem Domini nostri Iesu Christi,* v. 15. *quem propriis temporibus ostendet beatus et solus potens, Rex regum et Dominus dominantium.* 2 Tim. IV. 1. *Testificor coram Deo et Domino Iesu Christo, qui iudicaturus est vivos et mortuos per adventum eius et regnum eius.* v. 8. *Reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex, non solum autem mihi, sed et omnibus, qui diligunt adventum eius.* Tit. II. 13. *Exspectantes beatam spem et adparitionem gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi.* Heb. VI. 2. inter fundamenta Christianismi refertur doctrina de *iudicio aeterno.* IX. 27. *Statutum est homini semel mori, post hoc vero iudicium.* v. 27. *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata, secundo sine peccato adparebit exspectantibus se in salutem.* X. 27. *Voluntarie peccantibus relinquitur terribilis quaedam exspectatio iudicii et ignis aemulatio, quae consumtura est adversarios.* v. 30. *Dominus iudicabit populum suum.* v. 31. *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* v. 37. *Qui venturus est, veniet et non tardabit.* XII. 23. *Accessistis ad iudicem omnium Deum.* Iac. II. 13. *Iudicium sine misericordia erit ei, qui non exercuerit misericordiam.* 1 Petr. II. 23. *Tradidit iudicanti iuste.* IV. 5. *Impii rationem reddent ei, qui paratus est iudicare vivos et mortuos.* 2 Pet. II. 3. *Quibus το κριμα, iudicium damnatorium iam olim non otiatur, et quorum exitium non dormitat.* v. 9. *Novit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem iudicii reservare cruciandos.* III. 3. *In novissimis diebus surgent εμπαικται,* v. 4. *dicentes, ubi est promissio adventus eius?* v. 7. *Cœli, qui nunc sunt, et terra eodem verbo repositi sunt, igni servari in diem iudicii et perditionis impiorum hominum.* v. 10. *Adveniet dies Domini ut fur etc.* Iud. v. 14. *Prophetavit de his septimus ab Adam Enoch dicens, ecce Dominus venit cum sanctis millibus,* v. 15. *facere iudicium contra omnes et arguere omnes impios etc.* Apoc. I. 7. *Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui pupugerunt eum, et plangent super eum omnes tribus terrae, etiam, amen.* III. 3. *Si non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, et nescies, qua hora veniam.* VI. 12. dies iudicii sic describitur: *ecce terrae motus magnus factus est, et sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, et luna tota facta est, sicut sanguis.* v. 13. *Et stellae cœli ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos, cum a vento magno movetur.* v. 14. *Et cœlum recessit sicut*

ut liber involutus, et omnis mons et insulae de locis suis motae sunt. v. 15. *Et reges terrae et principes, et divites, et chiliarchi et fortes et omnis servus, et omnis liber, absconderunt se in speluncis et in petris montium.* v. 16. *Et dicunt montibus et petris: cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum et ab ira agni.* v. 17. *Quoniam venit dies magnus irae ipsorum, et quis poterit stare?* XIV. 14. *Vidi et ecce nubem candidam, & super nubem sedentem similem filio hominis habentem in capite suo coronam auream & in manu sua falcem acutam.* v. 15. *Et alius angelus exivit de templo, clamans voce magna ad sedentem super nubem: mitte falcem tuam & mete,* (hæc non sunt verba imperantis sed desiderantis, quia angeli non minus quam beatorum animæ expetunt advenire tempus iudicii adversus impios. Apoc. VI. 10. XII. 17.) *quia venit hora, ut metatur, quoniam aruit messis terrae.* (Messis est consummatio seculi Matth. XIII. 39.) v. 16. *Et misit, qui sedebat super nubem, falcem suam in terram, & demessa est terra.* v. 17. *Et alius angelus exivit de templo, quod est in cœlo habens & ipse falcem acutam.* v. 18. *Et alius angelus exivit de altari, qui habebat potestatem super ignem, & clamavit voce magna ad eum, qui habebat falcem acutam dicens: mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineae terrae, quoniam maturae sunt uvae eius.* v. 19. *Et misit angelus falcem suam acutam in terram, & vindemiavit vineam terrae, & misit in lacum irae Dei magnum.* (*lacus* voce hic non intelligitur aqua stagnans littoribus inclusa, sed lacus preli torcularii, in quo uvæ exprimuntur, in Græco est ληνος. Symbolice vero describitur *infernus*, in quem diaboli & omnes impii in die iudicii proiicientur, inque eo velut in torculari quodam torquebuntur.) v. 20. *Et calcatus est lacus extra civitatem,* (Hierosolymam cœlestem) *& exivit sanguis de lacu usque ad frenos equorum per stadia mille sexcenta,* (symbolice denotatur multitudo damnatorum & iustissima eorum pœna, qui sanguinem piorum copiose effuderunt.) XVI. 15. inquit Christus: *ecce venio sicut fur. Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius.* XVIII. 20. *Exsulta super eam* (Babylonem) *cœlum & sancti apostoli et prophetae, quia iudicabit Deus iudicium vestrum de illa.* (in Græco ἐκρινεν, sed *praeteritum* consueto more prophetico ponitur pro *futuro*. Sensus autem est, quod in extremo iudicio Deus vindicaturus sit crudelitatem ac tyrannidem, quam persecutores adversus ecclesiam exercuerunt.) Cap. XX. 4. *Vidi sedes, & sederunt super eas, & iudicium datum est illis.* (de hoc loco inferius ex professo agetur) v. 11. *Vidi thronum magnum & candidum & sedentem super eum,* (Christum vivorum ac mortuorum iudicem) *a cuius conspectu fugit cœlum & terra, & locus non est inventus eis.* v. 12. *Et vidi mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt,* (libri illi sunt tum Dei *omniscientia*, quam nihil quidquam eorum, quæ in hoc mundo gesta sunt, fugit, tum cuiusque *conscientia*, quia in illis libris opera singulorum scripta ex seq. intelligitur) *& alius liber apertus est, qui est vitae,* (significatur, quod Deus in iudicio manifestum sit facturus, quinam sint electi, qui vere & perseveranter in Christum crediderunt, Philip. IV. 3. Apoc. III. 15. XIII. 8.) *& iudicati sunt mortui ex his, quae scripta erant in libris secundum opera ipsorum.* v. 13. *Et dedit mare mortuos, qui in eo erant, & mors & infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant, & iudicatum est de singulis secundum opera ipsorum.*

rum. (Augustinus libr. XX. de civitat. Dei cap. 14. *Ipsum novissimum iudicium, quod erit in secunda resurrectione mortuorum, quae corporum est, recapitulando narrat, quomodo fuerit sibi revelatum &c. Libros dixit esse apertos & librum. Sed librum cuiusmodi sit, non tacuit, qui est, inquit, vitae uniuscuiusque. Ergo illi libri, quos priore loco posuit, intelligendi sunt sancti veteres & novi, ut in illis ostenderetur, quae Deus fieri sua mandata iussisset, in illo autem, qui est vitae uniuscuiusque, quid horum quisque non feciſſet, sive feciſſet. Qui liber si carnaliter intelligatur, quis eius magnitudinem aut longitudinem valeat aestimare? aut quanto tempore legi poterit liber, in quo scriptae sunt universae vitae iustorum? An tantus angelorum numerus aderit, quantus hominum erit, ut & vitam suam quisque ab angelo sibi adhibito audiat recitari? non ergo unus liber erit omnium, sed singuli singulorum. Scriptura vero ista unum volens intelligi: et alius, inquit, liber apertus est. Quaedam igitur vis est intelligenda divina, qua fiet, ut cuique opera sua vel bona vel mala cuncta in memoriam revocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut accuset vel excuset scientia conscientiam, atque ita simul omnes & singuli iudicentur, quae nimirum vis divina libri nomen accepit, in ea quippe quodammodo legitur, quidquid a faciente recolitur.* Idem homil. XVII. in Apoc. circa medium *libros apertos testamenta Dei* dicit, *secundum enim utrumque testamentum iudicabitur ecclesia.*) XXII. 7. inquit Christus: *ecce venio velociter.* v. 12. *Ecce venio cito, & merces mea mecum est reddere unicuique secundum opera sua.* v. 20. *Etiam venio cito. Amen. Veni Domine Iesu.*

Quae in dictis hisce nov. test. observanda.

§. XVI. De his nov. test. dictis tria sunt observanda: 1) quod Christus Dei Filius, angeli, Iohannes baptista & omnes apostoli in concionibus suis *crebram* fecerint extremi iudicii mentionem, eo ipso in genere omnes christianos admonentes, ut iudicii memoriam in corde suo perpetuo circumferant, in specie vero ecclesiae ministros, ut hoc doctrinae coelestis caput auditoribus suis quam diligentissime & creberrimo inculcent. 2) Quod dicta scripturae, quae de primo Christi adventu & excidio Hierosolymitano agunt, prudenter distinguenda sint ab illis, quae proprie de secundo Christi adventu & totius mundi consummatione tractant. Augustinus lib. XX. de civ. Dei cap. 5. *Multa praetereo, quae de ultimo iudicio ita dici videntur, ut diligenter considerata reperiantur ambigua vel magis ad aliud pertinentia, sive scilicet ad eum Salvatoris adventum, quo per totum hoc tempus in ecclesia sua venit, hoc est, in membris suis particulatim atque paulatim, quoniam tota corpus eius est; sive ad excidium terrenae Hierosolymae, quia & de illo cum loquitur, plerumque sic loquitur tanquam de fine seculi, atque de illo die iudicii novissimo & magno loquatur, ita ut dignosci non possit omnino, nisi ea, quae apud tres evangelistas, Matthaeum, Marcum & Lucam hac de re similiter dicta sunt, inter se omnia conferantur. Quaedam quippe alter obscurius, alter explicat planius, ut ea, quae ad unam rem pertinentia dicuntur, adpareat, unde dicantur.* Confer eumdem in epistol. ad Hesychium, cuius titulus est de fine seculi. 3) Quod Iohannes apocalypsin, adeoque omnes vet. & nov. test. libros vaticinio de Christi ad iudicium adventu concludat: *ecce venio cito,* eidemque desiderium sponsae hunc adventum cupide expetentis & exspectantis subiungat: *veni Domine Iesu; ad hoc* scilicet *terminans librum, ad quod terminabitur seculum,* sicut de Esaiae vaticinio

loquitur Augustinus lib. XX. de civ. Dei cap. 21. ac veram vere piorum notam describens, quod non minus desiderent Christi secundum adventum ad iudicium, quam pii vet. test. primum eius in carnem adventum desiderarunt.

II) ex divinis iudiciis particularibus.

§. XVII. II) Ex *particularibus iudiciis divinis* iamdum antegressis, quæ futuri, novissimi, & universalis iudicii sunt quædam præludia. Iudicia illa exercuit Deus adversus tum *angelos* tum *homines;* quorum quidam pœnitentiam egerunt, & in gratiam recepti sunt, quidam vero in impœnitentia perseverantes æterno exitio facti sunt obnoxii. Iudicia Dei adversus homines sunt duplicis generis: unum eorum est, quæ plures *coniunctim*, alterum eorum, quæ singulos *privatim* concernunt. Prioris generis sunt, quando eodem iudicio multi corripiuntur, integri scilicet populi, regiones & urbes, qualia fuerint iudicia *Sodomitarum*, *Ægyptiorum*, *Cananaeorum*, *Amorrhaeorum*, *Israelitarum in deserto &c.* quo referri etiam possunt illa iudicia, quibus non quidem integri populi, interim tamen aliqui ex toto populo corripiuntur, ut *adoratores vituli*, Exod. XXXII. *Core*, *Dathan & Abiran seditiosi*, Num. XVI. *murmurantes contra Dominum* icti a serpentibus Num. XXI. Posterioris generis sunt, quando unus aliquis separatim ac solus plectitur, ut *Cain*, *Ger*, *Onan*, *Ufias*, *Giezi &c.* 1) In iudicio Dei adversus *angelos malos* præludium extremi iudicii esse propositum, docent Christus & apostoli. Christus in processu iudiciali Matth. XXV. 31. & seq. descripto ad damnatos in die novissimo sese his usurum verbis adserit v. 41. *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo & angelis eius;* quo ipso ostendit, angelos malos & homines impios eodem iudicio in die novissimo esse condemnandos. Irenæus lib. III. adv. hæres. cap. 35. *Significat Christus, quod non homini principaliter paratus sit aeternus ignis, sed ei, qui seduxit & offendere fecit hominem, ei inquam, qui princeps est apostasiae, principi abscessionis & his angelis, qui apostatae facti sunt cum eo, quem quidem iuste percipient etiam hi, qui similiter ut illi sine pœnitentia & sine regressu in malitiae perseverant operibus.* Leo serm. IV. de collect. & eleemos. *Cum illo habituri sunt pœnae communionem, cuius elegerunt facere voluntatem.* 1 Cor. VI. 3. *An nescitis, quod angelos simus iudicaturi.* Quando Christus in die novissimo sententiam condemnatoriam contra angelos malos feret, eosque in ignem infernalem præcipitabit, sancti eius iudicio subscribent. Remigius in ann. illius loci p. 38. *Sancti amatores huius mundi & malignos spiritus iudicabunt exemplo fidei suae & comparatione melioris facti non sicut iudices seculi.* 2 Pet. II. 4. *Si Deus angelis non pepercit, sed in tartarum detrusos catenis caliginis tradidit, damnationi servatos.* Est in his ἀναντοποδοτον, subintelligendum enim, ἀδ ἐκεινοις φεισιται. Verbum ταρταρωσν formatum a nomine ταρταρος significat in *tartarum* sive locum damnatorum *proiicere. Catenae caliginis* sunt, quibus in caligine aliqui vinciuntur. Est enim in his verbis metaphora ducta a latronibus & aliis maleficis, qui catenis vincti in tetrum ac tenebricosum carcerem proiiciuntur, in quo usque ad tempus iudicii ac supplicii adservantur. Pari ratione Deus angelos apostatas e cœlo deturbavit in inferiores partes terræ, ubi *catenis tenebrarum* vincti detinentur, quia nihil quidquam possunt sine divina permissione, privati sunt omni con-

consolatione, lætitia ac spe secuturæ liberationis. Matth. VIII. 29. Luc. VIII. 31. Ephes. II. 2. VI. 12. Iud. v. 6. *Angelos, qui non servaverunt suum principatum, sed reliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei vinculis aeternis sub caligine reservavit.* Huc referri potest, quod legitur in libro cui titulus, *Altercatio synagogae & ecclesiae* cap. 6. *Triforme unius Trinitatis iudicium esse non dubites. Primum, quo diabolus de cælo deiectus est, & ultimum, quo idem in fine mundi cum omni corpore suo in ignem aeternum praecipitandus est, medium ipsum diluvium. Primo & ultimo soli reprobi feriuntur, & soli electi reservantur, secundo autem, id est, medio nec soli electi reservantur nec soli reprobi suffocantur.* 2) *Primi parentes* post lapsum sistuntur Dei iudicio, ut admoneantur, quid transgressione sua fuerint promeriti, sed propter mediatoris intercessionem in gratiam recipiuntur. Sicut Deus ad Adamum dixit: *ubi es?* Genes. III. 9. quæ non est interrogatio, sed increpatio. *Non in quo loco sis quaero, sed in quo statu, quo te deduxerunt peccata tua, ut fugias Deum tuum, quem antea quaerebas?* Ambrosius libr. de paradis. cap. 14. Sic in die novissimo Christus omnes impios & omnia impiorum opera ex latibulis & tenebris in lucem producet. 3) In *diluvio* præludium consummationis seculi & extremi iudicii propositum esse, docet Christus Matth. XXIV. 37. *Sicut erant dies Noae, sic etiam erit adventus Filii hominis.* v. 38. *Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, usque ad diem, quo intravit Noa in arcam,* v. 39. *& non cognoverunt, donec venit diluvium & tulit omnes: ita quoque erit adventus Filii hominis.* Idem repetitur Luc. XVII. 26. & 27. Petrus 2 epist. II. 5. *Si Deus originali mundo non pepercit, sed octavum Noe iustitiae praeconem custodivit, diluvium mundo impiorum inducens* (utique nec illis parcet.) 4) Excidium *Sodomiticum* illustre exemplar est παυολεθριας κοσμικης in die novissimo secuturæ. Ut enim quinque illæ civitates igne & sulphure cœlitus depluto sunt absumtæ; Genes. XIX. 24. sic in die iudicii novissimi totæ cœli terræque machina igne conflagrabit. Luc. XVII. 28. *Sicut factum est in diebus Loth, edebant & bibebant, emebant & vendebant, plantabant & aedificabant.* v. 29. *Qua die autem exiit Loth a Sodomis, pluit ignem & sulphur e cælo, & omnes perdidit.* v. 30. Κατα ταυτα, *secundum haec erit, qua die Filius hominis revelabitur.* 2 Petr. II. 6. *Si Deus civitates Sodomorum ac Gomorrae in cinerem redactas subversione damnavit, fecitque, ut essent exemplar impie victuris* (eadem iudicii severitate adversus impios utetur.) Cyprianus in descript. Sodom.

Sic Sodomûm meruit tellus ardentibus uri
Flammis, & finis portendere signa futuri.

5) Israelitæ *in deserto divinitus prostrati* specimen exhibent pœnæ in die iudicii omnibus impiis metuendæ. 1 Cor. X. 10. *Quidam eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore.* v. 11. *Haec autem omnia in figura illis contingebant.* Heb. IV. 6. *Quoniam supereſt quosdam introire in requiem, & illi, quibus prioribus annunciatum est, non introierunt propter incredulitatem;* v. 7. *iterum determinat diem &c.* Iudæ v. 5. *Commonere vos volo, scientes hoc, quod Dominus populum ex terra Ægypti salvans secundo eos, qui non credidérunt, perdidit.* 6) Denique omnia exempla

empla iudiciorum ac pœnarum *ecclesiae hostibus* Assyriis, Babyloniis, Ægyptiis, Midianitis, Philistæis, Edomitis, Moabitis &c. irrogatarum admonent nos de extremo iudicio, in quo omnes impii & cumprimis ecclesiæ persecutores *pœnas dabunt a facie Dei & a gloria virtutis eius*, 2 Thessal. I. 9. Præcipue enim pœnæ, ut & præcipua præmia differuntur in diem iudicii magni, interim tragicæ illæ pœnæ, quibus Deus atrocia scelera in hac vita punit, evidens præbent indicium, quod æternis suppliciis impietatem in non conversis in die iudicii puniturus sit. Chrysostomus homil. XLVII. ad popul. Antioch. *Si quis futurum non credit iudicium, quae sunt hic, videat in vinculis positos, in metallis, in stercoribus, daemonibus obsessos, errantes, incurabilibus laborantes morbis, cum continua certantes paupertate, infame viventes, irreparabilibus consternatos luctibus, in captivitate positos. Non enim hi nunc passi essent, nisi & omnes alios, qui talia peccarunt, ultio maneret atque supplicium.* Lib. I. de provid. tom. V. *Cum plures sint, qui admittere futuri iudicii rationem pertinaciter renuant, velut in brevi tabula hic iudicii futuri imaginem ostendit, cum punit malos, bonosque remunerat &c.*

§. XVIII. III) Ex *typis, figuris & parabolis.* Sicut in prima creatione facta est separatio *lucis a tenebris*, Genes. I. 3. sic in regeneratione Matth. XIX. 28. separabuntur *filii lucis* a *filiis tenebrarum.* Gen. IX. 13. in *iride* purpureus color denotat mundi conflagrationem in die iudicii secuturam, sicut cæruleus diluvium peractum indicat. Confer Alcuinum q. 135. in Genes. & Lutherum in comm. cap. 6. Genes. tom. I. p. 122. Genes. XV. 17. *Cum sol occumberet, horror magnus & tenebrosus invasit Abrahamum, adparuit clibanus ardens & fumans, & lampas ardens*, in quæ verba sic commentatur Augustinus in enarrat. Psalm CIII. conc. 3. *Clibanus significat diem iudicii, in quo erit fletus & stridor dentium & tarda pœnitentia, quando ardebit terra usque ad inferos.* Gen. XIX. 17. *Lothus* ex incendio Sodomitico eripitur, id Augustinus libr. XXII. contra Faustum cap. 41. ex 2 Petr. II. 9. ad piorum liberationem in die iudicii adcommodat. *Loth*, (inquit) *iustus et hospitalis in Sodomis et ab omni Sodomitarum contaminatione purus atque integer, ex illo incendio, quod erat similitudo futuri iudicii, meruit salvus evadere, typum gestans corporis Christi, quod in omnibus sanctis et nunc inter iniquos atque impios gemit, quorum factis non consentit, et a quorum commixtione in fine seculi liberabitur illis damnatis supplicio ignis aterni.* Idem lib. XV. de civit. Dei cap. 30. *Et hoc eorum* (Sodomitarum) *supplicium specimen futuri divini iudicii fuit.* Cap. eiusdem v. 23. *ortus solis super terram* in subversione Sodomorum designat Christi ad iudicium adventum in mundi conflagrationem. Genes. XLV. 3. *Fratres Iosephi* coram ipso ex sceleris conscientia *obmutescentes* repræsentant pavores, quibus in novissimo iudicio hypocritæ & impii corripientur, Matth. XXII. 12. Exod. VII. 3. *liberationem Israelitarum* ex Ægyptiaca servitute multa dicuntur præcessisse prodigia; sic finalem piorum liberationem in die iudicii exspectandam similia antecedent. Exod. XIII. 21. Dominus præcedebat Israëlitas per diem *in columna nubis* & per noctem *in columna ignis*; hoc Augustinus in enarrat. Psalm LXXVII. sic adplicat: *Domini nostri adventus in carne est, per quem Deus rectos faciet cursus nostros, & itinera nostra in pace perducet per Iesum Christum dominum nostrum, cuius in hoc seculo tanquam in die sa-*

III) Ex typis & parabolis.

sacramentum manifestum est in carne, velut in nube; in iudicio vero tanquam in terrore nocturno, quia tunc erit magna tribulatio seculi tanquam ignis, & lucebit iustis, et ardebit iniustis. Levit. XXV. 10. Israëlitæ *in iubilaeo tubis denunciato* libertatem & amissos agros recuperabant; sic in extremo iudicio per tubam archangeli denunciando pii perfectæ iustitiæ, vitæ & gloriæ æternæ fructum adsequentur. Num. XVI. 48. *Aaron pontifex* stans inter mortuos & vivos populum reconciliavit Deo; hoc Origenes homil. IX. in Numer. ad extremum iudicium adcommodat. *Puto*, inquit, *quod non solum primo adventu Domini forma ista completa sit, sed eadem servabitur et in secundo. Veniet enim iterum Filius hominis, et cum venerit, inveniet quosdam mortuos, quosdam autem viventes. Mortuos dicimus eos, qui nimietate scelerum in peccatis suis mortui intelliguntur, viventes autem, qui in operibus vitae permanserint. Tunc pontifex noster Christus medius vivorum et mortuorum stare dicendus est, cum statuet oves a dextris suis, hædos autem a sinistris &c. Et sunt utique mortui, qui in ignem mittuntur aeternum. Sunt autem vivi illi, qui mittuntur ad regnum.* 1 Reg. II 5. instruit David Salomonem filium de retributione servis danda; hoc Angelomus in comm. h. l. ad retributionem in fine seculi aliquando secuturam adcommodat. *Quod David* (inquit) *Salomoni praecepit de iusta retributione eorum, qui sibi solatio fuerunt, vel iniuste nocuerunt, licet ipse patientissime eos regnans toleraret, quid melius significare potest, quam futuram retributionem iudicii venturi, in quae impii pro mercede perpetuam pœnam, iusti autem aeternam beatitudinem percipient. Thronus regalis Salomonis* describitur 1 Reg. X. & 2 Par. IX. quem Rupertus lib. III. in libros Regum cap. XXXI. ad Christi iudicium sic adcommodat. *Quis est*, inquit, *iste thronus tam grandis tam mirabilis nisi altitudo maiestatis in illo die novissimo magni & tremendi iudicii? grandis thronus est, quia grande iudicium exspectamus. Est autem thronus ex ebore, quia iudicium ex puritate constabit iustitiae. Auro vestitur, quia aurea divinitatis iustitia revelabitur. Sex ille habebat gradus, quia sex sententiis iudicium perficietur. Esurivi, & non dedistis mihi manducare, sitivi, & non dedistis mihi potum. Hospes eram, & non collegistis me. Nudus, & non cooperuistis me. Infirmus, & non visitastis me. In carcere, & non venistis ad me. Duae manus hinc atque inde, duo sunt tenores hinc iustitiae, inde misericordiae. Duo leones iuxta manus singulas, quia utrobique fortis atque formidabilis erit iudicii veritas. Etenim a sinistra omnis iniquus condemnabitur, & a dextra iustus vix salvabitur.* 1 Pet. IV. *Duodecim leunculi super sex gradus stantes duodecim sunt apostoli. Post hunc thronum Salomonis, id est, pacifici regis Christi & gloriae & divitiae sunt in domo eius tanta copia, quantam scriptura praesens significare non sufficit, unde subditur, non erat argentum, nec alicuius pretii putabatur in diebus Salomonis, fecitque ut tanta esset abundantia argenti in Ierusalem, quanta & lapidum, quia peracto iudicio in diebus illis aeternitatis nullius pretii reputabitur argentum, quia nimirum prophetiae evacuabuntur & linguae cessabunt, nullus iam mittetur ad praedicandum, sed omnes perfecti erunt, in omnibus abundavit purissimum caritatis aurum.* Potest etiam talis adplicatio institui. Sicut Salomon per hos sex gradus adscendit in suum tribunal, & summa sapientia iudicavit: sic expletis sex mundi millenariis Christus sedem iudiciariam conscendet, & orbem iudicabit in iustitia. Duæ leænæ denotant duas Christi naturas divinam & humа-

manam, est enim leo de tribu Iuda, Apoc. V. 5. 2 Reg. I. *Elias* sedens in monte Carmel ignem faciebat descendere super milites Ahasiæ: sic Christus, cœlestis Elias, ignem in die iudicii superius depluet. Matth. III. 11. Luc. III. 17. *Christus baptizabit vos Spiritu sancto & igne, cuius ventilabrum in manu & mundabit aream suam & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igne inextinguibili.* Clemens Romanus lib. III. recognit. *Sicut data a Deo pluvia ex aequo & fruges nutrit & lolium: messis autem tempore frumenta congregantur quidem in horreum, paleae vero vel lolium igne consumuntur, sic in die iudicii iusti introducentur in regnum Dei, iniusti autem abiicientur foras.* Isidorus Pelusiota libr. I. epist. LXV. *Areae nomine universam orbis terrarum ecclesiam intelligit, in qua omnem humanae naturae messem cogit. Ventilabri autem vocabulo iustum iudicem adpellat, quod quidem eum, qui cuique aptus est, gradum distinguens ac definiens, paleares quidem, ut ita dicam, & dissolutos homines quique ad omnem peccati ventum huc illucque iactantur, flammis addicit, eos autem, qui operum puritate ac pœnitentiae fructibus abundarunt, in horreum congregari iustus iudex ait. Hoc est piis seque dignis operariis atque agricolis congruens domicilium.* Fulgentius lib. II. de remiss. peccat. cap. 9. *Informat omnem christianum tenore evangelicae lectionis, ut discretione habita consideret, quid in primo Salvatoris adventu fuerit unicuique piissima largitate donatum, quid & singulis exspectetur in secundo iusta retributione reddendum.* Hilarius can. II. in Matth. etiam *baptismum ignis* de igne extremi iudicii intelligit. Sed ostendimus in tractat. de bapt. rectius de miraculosis Spiritus sancti donis sub specie linguarum ignearum effusis accipi. Matth. XIII. 30. separatio piorum a malis in die iudicii secutura proponitur *in parabola messis*, in qua *colliguntur zizania, & igni comburuntur.* v. 48. in *parabola piscium bonorum ex sagena collectorum & putrium foras proiectorum.* XVIII. 23. *Simile est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis.* v. 34. *Iratus Dominus tradidit servum immisericordem tortoribus.* XXIV. 43. *Si sciret paterfamilias, qua hora fur venturus esset, vigilaret, & non sineret perfodi domum suam;* v. 44. *ita & vos estote parati, quia Filius hominis venturus est hora, qua nescitis.* (idem repetitur Luc. XII. 39. 1 Thessal. V. 2. 2 Petr. III. 10. Apoc. XVI. 15.) v. 45. *Quis putas est fidelis servus ac prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore.* v. 46. *Beatus ille servus, quem, cum venerit dominus eius, invenerit sic facientem &c.* (idem repetitur Luc. XII. 43.) XXV. 1. *Tunc simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quae accipientes lampades suas exiverunt obviam sponso & sponsae &c.* v. 14. *Sicut homo peregre proficiscens vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua.* v. 19. *Post longum tempus venit Dominus servorum illorum, & posuit rationem cum eis.* (idem repetitur Luc. XIX. 12.) Marc. XIII. 34. *Sicut homo, qui peregre profectus reliquit domum suam, & dedit servis suis potestatem, & cuique opus suum, & ianitori praecepit, ut vigilet.* v. 35. *Vigilate ergo, quoniam nescitis quando Dominus domus veniet &c.* Luc. XII. 35. *Sint lumbi vestri praecincti & lucernae ardentes,* v. 36. *& vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertetur a nuptiis &c.* XIII. 25. *Cum venerit paterfamilias, & clauserit ostium, & incipietis foras stare & pulsare ostium dicentes: Domine aperi nobis, & respondens dicet vobis: nescio, vos unde sitis.* XVI. 2. *Dives vocavit œconomum bona*

sua

ſua diſſipantem dicens illi: redde rationem villicationis tuae. Ioh. II. 6. *Sex hydriae in nuptiis Cananaeis* ſignificant ſex millenarios mundi, in quorum ultimo adparebit Chriſtus, & *aquam* tribulationis noſtræ mutabit in *vinum* lætitiæ. Apoc. I. 15. *Pedes Chriſti ſunt ſimiles chalcolibano velut in fornace ardentes, & ut columnae igneae*, X. 1. quibus ſignificatur extremum iudicium in fine mundi exſpectandum, tunc *oculi eius erunt ut flamma ignis*, id eſt, nihil quidquam erit abſconditum, ſed omnia velut in ſplendore ignis conſpicua. Apoc. I. 16. *de ore Chriſti gladius δίστομος* ex utraque parte acutus exibat, quia hic gladius non tantum corpus, ſed etiam animam æterno vulnere percutiet. Hominum gladii una tantum ex parte acuti ſunt, quia corpus tantum fauciare & occidere poſſunt, Matth. X. 28. ſed Chriſti gladius ex utraque parte acutus eſt, quia tam animæ quam corpori æterna vulnera infligit. Hic eſt *gladius occiſionis magnae, qui obſtupeſcere faciet impios*, Ezech. XXI. 14. Hic eſt gladius iudicii utramque partem, dextram ſcilicet & ſiniſtram pro cuiusque ſtatu efficaciter diiudicans ac diſcernens. Exitus gladii ad dextram hic erit: *venite benedicti Patris mei;* hoc namque dicto gladius eius ita devorabit carnes, ut iam non ſit caro & ſanguis, ſed ſint omnes carnis corruptione exuti, indutique incorruptionem & immortalitatem miroque modo permanente natura in gloriam permutati. Exitus eiusdem gladii ad ſiniſtram hic erit: *diſcedite a me maledicti in ignem aeternum.* Utrinque ſic efficax erit ille gladius, ut malos dividat a bonis illos mittens in ſupplicium æternum, hos in gloriam ſempiternam, ita ut ſemel ab invicem diviſi non poſſint ultra permiſceri. Maiori procul dubio acerbiorique doloris ſenſu adficientur damnati, cum audient: *ite maledicti in ignem aeternum;* quam ſi acutiſſimo gladio medii ſecarentur. Apoc. IV. 2. *Ecce ſedes poſita erat in cælo & ſupra ſedem ſedens.* v. 3. *Et qui ſedebat, ſimilis erat adſpectu lapidi iaſpidis & ſardini &c.* XIX. 11. *Equus albus* eſt Chriſti humanitas niveo candore coruſcans cœlo deſcenſura. *Eques* eſt ipſe Filius Dei verax in verbis, fidelis in promiſſis, iuſtus in factis, *oculi flammei* notant omniſcientiam, *diademata* regiam maieſtatem & gloriam, *veſtis purpurea* paſſionem, quæ vindictam tunc repoſcet, *agmina ſtolata in equis candidis* ſunt angeli & beati comitaturi Chriſtum ad iudicium. *Gladius δίστομος* ſententiam utrique parti ferendam exprimit.

IV) Ex eccleſiae ſymbolis et perpetuo eiusdem conſenſu.

§. XIX. IV) Ex *eccleſiae ſymbolis & perpetuo eiusdem conſenſu.* In ſymbolo *apoſtolico* confitemur Chriſtum e cœlis venturum, *ut iudicet vivos & mortuos.* In ſymbolo *Nicaeno* dicimus: *credo in Chriſtum Dominum, qui iterum venturus eſt cum gloria iudicare vivos & mortuos, cuius regni non erit finis.* (additur *μετα δοξης*, ut glorioſus hic adventus ſecundus a primo Chriſti adventu diſtinguatur.) In ſymbolo *Athanaſii. Adſcendit ad cœlos, ſedet ad dextram Dei Patris omnipotentis, inde venturus eſt iudicare vivos & mortuos, ad cuius adventum omnes homines reſurgent cum corporibus ſuis, & reddituri ſunt de factis propriis rationem. Et qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam, qui vero mala, in ignem aeternum.* Iuſtinus apol. II. pro Chriſt. p. 66. *E cœlis cum gloria & angelica militia ſua adveniet aderitque ſicut praedictum eſt, cum omnium etiam, qui unquam exſtitere, mortalium corpora ſuſcitabit, atque dignos quidem induet natura corruptibili-*

bilitatis universae experte, iniustos autem in perpetuo sensu una cum malis geniis in ignem mittet sempiternum. Irenæus lib. III. adv. hæres. cap. 4. p. 172. nomine apostolicæ traditionis confessionem ecclesiæ recitat, in qua Christus dicitur *in gloria venturus Salvator eorum, qui salvantur, & iudex eorum, qui iudicantur, & mittens in aeternum ignem transfiguratores veritatis & contemtores Patris sui & adventus eius.* Lib. I. adv. hæres. cap. 2. pag. 34. *Ecclesia per universum orbem usque ad fines terrae seminata ab apostolis & eorum discipulis accepit eam fidem, quae est in unum Deum Patrem omnipotentem & Iesum Christum Dei Filium &c. in adventum eius de cælis in gloria Patris εις το ανακεφαλαιωσασθαι τα παντα ad recapitulanda universa & resuscitandam omnem carnem humani generis, ut Christo Iesu Domino nostro & Deo & Salvatori & regi secundum placitum Patris invisibilis omne genu curvetur, cælestium, terrestrium & inferorum & omnis lingua confiteatur ei, & iudicium iustum in omnibus faciat, spiritus quidem nequitiae & angelos transgressores atque apostatas factos et impios et iniustos et iniquos et blasphemos homines in aeternum ignem mittat, iustis autem et sanctis, et qui mandata eius observant, et in dilectione eius perseverant, quibusdam quidem ab initio, quibusdam autem ex pœnitentia vitam donet, incorruptibilem flatum largiatur, & vitam aeternam tribuat.* Tertullianus in regula fidei, quam recenset in lib. de præscript. adv. hæres. cap. 13. p. 110. inter cætera dicit: *credidi in ecclesia in Christum venturum cum claritate ad sumendos sanctos in vitae aeternae & promissionum cælestium fructum, & ad profanos iudicandos igni perpetuo facta utriusque partis resuscitatione cum carnis restitutione.* Et in lib. de veland. virgin. p. 566. *Regula fidei una omnino est sola & irreformabilis, credendi scilicet in unicum Deum omnipotentem mundi conditorem & Filium eius Iesum Christum &c. sedentem nunc ad dextram Patris, venturum iudicare vivos & mortuos per carnis etiam resurrectionem.* In apologet. adverſ. gentes cap. 23. *Quodcunque ridetis, rideant & illi vobiscum, negent Christum omnem ab aevo animam restituto corpore iudicaturum.* In symbolo seu cantico, quod Ambrosio & Augustino tribuitur: *tu ad dextram Dei sedes in gloria Patris iudex crederis esse venturus.* Augustinus libr. XX. de civitat. Dei cap. 1. ante medium: *omnis ecclesia veri Dei in confessione ac professione tenet, Christum de cælo esse venturum ad vivos & mortuos iudicandos.* Lib. eiusdem cap. 30. circa finem: *nullus vel negat vel dubitat per Iesum Christum tale, quale istis sacris literis praenunciatur, futurum esse novissimum iudicium, nisi qui eisdem literis nescio qua incredula animositate seu cæcitate non credit, quae iam veritatem suam orbi demonstravere terrarum.* Concilium Toletanum VI. cap. 1. *Dominum nostrum Iesum Christum in fine exspectamus seculorum cum resurrectione omnium aequissimo suo iudicio redditurum iustis praemia & impiis pœnas.* Atqui hæc ecclesiæ confessio per traducem fidei perpetuo in ea fuit conservata, ut constat ex Iustino libr. de Dei monarch. Cypriano ad Demetrian. Athanasio de humanit. Verbi Basilio in Psalm XXXIII. Cyrillo Hierosolymitano catech. IV. Hieronymo in epist. ad Heliodor. Gregorio libr. XXVI. moral. cap. 24. Isidoro lib. I. de summ. bono cap. 30. & aliis compluribus.

§. XX. V) Ex *rationibus*, & quidem 1) ex *iustitiae divinae administratione.* Ad hanc rationem remittit nos apostolus 2 Thessal. I. 6. *Iustum est apud*

V) Ex rationibus.

apud Deum reddere iis, qui adfligunt vos, adflictionem, v. 7. *& vobis, qui adfligimini, relaxationem nobiscum, cum revelabitur Dominus Iesus de cœlo cum angelis potentiae suae*, v. 8. *cum incendio flammae &c.* Iustitia divina requirit, ut bonis bene malis autem male sit. Atqui in hac vita sæpe accidit, ut impiis & omni scelerum genere coopertis omnia ex voto fluant, contra vero piis omnia adversa eveniant, adeoque nec illorum ultio nec horum remuneratio locum habeat; necesse igitur est, superesse novissimum & universale iudicium, in quo impiis pomerita supplicia, piis vero gratuita præmia sint reddenda. Psalm LXXIII. 2. *Mei pene moti sunt pedes*, v. 3. *quia zelavi super stultos pacem peccatorum videns*, v. 5. *in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellantur*, v. 12. *ecce impii felices sunt in hoc seculo.* v. 13. *Ergo sine causa mundavi cor meum &c.* v. 14. *Et fui flagellatus tota die.* v. 16. *Existimabam, ut hoc cognoscerem, labor erat ante me*, v. 17. *donec intrarem in sanctuarium Dei, & intelligerem novissima eorum.* Hæc novissima impiorum sunt mors, iudicium & damnatio eorum; in die enim iudicii demum adparebit, Deum esse iustum ac scelerum vindicem, cum redditurus sit unicuique secundum opera sua, inde apostolus diem iudicii vocat ἀποκαλυψιν της δικαιοκρισιας τυ θευ, Rom. II. 5. Iustinus in qq. & resp. ad orthod. q. 124. pag. 367. *Nequaquam pii ab impiis fluxis & corporalibus hisce rebus distant, utrisque enim adsunt omnia & laeta & tristia, alteri autem ab alteris differunt inprimis spe futurorum, & quae in pietate vera tolerantur passionibus &c. atque in his quidem providentia Dei ostenditur, in illis autem praeparat instruitque Deus pios, ut ad aliam respiciant vitam, in qua per gloriam & ignominiam iusti atque iniusti discernentur.* Clemens Romanus lib. III. recogn. *In die iudicii cum iusti introducentur in regnum Dei, iniusti autem abiicientur foras, tunc iustitia Dei ostendetur.* Augustinus in enarr. Psalm LXXII. *Tamdiu laboro, inquit Psaltes, & ante faciem meam laborem quemdam quasi inextricabilem video, ut cognoscam, quomodo & iustus sit Deus, & res humanas curet, & non sit iniquus, quod peccantes & scelera facientes felicitatem habent in hac terra, pii vero & Deo servientes in tentationibus plerumque & in laboribus fatigantur. Magna difficultas est hoc scire, sed donec introeam in sanctuarium Dei. In sanctuario enim Dei quid tibi praestatur, ut hanc solvas quaestionem? & intelligam inquit in novissima, non in praesentia. Ergo inquit de sanctuario Dei intendo oculum in finem, praesentia transgredior. Totum hoc, quod vocatur, humanum genus, omnis ista massa mortalitatis ventura est ad examen, ventura est ad libram, adpendentur ibi opera hominum, cuncta modo nubes involvit, sed Deo cognita sunt merita singulorum.* Ad hoc argumentum a *iustitia divina* petitum reduci possunt argumenta a *divina veritate & immutabilitate* desumta. Deus in verbo suo hoc decretum patefecit, quod mundum iudicaturus sit in iustitia. Ergo hoc suo tempore necessario sequetur, est enim Deus verax. Pulcre Augustinus epistol. XLII. *Omnia alia, quae futura praedixerat Spiritus sanctus in scripturis, evenerunt, ut de adventu Christi primo, de Hierosolymae excidio, cum ergo idem Spiritus sanctus praedixerit secundo Christi adventum & finem huius seculi, utique certo eveniet.* Deus iudicia sua adversus angelos & homines iamdum exercuit. Ergo certo & constituto tempore totum mundum iudicabit, est enim Deus immutabilis. 2) Ex *propriae conscientiae testificatione.* Hanc rationem in-

culcat apostolus Rom. II. 15. *Gentes ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis simul attestante illorum conscientia & cogitationibus inter se adcusantibus aut etiam excusantibus*, v. 16. *in eo die, cum iudicabit Dominus occulta hominum iuxta evangelium meum per Iesum Christum;* ubi quidam subintelligendum putant ὡς αποκαλυψαιται vel φανερωσεται, prout *manifestabitur* in illa die, quia in hac vita non conspiciuntur interiores hominum cogitationes & quid cuique dictitet sua conscientia. Potest etiam commode sic exponi, ipsa conscientia hominum eos convincit, futurum esse extremum & universale iudicium, quia cogitationes eos adcusant in malis, excusant vero in bonis operibus, εν ημερα, id est, εις ημεραν, *in diem iudicii*, in quo scilicet exsecutioni dabitur exterius, quod conscientia unicuique hominum in hac vita dictitat interius. Quamvis impios mala agentes nemo adcuset, interius tamen conscientiæ stimulis torquentur, ac vicissim quamvis boni iniuste adcusentur, in conscientiæ tamen testimonio pacate adquiescunt; qua de re etiam apud ethnicos scriptores multa occurrunt, quæ ex naturæ lumine & experientiæ sensu eos hausisse dubium nullum. *Magna vis est conscientiae*, inquit Cicero in orat. pro Milon. *& magna in utramque partem, ut neque timeant, qui nihil commiserint, & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccaverint*; idem in orat. pro Roscio. *Sua quemque fraus & suus terror maxime vexat, suum quemque scelus agitat, amentiaque adficit, suae malae cogitationes conscientiaeque animi terrent. Hae sunt impiis adsiduae domesticaeque furiae, quae dies noctesque parentum pœnas a conscleratis filiis repetant;* idem in Pison. *Nolite putare, ut in scena videtis homines conscleratos impulsu deorum terreri furiarum taedis ardentibus sua quemque fraus, sua audacia, suum facinus, suum scelus de sanitate ac mente deturbat, hae sunt impiorum furiae, hae flammae, hae faces. Sicut Cruciarii Romano ritu ferebant suam crucem ipsi ab ea mox ferendi, sic impiis hanc conscientiae crucem Deus imposuit, in qua pœnas luant, prius quam luant;* ait Lipsius libr. II. de constant. cap. 14. Atqui istud το εντον βημα, *tribunal interius* testimonium est futuri iudicii, quod in angelorum & hominum conspectu in die novissimo instituetur exterius. Nisi enim eiusmodi iudicium supereresset, conscientiæ testimonium frustraneum foret. Ex hac interna propriæ conscientiæ testificatione promte colligitur, quod generalis quædam notio extremi iudicii omnibus hominibus per naturam insita sit; unde etiam apostolus cum Athenensibus ex naturæ lumine de hoc iudicio disserit, & eius terrore incusso ab idololatria eosdem liberare conatur, Actor. XVII. 31. confer. XXIV. 25. Tertullianus in apolog. adv. gent. cap. 16. *Anima licet corporis carcere pressa, licet institutionibus pravis circumscripta, licet libidinibus & concupiscentiis evigorata, licet falsis diis exancillata, cum tamen resipiscit ut ex crapula, ut ex somno, ut ex aliqua valetudine, & sanitatem suam patitur, & Deum nominat, hoc solo, quia proprie verus hic unus Deus bonus & magnus. Et quod Deus dederit, omnium vox est: iudicem quoque contestatur illum, Deus videt & Deo commendo, & Deus mihi reddet. O testimonium animae naturaliter christianae!* 3) Ex *resurrectionis & iudicii connexione.* Ad hanc rationem digitum intendit apostolus, quando *resurrectionem & iudicium*, Heb. VI. 2. itemque *mortem & iudicium* IX. 27. individuo nexu

nexu invicem coniungit. Iudicii antecedens necessarium est resurrectio, quia iudicandi sunt *vivi & mortui*; Act. X. 42. 1 Petr. IV. 5, quod si ergo mortui etiam iudicandi, utique prius ex morte in vitam revocandi erunt, ut coram tribunali Christi sistantur, & sententiam damnationis audiant. Resurrectionis consequens necessarium est iudicium, quia Christus venturus est, tum *ad resuscitandum*, tum *ad iudicandum*, Matth. XXV. 33. *Qui in monumentis sunt, audient vocem Filii hominis, & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii*; Ioh. V. 28. & 29. ubi ἀναστασις κρισεως commode exponi potest per ἀναστασιν εις κρισιν *ad iudicium*. Symbolum Athanasii: *ad Christi adventum omnes homines suscitabuntur cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis propriis rationem.* 4) Ex *regni Christi conditione.* Regnum Christi est æternum & perpetuum, utique ergo requiritur, ut subditos regni sui ex morte resuscitatos in gloriam cœlestem transferat, contra vero hostes regni sui iudicet & vindictam ab illis sumat. Hanc rationem insinuat confessio fidei in synodo Nicæna edita: *credo in Christum, qui venturus est cum gloria ad iudicandum vivos & mortuos, cuius regni non erit finis.* 5) Ex *universali omnium piorum exspectatione.* Omnes vere pii Christi Salvatoris sui adventum ad iudicium cupide exspectant. Apoc. XXII. 17. *Spiritus & sponsa dicunt: veni!* id est, Spiritus sanctus in sponsa Christi loquens, vel sponsa ex instinctu Spiritus sancti loquens, adeoque omnis vere fidelis anima, Spiritus sancti templum & Christi sponsa dicunt: *veni Domine!* Hæc desideria, hæc vota, hæc suspiria non evanescunt in tenues auras, sed Christi ad iudicium adventum accelerant. Ad hanc rationem revocat nos apostolus Rom. VIII. 19. a ἀποκαραδοκια *solicita exspectatio creaturae velut exserto capite revelationem filiorum Dei anxie exspectat.* v. 22. *Scimus enim, quod omnis creatura congemiscat, simulque nobiscum parturiat usque nunc.* v. 23. *Non solum autem illa, sed & ipsi, qui primitias Spiritus habemus, & nos ipsi in nobis gemimus adoptionem exspectantes redemtionem corporis nostri.* 6) A *legis promulgatione.* Deus legem suam non tantum in prima creatione hominum cordibus inscripsit, sed eamdem etiam magna solennitate in monte Sinai promulgavit, quæ promulgatio non est frustra facta, sed ut executio legis adversus præfractos & contumaces transgressores aliquando in iudicio instituatur. Ad hanc rationem remittit nos apostolus Rom. I. 18. *Revelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem & iniustitiam hominum, quae veritatem in iniustitia detinent.* II. 9. *Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Iudaei primum & Graeci.* v. 10. *Gloria autem & honor & pax omni operanti bonum, Iudaeo primum & Graeco.* v. 12. *Quicunque enim sine lege peccaverunt, sine lege etiam peribunt, qui in lege peccaverunt, per legem iudicabuntur.* 7) A *saniorum gentilium confessione.* Ethnici *Rhamnusiam* pinxere deam fandi atque nefandi ultricem; iidem finxerunt suos *Æacos, Minoas, Rhadamantos &c.* apud inferos iudicaturos, umbram quamdam veritatis de futuro post hanc vitam iudicio contuentes, sed multiplici falsorum figmentorum caligine eamdem involventes. Iustinus in paræn. I. ad gentil. pag. 1. *Vera religione nihil prius atque praestabilius, ut equidem puto, esse arbitrantur, qui vitam sibi extra periculum omne agendam statuerunt, propter futurum post huius vitae finem iudicium, quod*

certe equidem non modo maiores noſtri divini homines prophetae & legislatores, verum etiam qui apud vos habiti ſunt ſapientes poëtae ſimul atque philoſophi veram atque divinam ſe ſcientiam adſecutos eſſe profeſſi depraedicant. In libro de monarchia adducit dictum Sophoclis & Philemonis. Theophilus Antiochenus lib. II. ad Autolycum adfert dictum Æſchyli, & addit: *quod Deus iudicium ſit redditurus in extremo die de periurio & aliis peccatis, poëtae quoque fere praedixerunt.* Athenagoras in legat. pro Chriſt. *Plato quidem Minoem & Rhadamantum iudicaturum & puniturum malos dixit. Nos autem, ſive Minos ſit, ſive Rhadamantus aliquis, ſive etiam horum pater, ne eum quidem ipſum effugiturum eſſe Dei iudicium, arbitramur.* Origenes in Levit. homil. VII. *Multi enim ita & ex philoſophis ſapiunt, & futurum eſſe iudicium credunt.* Theodoretus de curand Græcor. adfect. p. 1131. ex Platone multa de futuro iudicio adducit. Confer Euſebium lib. XI. de præpar. evangel. cap. 20. Huc referri etiam poſſunt oracula Sibyllarum de extremo iudicio. lib. VIII. f. 164.

Ουρανον ειλιξει γαιης κευθμωνας ανοιξει,

και τοτ' αναςησει νεκυας, μοιραν καταλυσας,

και θνατη κεντρον και υςερον εις κρισιν ηξει.

Κριτων ευσεβεων και δυσσεβεων βιον ανδρων

και κριον κριω και ποιμενα ποιμενι θησει

και μοχον μοχω πελας αλληλων ες ελεγχον

οιθινες υψωθησαν ελεγχθεντες υπ' ελεγχων.

και ςομα παντος εφραξαν, ιν' αυτο ζηλωσωντες

τυς οσιυς πρασσοντας ιτως καταθυλωσωσιν.

Σιγαν προςασσοντες επειγομενοι δια κερδος,

και δοκιμας πιςως τοτε χωρησυσιν απαντες,

υκετι λοιπον ερις λοιμυμενος αυριον εσαι,

υκ εχθρος γεγονεν, υκ νηματα μικρα μεριμνης,

υκ εαρ', υχι θερος, υ χειμων, υ μετοπωρον,

υ δυσις, αντολιητε.

Cælum convolvet, telluris operta recludet.

Manes in vitam (fatorum lege ſoluta

Et leti ſtimulis) ad iudiciumque vocabit,

Iudicet ut tandem mores, pravosque piosque,

Ariete tunc aries, paſtor paſtore propinquo,

Et vitulus vitulo admoto cenſebitur illic.

Quosque ſibi nimium faſtum ſumſiſſe patebit,

Et qui cuilibet os obſtruxere imperioſi,

Et ſibi de ſanctis vires peperere ſubactis,

Ex paribusque ipſos fecerunt inferiores,

Et

Et ſtudio lucri ducti iuſſere ſilere ;

Tunc inquam cedent omnes fidisque, probisque ,

Non iam iurgia erunt, non iam dicetur, erit cras ,

Aut tranſivit heri ; nec erunt, quos crebra fatiget

Cura, dies ; non ver, aeſtas, autumnus, hyemsve

Ortusve, occaſusve.

Confer ea, quæ de ſignis extremi iudicii ex Sibyllarum oraculis inferius adducentur.

§. XXI. Antitheſis.

Antitheſis. Negant futurum extremum iudicium : 1) *Epicurei & empaeſtae*, qui audientes Chriſtum rediturum ad iudicium cum Athenienſibus Epicuræis & Stoicis philoſophis χλευαζουσι Act. XVII. 22. *irridentes*, ac cavillantur quærentes, quando tandem futurum ſit, quod tamdiu differtur? 2 Pet. III. 3. *Venient in noviſſimis diebus illuſores iuxta proprias concupiſcentias ambulantes*, v. 4. *ac dicentes ubi eſt promiſſio adventus eius?* 2) Complures ex *haereticis* utpote 1) *Doſitheani*, Philaſtrius hæreſ. IV. *Doſitheus Iudaeus genere auſus eſt dicere ſecundum carnem ſolum eſſe vivendum in lege Domini, deque ea non ſperant reſurrectionem futuram nec Dei Spiritum nec angelum eſſe credens, nec futurum iudicium de lege atque prophetis exſpectant.* 2) *Samaritani.* Philaſtrius hæreſ. VII. *Samaritani a rege Samario, vel ſecundum alios a filio Canaan adpellati iudicium futurum non exſpectant, reſurrectionem negant.* 3) *Prodianitae*, Seleucianorum & Hermionitarum ſoboles. Philaſtrius hæreſ. LVI. *Prodianitae reſurrectionem & iudicium non ſperant.* 4) *Floriani.* Philaſtrius hæreſ. LVII. 5) *Manichaei.* Philaſtrius hæreſ. LXI. 6) *Symmachiani.* Philaſtrius hæreſ. LXIII. 7) *Borboriani.* Philaſtrius hæreſ. LXXIII. *Borboriani vitiis implicati ſeculi & malis concupiſcentiis ſervientes non ſperant iudicium futurum, ſed potius carnalem ſeculi concupiſcentiam laudant, in cœnum euntes & inde obliti de cœno facies & membra ſua deformant.* 8) *Gnoſtici*, quos & Borborianos ſive Boboritas vocatos fuiſſe adſerit Auguſtinus lib. de hæreſ. ad Quodvultd. cap. 6. 9) *Albanenſes* docent, *univerſale iudicium iam eſſe factum.* Guido in ſumm. cap. de Albanenſ. Hi omnes ac reliqui eiusdem farinæ vel potius furfuris hæretici ideo negarunt extremum iudicium, ut tanto ſecurius in quodvis flagitium ruerent, quanto minus pœnam propterea in iudicio infligendam reformidarent. (*)

§. XXII. Quidam pontificii, præſertim Stapletonus in promt. cathol. & Bartſcius in evangel. domin. I. advent. per inſignem calumniam nobis tribuunt, quod *verbis duntaxat, non autem reipſa iudicium extremum confiteamur*, cum tales a nobis foveantur hypotheſes, quibus extremi iudicii certitudo prorſus evertatur, ſiquidem doceamus, *omnia opera etiam bona eſſe peccata ; nullam eſſe iuſtitiam propriam, ſed duntaxat imputativam, quae iuſtificet ; arbitrium in nobis non eſſe liberum ſed ſervum ; opera ad ſalutem non eſſe neceſſaria*, quibus omnibus extremum iudicium abnegari dicunt, quippe quod eo unice ſpectet, *ut tum merces non credentibus, ſed bene operantibus, tum pœna peccatoribus decernatur, pœnam vero non meruit, qui nunquam libere peccavit, merces non debetur illi, cuius omnia opera ſunt peccatini* negarunt futurum iudicium. GERHARDVS.

An Lutherani negent extremum iudicium.

(*) David Georgiani anno 1525. & Liber-

peccata. Andreas Fabricius Leodius in harmon. Auguſt. confeſſ. nugatur, *decimum ſeptimum articulum Auguſtanae confeſſionis ideo eſſe inſertum, ut quemadmodum piſcibus maſſam ex rebus ſoporiferis & gratis obiectare ſolent piſcatores, ita confeſſionis architectos nunc ex ſymbolo, nunc ex ſcripturis ineſcandorum hominum cauſa aliquid adduxiſſe videri.* Reſp. 1) Extat publica confeſſio eccleſiarum noſtrarum in Auguſtanæ confeſſionis artic. XVII. quæ non eſt ſimulata, ſed ingenua coram Deo teſte prolata: *docent eccleſiae noſtrae, quod Chriſtus adparebit in conſummatione mundi ad iudicandum, & mortuos omnes reſuſcitabit, piis & electis dabit vitam aeternam & perpetua gaudia, impios autem homines & diabolos condemnabit, ut ſine fine crucientur.* 2) Symbolum apoſtolicum ſingulis diebus recitamus, Nicænum & Athanaſianum firma fide amplectimur & profitemur, ut ex art. I. confeſſ. Auguſt. conſtat. Atqui in omnibus illis eccleſiæ ſymbolis articulus de extremo iudicio exſtat. 3) In explicatione dominicalium evangeliorum domin. II. advent. & domin. XXVI. Trinitat. quotannis doctrina de extremo iudicio auditoribus inculcatur; ſingulæ fere conciones memoriam iudicii in animis eorum refricant. 4) Cæſar & principes pontificii, Iohan. a Daventria, Ioh. Cochlæus, Ioh. Hoffmeiſterus, Georg. Caſſander, & moderatiores pontificii in art. XVII. confeſſ. nihil deſiderarunt. 5) Hypotheſes illæ in alienum detorquentur ſenſum; bona opera nequaquam dicimus eſſe *per ſe & formaliter* peccata, ſed peccatum ipſis adhærere, cum ſint immunda & imperfecta; iuſtitiam operum non negamus, ſed eam coram Dei iudicio ſubſiſtere poſſe inficiamur; liberum arbitrium in renatis non negamus etiam quoad ſpirituales actiones, in non renatis quoad externam diſciplinam illud agnoſcimus; operum neceſſitatem non negamus, ſed meritoria ad ſalutem eſſe inficiamur, qua de re in artic. de iuſtif. bonis operibus & libero arbitrio plenius dictum fuit. Confer diſput. V. de ſtudio pietatis per corrupt. pontif. labefactato. 6) Adverſarii potius falſam in hoc ἐγκλήματι fovent hypotheſin, quod ſcilicet *non ſecundum fidem & incredulitatem, ſed tantum ſecundum opera & quidem utrinque ſecundum operum merita extremum iudicium fit inſtituendum*, cum ſcriptura contrarium diſerte pronunciet, Ioh. III. 18. & 36. Rom. VI. 23. &c. Conf. Mehlfürerus in vindic. evang. part. I. diſput. II. th. 16. & ſeqq.

§. XXIII. Qui mitius nos tractant, ac pudore quodam prohibentur, contra teſtimonium propriæ conſcientiæ abnegationem extremi iudicii nobis tribuere, illi diſputant, *non quidem extremi iudicii veritatem, ſed duntaxat eius rigorem ac ſeveritatem a nobis negari*, dum ſtatuimus, *fidelibus illud non eſſe pertimeſcendum.* Iodoc. Coccius tom. II. theſauri catholici lib. X. artic. 5. pag. 1094. *Lutherani, quia cuilibet ad ſolam fidem regnum cœlorum promittunt, negant fidelibus metuendum eſſe hoc iudicium.* Suarez in Apoc. p. 557. *Impudens eſt haereticorum doctrina, qui hoc iudicium chriſtianis timendum non fore dicunt, nec Chriſtum, ut condemnet, ſed ut ſalvet, tribunal iudicis elevaturum.* Stapletonus dom. I. adv. promt. cathol. p. 1. *Haeretici hodie, ut ſuam ſolam fidem ac certitudinem gratiae ſtatuant, omnemque divinae iuſtitiae timorem hominum animis & conſcientiis penitus eximant, qui primus & potiſſimus fuit Lutheri ſcopus, cum has in eccleſia turbas excitaret, etiam hanc de extremo iudicio doctri-*

ctrinæm corrumpunt, totum fidei tribuunt, ne iuſtitiae examini, terrori, iudicio ullus locus ſit. Docendus ergo populus, quod Chriſtus in extremo iudicio non ut redemtor ſed ut iudex venturus ſit. Reſp. 1) Doctrina de iuſtificatione per ſolam fidem, ac de certitudine divinæ gratiæ nequaquam pietatis ſtudium labefactat, vel ſecuritati carnali fomentum ſuppeditat, ſed ad ſtudium bonorum operum potius excitat, ut ſuo loco plenius docuimus. 2) Multo minus extremi iudicii timorem fidelium animis excutit. Quod ſi enim *fidelium* nomine *in genere* omnes chriſtiani intelliguntur, ut Suarez illud interpretari videtur, vel *in ſpecie* hypocritæ fidem ore quidem profitentes, interim peccatis ſecure indulgentes, vel ut Gregorius libr. XXVI. moral. cap. 24. loquitur, *profeſſionem fidei retinentes, ſed profeſſionis opera non habentes;* negamus a noſtris eccleſiis doceri, quod talibus fidelibus iudicium extremum non ſit metuendum, quin imo omnes illos, qui veterno peccatorum oppreſſi in peccatis ſuis dormiunt, terrore iudicii ex hoc ſomno excitare, pro virili conamur, ut ad auguſtum & ſeverum illud iudicium fide, precibus, vigilantia & ſancta vitæ converſatione ſeſe præparent. Luc. XXI. 36. 2 Pet. III. 11. 3) Sin vero *fidelium* nomine intelligantur ſoli illi, qui vera & viva in Chriſtum fide præditi eamdem dilectione, ſtudio bonorum operum & ſancta vitæ converſatione exterius teſtantur, tum diſtinguendum eſſe dicimus inter *timorem ſervilem* & *filialem.* Servili timore diem iudicii eiusmodi fidelibus pertimeſcendum eſſe negamus, quia ipſius Chriſti voce animantur, ut *capita ſua extollant*, & diem illum cupide *exſpectent* atque expetant, Luc. XXI. 28. Filialem interim timorem ut iuſtitiae divinæ, ita quoque iudicii extremi ab illorum cordibus neutiquam exſulare iubemus, quo pertinent omnia ſcripturæ dicta, quæ timorem Dei a vere piis requirunt, eosque ſic deſcribunt, quod & *Deo confidant* & *Deum timeant.* 4) Quod Stapletonus tam crude negat, *Chriſtum ut redemtorem venturum*, probari a nobis non poteſt nec debet, adverſatur enim evidenti dicto Chriſti Luc. XXI. 28. *Elevate capita veſtra, ſcientes, quod adpropinquet redemtio veſtra.* Atqui ſi dies illa iudicii vere piis & fidelibus eſt dies απολυτρωσεως, ut Chriſtus dicto loco & Paulus Rom. VIII. 23. teſtantur, ſi eſt dies αναψυξεως & αποκαταστασεως των παντων, ut Petrus Act. III. 19. & 20. loquitur, utique etiam Chriſtus piis veniet *ut Redemtor.* 5) Quod Suarez negat, *Chriſtum venturum, ut ſalvet, ſed ut condemnet*, adverſatur diſertis verbis apoſtoli Hebr. IX. 28. *Chriſtus ſecundo ſine peccato adparebit omnibus exſpectantibus ſe in ſalutem.* Roman. VIII. 33. *Quis adcuſabit adverſus electos Dei? Deus eſt, qui iuſtificat.* v. 34. *Quis eſt qui condemnet?* 2 Tim. IV. 8. *Coronam iuſtitiae dabit iuſtus iudex omnibus, qui diligunt adventum eius;* adverſatur proceſſui iudiciali Matth. XXV. 35. deſcripto, ubi Chriſtus piis ad dextram conſtitutis dicturus legitur: *venite benedicti Patris, poſſidere regnum.* 6) Incredulis, impiis & impœnitentibus, qui Dei gratiam & Chriſti meritum in verbo evangelii ſibi oblatum in hac vita contumaciter repudiarunt, novam aliquam redemtionem vel miſericordiæ oblationem, vel temporis ad pœnitentiam agendam conceſſionem in die iudicii exſpectandam non amplius eſſe, libenter fatemur; ſed ex eo inferri nequit, vere in Chriſtum credentibus nec miſericordiam nec redemtionem in illo die exſpectandam. Contrarium enim teſtatur apo-

apostolus 2 Tim. I. 18. 7) Vere piis iudicium extremum non esse servili aliquo timore metuendum, sed potius cupide desiderandum, docent nobiscum pii veteres. Augustinus epist. CXLII. *Impii dicent montibus: cadite super nos &c. tu vero, cui adventus Christi dierum noctiumque meditatio est, qui consummationem seculi quasi certum praemii tui tempus exspectas, exsultationem de cælo capies, non timorem.* In enarr. Psalm C. *Iudicium hoc formidandum malis propter pœnam, amandum bonis propter coronam.* Plura in hanc sententiam adducemus inferius, quando de usu practico huius doctrinæ agemus.

§. XXIV. Adfine est huic pontificiæ calumniæ, quod quidam ex Calvinianis eo impudentiæ progrediuntur, ut nos negati extremi iudicii reos agere non vereantur. Philip. Cæsar in disput. de ultim. Christi advent. Marpurgi habita anno 1615. th. 17. nobis tribuit, quod *miserius fallamur quam Iudaei, dum corporis dominici omnipraesentiam in singulis etiam huius mundi locis confingentes invisibilem, hunc Christi adventum tantum non in reparitionem & emersionem quamdam ex tenebris mutemus, quasi abitus eius nihil aliud quam disparitio fuerit manentis, qua ratione ipse adventus seu reditus revera tollatur & negetur.* Resp. 1) Toto pectore credimus, Christum vere & visibiliter ad iudicium rediturum, & in hoc fidei articulo, ut & in aliis literalem verborum sensum arctissime tenemus. 2) Nequaquam statuimus, quod adscensio Christi fuerit quidam αφανισμος, *disparitio* vel *evanescentia*, aut nuda quædam αορασια, sicut iam ante aliquoties divina virtute seipsum fecerat αφαντον, Luc. IV. 30. XXIV. 31. Ioh. VIII. 59. sed sincere credimus & confitemur, quod Christi αναλημψις fuerit τοπικη μεταστασις *localis translatio, visibilis elevatio, vera & realis adscensio*, qua Christus in monte oliveti prope Bethaniam stans e terra sursum visibiliter in altum subductus ac depositis vitæ huius infirmitatibus in cœlum translatus & ad dextram Dei, ultimum adscensionis illius terminum collocatus est, ut in harmon. de resurrect. cap. XIII. pag. 525. ex singulorum verborum consideratione latius ostensum fuit. 3) Hoc vero est, quod negamus, Christum, postquam nubes eum ab oculis discipulorum subduxit, successiva quadam πορεια pertransiisse primum sphæram ignis, deinde orbes planetarum ac firmamentum seu primum mobile & cœlum crystallinum, donec progressu temporis pervenerit ad suum Patrem in cœlo empyræo; in quo, modo locali & corporali residens arresto quasi quodam constrictus teneatur, quo minus ante iudicii diem invisibili & illocali modo nobis præsens in terris adesse possit. Nondum enim has adsertiones ex scripturis comprobatas vidimus. 4) Illud vero sæpius in scripturis legimus, quod reditus Christi ad iudicium vocetur επιφανεια, φανερωσις και αποκαλυψις, ex quibus adpellationibus elucescit, ex Christi ad iudicium reditu non debere ipsius omnimodam absentiam inferri, qua de re infra pluribus dicetur. Confer ea, quæ dicentur inferius §. 34. Feurbornium in disputat. anti-Cæsariana Gissensi anno 1616. habita.

§. XXV. Quæ contra extremum iudicium scripturarum detorsiones proferuntur, facilem habent explicationem. 1) Ioh. III. 18. *Qui credit in Filium, non iudicatur, qui autem non credit, iam iudicatus*

Argumenta contra certitudinem extremi iudicii.

tus est. Iam vero omnes homines in duas classes distribuuntur; quidam sunt credentes, quidam vero incredeli. Ergo nulli iudicabuntur. Resp. v. 19. immediate sequitur: *hoc est iudicium*, id est, causa iudicii & damnationis, sicut Ioh. XVII. 3. *Haec est vita aeterna*, id est, causa vitae aeternae, utique ergo erit iudicium. Quod vero Christus de credentibus dicit, eos *non esse iudicandos;* de incredulis, quod *iam sint iudicati*, id non est accipiendum de finalis sententiae absolutoriae ac damnatoriae in die novissimo promulgatione ac publicatione, sed partim de aeterno & immoto iudicii divini decreto, partim de infallibili futuri iudicii certitudine, partim de iudicii damnatorii negatione respectu piorum, ut sit sensus: *qui credit in Christum, non iudicabitur*, id est, non condemnabitur; *qui vero non credit, iam iudicatus est*, tum ratione divini decreti, tum ratione iudicii in verbo manifestati, & incredulis promulgati, cuius exsecutio in die novissimo sequetur. Verus igitur ac plenus verborum Christi sensus hic est: *qui credit in Filium, non iudicatur*, id est, in hac vita non opprimitur ponderе irae ac iudicii divini, Ioh. III. 36. *non est sub lege* damnante, sed sub gratia absolvente, Rom. VI. 14. *nulla est ipsi damnatio*, VIII. 1. non succumbit terroribus mortis & doloribus inferni, qui sunt initia mortis & damnationis aeternae, sed fide in Christum Deo reconciliatur, accipit remissionem peccatorum & Spiritum consolationis ac laetitiae, per quem ex conscientiae terroribus eluctatur, & filiali fiducia ad thronum Dei accedit; in die novissimo non audiet contra se ferri sententiam damnatoriam, sed laetissimam illam vocem: *venite benedicti Patris mei;* per quam ad coeleste regnum vocatus cum Christo & omnibus sanctis angelis & electis aeterna gloria ac laetitia fruatur. Contra vero *qui non credit in Christum, iam iudicatus est* aeterno Dei propter impoenitentiam & incredulitatem homines iusto iudicio reprobantis decreto, unde etiam *manet sub ira Dei*, Ioh. III. 36. & in hac vita sentit legem & conscientiam damnantem, satanam accusantem, Deum iratum & condemnantem, opprimitur terroribus conscientiae & doloribus inferni. Chrysostomus homil. XXVII. in Ioh. *Quemadmodum homicida, etsi iudicis sententia sit adhuc incondemnatus, damnatur ipsius sceleris natura, ita & incredulus.* In die novissimo audire cogetur terribilem illam sententiam: *discedite a me maledicti*, per quam igni aeterno adiudicatus cum diabolo & angelis eius nunquam finiendis suppliciis torquebitur. Confer ea, quae diximus superius de ὁμωνυμια vocis iudicii §. 6. 2) Ioh. VIII. 15. *Ego non iudico quemquam.* Resp. tota scriptura testatur, Christum esse constitutum iudicem vivorum & mortuorum, unde Ioh. V. 22. *Pater omne iudicium* dicitur *dedisse Filio.* Quod ergo negat se quemquam iudicare, id quomodo accipiendum sit, ipsemet explicat Ioh. XII 47. *Si quis verba mea audierit & non custodierit, ego non iudico eum, non enim veni, ut iudicem mundum, sed ut salvem mundum.* v. 48. *Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet, qui iudicet eum, sermo, quem locutus sum, iudicabit eum in die novissimo.* Quidam accipiunt hoc sensu, quod Christus iudicium suum a mundi iudicio diversum ostendat. *Non iudico quemquam*, scilicet carnali & praepostero adfectu, praecedit enim: *vos secundum carnem iudicatis, ego non iudico quemquam*, scilicet eo modo, quo vos iudicatis, ac sequitur, *si ego iudico, iudicium meum verum est.* Sic exponit Augustinus tractat.

XXXVI. in Iohan. Quidam sic exponunt: possem ob hypocrisin, fastum & incredulitatem vos iudicare & condemnare, sed amice vos tracto, blande vos erudio, & cupide salutem vestram quæro. Potest etiam simplicissime accipi de primo Christi adventu, qui sic describitur Iohan. III. 17. *Non enim Deus misit Filium suum in mundum, ut iudicet mundum.* Ioh. XII. 47. *Non veni, ut iudicem mundum.* Matth. XVIII. 11. *Venit Filius hominis servare, quod perierat.* 3) Ioh. XII. 31. *Nunc iudicium est mundi. Ergo aliud iudicium non est sperandum.* Resp. inclusio unius non est exclusio alterius. Superatis internis animæ angoribus ex consideratione luctæ ibidem paulo post subeundæ ortis pergit Christus in concione de fructu passionis ac mortis suæ superius v. 24. cœpta, ac dicit, *nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras*, id est, sisto me Dei iudicio adversus peccatum, diabolum & mortem, hostes potentissimos, qui hactenus in mundo regnum obtinuerunt, sed merito & efficacia mortis meæ dominio suo privabuntur; persistit enim in metaphora, quod diabolus principis instar in genere humano regnet, sed per Christi mortem superandus sit & per evangelii prædicationem ex cordibus plurimorum eiiciendus. 4) *Si animae post suum e corpore discessum e vestigio mercedem suorum operum in hac vita gestorum percipiunt, nullum supererit aliud iudicium. Sed verum prius, ut in tractatu primo fuit demonstratum. Ergo & posterius.* Responsio patebit ex illis, quæ de causa finali extremi iudicii suo loco dicentur.

CAPVT III.

DE CAVSA EFFICIENTE EXTREMI IVDICII.

Causa efficiens iudicii extremi.

§. XXVI. Postquam igitur το οτι demonstratum fuit, videlicet quod certo aliquando futurum sit extremum iudicium, restat, ut ad διοτι, id est, ad causas eiusdem explicandas descendamus. *Causa efficiens principalis* iudicii extremi est ipse Deus, unus in essentia, trinus in personis. Quamvis enim Filius secunda Trinitatis persona visibiliter in natura adsumta hoc iudicium sit administraturus, unde *iudex vivorum & mortuorum* constitutus dicitur, tamen non deneganda est αυτοκρατορια κριτικη reliquis divinitatis personis, nec iudicabit Filius excluso Patre aut Spiritu sancto, sed iudicandi partes omnibus tribus Deitatis personis suo modo, & ordine competunt. 1) Quia *Deus* dicitur *orbem terrarum iudicaturus*, iam vero nomen Dei αγιωδως acceptum Patri, Filio & Spiritui sancto æqualiter competit. Deut. XXXII. 36. *Iudicabit Dominus populum suum.* Psalm. IX. 8. *Dominus paravit ad iudicium solium suum.* L 6. *Deus ipse iudex.* LXXXII. 8. XCVIII. 9. *Veniet Dominus iudicare terram*, 1 Sam. II. 10. *Iudicabit Dominus fines terrae.* Eccles. XII. 14. *Omne opus adducet Deus in iudicium.* Rom. II. 5. vocatur *Dei iudicium.* Heb. XII. 23. *Accessistis ad iudicem omnium Deum.* Plura huiusmodi testimonia facile colligi possunt ex illis, quæ in quæstione, an sit futurum extremum iudicium, ex vet. & nov. test. adducta sunt paulo superius. 2) Quia & Patri & Spiritui sancto iudicium

Tota Trinitas.

cium illud tribuitur. De Patre hæc loquuntur dicta: Esa. XXXIII. 22. *Dominus iudex noster*, *Dominus legifer noster*, *Dominus rex noster*; trina repetitio nominis Iehovah mysterium Trinitatis innuit, ut suo loco ostendimus, proinde nomine Iehovæ iudicis intelligitur Pater prima Deitatis persona. Daneel. VII. 9. *Throni positi sunt & antiquus dierum sedit;* utique ad iudicandum. Matth. XXII. 12. *Rex* cœlestis, qui *paravit nuptias Filio suo*, ad carentem veste nuptiali dicit: *socie*, *quomodo intrasti huc?* Iohan. VIII. 50. *Est*, *qui requirat & iudicet*, videlicet Pater meus cœlestis, ut ex v. 49. intelligitur. Act. XVII. 31. *Deus statuit diem*, *in quo iudicaturus est orbem terrarum in iustitia per virum*, *in quo decrevit.* 1 Petr. II. 23. *Christus tradidit iudicanti iuste.* Spiritus sanctus vocatur *Spiritus iudicii*, Esa. IV. 4. ac velut in hac vita per verbum cum hominibus *contendit*, discerpat & iudicat, ac peccata ipsorum arguit, Genes. VI. 3. Iohan. XVI 8. ita quoque in die novissimo una cum Patre & Filio eos iudicabit. Quidam huc adcommodant locum propheticum Esa. XXX. 28. *Spiritus eius velut torrens inundans*, sed ibi nomen *spiritus* pro ira & furore potius accipi videtur; describitur enim Deus instar cuiusdam hominis irati, qui spiritum naribus fortiter efflat. 3) Quia administratio iudicii est opus *ad extra* ac proinde indivisum, id est, omnibus Deitatis personis commune. 4) Quia ut trium Deitatis personarum una est essentia, ac eædem proprietates essentiales, ita quoque δυναμις κριτικη omniscientiam, omnipotentiam, iustitiam &c. complexa omnibus tribus Deitatis personis competit.

§. XXVII. Atqui, inquis, *Patri iudicium videtur expresse denegari.* Ioh. V. 22. *Pater non iudicat quemquam*, & κρινει ουδενα, ubi duplex negatio fortius negat, *sed omne iudicium tradidit Filio.* Resp. 1) Etiam Filius de seipso dicit VIII. 15. *Ego non iudico quemquam*, cum tamen tota scriptura testetur, ipsum fore omnium iudicem. 2) Pater non iudicat quemquam, scilicet solus absque Filio, sed per Filium omnes iudicat. VIII. 50. *Est qui requirat*, *& iudicet.* Actor. XVII. 31. *Statuit diem*, *in quo iudicaturus est orbem terrarum in iustitia*, *per virum*, *in quo decrevit.* 3) Pater non iudicat sumta persona iudicis, quæ ab hominibus, quos iudicat, videatur, cum illis loquatur, ac sententiam verbis proferat, proinde non *absolute* ac *simpliciter*, sed *secundum quid* & certo respectu negatur quemquam iudicare, quia non iudicat externo ritu & forma iudicialis processus, quo modo solus Filius iudicat. Augustinus libr. III. contra Maximin. Arian. *Invisibiliter erit Pater cum illo*, (Filio) *quia inseparabilis est ab eo. Si enim non sum solus*, *quia Pater mecum est*, *ait moriturus*, *quanto magis secum habebit Patrem de mortuis & vivis iudicaturus. Cum illo etiam erit Spiritus sanctus. Quomodo enim deferet eum Spiritus sanctus in regali sede*, *quo plenus regressus est a Iordane.* 4) In v. 27. proponitur ratio, quare *Pater non iudicet quemquam*, *sed omne iudicium dederit Filio*, quia scilicet ipse est *hominis Filius*, qui in adsumta humana natura visibiliter iudicium administrabit. Augustinus libr. I. de Trinit. cap. 13. *Secundum id*, *quod in iudicio non forma Dei adparebit*, *sed forma Filii hominis*, *nec ipse Pater iudicabit. Secundum hoc enim dictum est*: Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio &c. *Secundum hoc quod Pater aequalem genuit Filium*, *iudicat cum illo. Secundum hoc ergo dictum est*, *quod non iudicet quemquam*, *quod in iudicio non in*

forma Dei sed in forma Filii hominis adparebit. Non quia non iudicabit, qui dedit omne iudicium Filio, cum de illo dicat Filius, est qui quaerat & iudicet, sed ita est dictum: Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio, *ac si diceretur, Patrem nemo videbit in iudicio vivorum & mortuorum, sed omnes Filium, quia & Filius hominis est, ut possit & ab impiis videri, cum & illi videbunt, in quem pupugerunt &c.* Prosper in sent. Augustin. sent. 337. *Quamvis nunquam recedat a Filio Pater, ad iudicandos tamen vivos & mortuos non ipse dicitur, sed Filius adfuturus, quia ibi nec Patris nec Filii Deitas, sed illa forma videbitur Filii, quam sibi per sacramentum incarnationis univit &c. talis ergo adparebit iudex, qualis videri possit ab eis, quos coronaturus, & ab eis, quos damnaturus est. Pater autem non adparebit, quia forma servi non est indutus, sed Filio, qui etiam homo factus est, dedit iudicii potestatem.* 5) Pater dedit Filio omne iudicium non potestatem iudicandi sese penitus abdicando, sed potestatem iudicii visibiliter exercendi Christo, ut hominis Filio communicando. 6) Immediate sequitur v. 23. *ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* At si uterque honorandus est & Pater & Filius, consequens est, utrumque iudicii potestatem habere, utrumque iudicare.

§. XXVIII. Quamvis vero potestas iudicii faciendi competat omnibus tribus Deitatis personis, 1) κατ' αυτοκρατοριαν & 2) κατ' ευδοκιαν; propter ομοουσιαν (ut enim trium divinitatis personarum una & æqualis est essentia, ita quoque una eademque potentia) tamen κατ' οικονομιαν Christo θεανθρωπω iudici mortuorum ac vivorum divinitus constituto peculiariter in scripturis tribuitur, is enim 1) *visibiliter*, 2) *in adsumta natura humana*, 3) *immediate* hoc iudicium administrabit, in nubibus pro tribunali sedens ab omnibus conspicietur, sententiam definitivam promulgabit, eamdemque executioni statim demandabit, ac proinde tum ορατως tum αυθεντικως iudicium illud exercebit. Tribuitur Filio iudicium non *exclusive*, nec *oppositive*, sed per *adpropriationem*. Toti Trinitati tribuitur iudicium quoad *potestatem iudiciariam, dominium, auctoritatem & decretum;* Filio peculiariter adsignatur quoad *visibile & externum exercitium*. Veteres addunt, quod ideo per quamdam adpropriationem peculiariter Filio tribuantur partes iudicandi, quia est Patris sapientia ab ipso genita & veritas a Patre procedens, iam vero iudicium debet fieri in sapientia & veritate. Gregorius Nyssenus catech. XV. hac similitudine utitur: *Sicut Abraham Gen. XVIII. 2. vidit tres ad iudicium Sodomorum euntes & unum adoravit, sic in iudicio orbis praerit sacrosancta Trinitas, interim Christus potestatem iudicandi visibiliter exercebit.* Constat hoc 1) ex *perspicuis scripturae dictis*. Monet Augustinus libr. XX. de civ. Dei cap. 30. in principio, *iudicium Dei ex literis utriusque testamenti facile quidem colligi, sed ex veteribus iudicium tantum Dei expresse, at iudicium Christi Filii ex veteribus quoque, caeterum apertius ex nov. test.* (hunc enim esse verborum apud Augustinum traiectorum & in multis codicibus depravatorum sensum Ludovicus Vives in comm. notat;) proinde non solum ex nov. sed etiam ex vet. test. colligenda sunt vaticinia illud ipsum demonstrantia. Genes. XVIII. 25. *Numquid iudex universae terrae non faciet iudicium?* Loquitur Abraham ad Filium Dei, qui una cum duobus angelis

Christus.

lis apud ipsum diverterat. Psalm II. 9. dicit Pater cœlestis ad Filium: *conteres gentes in virga ferrea.* Esai. XLV. 23. *Per meipsum iuravi dicit Dominus, mihi curvabitur omne genu.* Hoc oraculum apostolus ad Christum adcommodat, & ex eo probat, omnes nos coram tribunali Christi sistendos, Rom. XIV. 11. Dan. VII. 13. *Adspiciebam in visione nostis, & ecce in nubibus cæli quasi Filius hominis veniebat ad Antiquum dierum.* v: 14. *Et dedit ei potestatem, honorem & regnum &c.* Zach. XII. 10. *Adspicient ad me, quem confixerunt;* hoc Apoc. I. 7. ad Christum in nubibus ad iudicium venientem adplicatur. In nov. test. & plura & clariora exstant dicta. Matth. XVI. 27. *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui, & tunc reddet unicuique secundum opera sua.* XIX. 28. *Cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae &c.* XXIV. 30. *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli.* XXVI. 64. *Videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis & venientem in nubibus cæli.* Ioh. V. 22. *Pater omne iudicium dedit Filio.* v. 27. *Dedit ei potestatem faciendi iudicium, quia Filius hominis est.* Act. X. 42. *Christus est constitutus iudex vivorum & mortuorum.* XVII. 31. *Iudicabit Deus orbem terrarum per virum, in quo constituit.* Rom. II. 16. *Iudicabit Deus occulta hominum per Christum Iesum.* XIV. 10. 2 Cor. V. 10. *Omnes stabimus ante tribunal Christi.* 1 Thess. IV. 16. *Dominus in voce archangeli de cælo descendet.* 2 Thessal. I. 7. *In revelatione Domini Iesu de cælo cum angelis virtutis eius.* v. 9. *Impii sustinebunt exitium απο τυ προσωπυ τυ κυριυ, cui adiudicabuntur a Christo*, qui in propria persona adparebit; ita enim quidam vertunt. 2 Tim. IV. 1. *Christus iudicaturus est vivos & mortuos per adparitionem & regnum suum.* Hebr. IV. 12. *ο λογος* est *κριτικος*, id quidam accipiunt de *λογω υποστατικω.* IX. 28. *Christus adparebit secundo exspectantibus se ad salutem.* Iud. v. 14. *Ecce Dominus veniet cum sanctis millibus suis*, ille scilicet Dominus, de quo v. 4. Apoc. I. 7. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus.* Plura ex superioribus colligantur, quæ omnia in tres classes dividi possunt; quædam enim dicta continent *prophetarum praedictionem*, quædam *ipsius Christi adseverationem*, quædam *apostolorum testificationem.* 2) Ex *parabolis.* Christus est *paterfamilias iste, in cuius manu ventilabrum, & mundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, & paleas comburet igne inextinguibili.* Matth. III. 12. Sapiens ille *agricola*, qui *zizania in ignem coniicit, utile vero ac pretiosum semen in horrea recondit*, Matth. XIII. 30. *Cautus ille œconomus, qui bonos pisces a malis separabit;* v. 48. Cœlestis ille *Sponsus, qui virgines fatuas a prudentibus separabit*, Matth. XXV. 12. *dives ille herus, qui negotiationis commissae rationem a servis suis exiget*, v. 19. *fidelis ac prudens ille pastor, qui oves separabit ab hœdis.* v. 33. *Dominus ille, qui a nuptiis reversurus iubet servos suos adventum ipsius solicite exspectare;* Luc. XII. 35. cuius pedes in die iudicii erunt *similes chalcolibano velut in fornace ardentes*, Apoc. I. 15. *ut columnae igneae*, X. 1. *oculi eius ut flamma ignis & ex ore eius procedit gladius δισομος*, I. 16. 3) Ex *ecclesiae symbolis.* Nam in symbolo apostolico, Nicæno & Athanasiano *Christum* confitemur *venturum ad iudicandum vivos & mortuos.* Maximus Taurinensis homil. in expos. symbol. *Necesse est, ut hominum genus ille discutiat, qui creavit, & ipse iudicet, qui redemit, iustumque est, ut omnipotens Dominus mortales suos, quos divinitatis virtute formavit, Patris pietate salvavit, iudicis examinatione discernat.*

Etiam secundum humanam naturam.

§. XXIX. Iudicabit autem Christus non tantum secundum divinam, sed etiam secundum *humanam naturam*, id est, ea, quæ ad partes iudicis spectant, non tantum secundum divinam naturam, sed etiam in & cum humana natura ac per humanam naturam peraget, id quod probamus 1) ex *adpellatione.* Iudex hic adpellatur *Filius hominis*, Dan. VII. 13. Matth. XVI. 27. XIX. 28. XXIV. 30. XXVI. 64. &c. iam vero Filius hominis ab adsumta humanitate denominatur, absque qua & sine qua filii hominis adpellatio neutiquam ipsi competit. Vocatur *Christus* Act. X. 42. Rom. II. 16. XIV. 10. 2 Cor. V. 10. &c. iam vero nomen Christi & ungentem Deitatem & unctam humanitatem complectitur. Damascenus libr. III. orthodox. fid. cap. 3. ονομα χριστος των δυο φυσεων υπαρχει σημαντικον. Libr. III. cap. 4. χριστος εστι το συναμφοτερον. Vocatur *vir*, Act. XVII. 31. tum quia Athenienses, quibus apostolus concionabatur, nondum erant capaces mysterii de Christi divinitate, tum quia in adsumta natura visibiliter iudicium Christus administrabit. Vocatur *Dominus*, 1 Thess. IV. 16. 2 Thess. I. 7. Iud. v. 14. iam vero est non solum natus ab æterno a Patre Dominus secundum divinitatem, sed etiam in tempore *factus Dominus* secundum humanitatem, Act. II. 36. 2) Ex *iudicis descriptione.* Dicitur hic iudex *venturus in nubibus cœli*, Dan. VII. 13. Matth. XXIV. 30. XXVI. 64. Apoc. I. 7. *sessurus super sedem gloriæ*, Matth. XXV. 31. *conspiciendus ab omnibus*, Zach. XII. 10. Matth. XXIV. 30. Apocal. I. 7. *compellaturus electos & damnatos*; Matth VII. 22. XXVI. 34. 40. 41. & 45. dicitur *constitutus ac definitus iudex*; Act. X. 42. XVII. 31. dicitur *de cœlo descensurus*, 1 Thess. IV. 16. omnes *ante ipsius tribunal* dicuntur *statuendi* ac sistendi; Rom. XIV. 10. 2 Cor. V. 10. quæ omnia evidenter docent, Christum in humana natura & secundum humanam naturam hoc iudicium administraturum. 3) Ex *potestatis* κριτικης *communicatione.* Potestas iudicium faciendi dicitur Christo in tempore data; Dan. VII. 14. Luc. XXII. 69. Ioh. V. 22. & 27. iam vero quæ in tempore Christo data sunt, ea secundum humanam naturam ipsi data, ut habet constans & perpetua piæ antiquitatis regula ex immotis scripturæ fundamentis exstructa. 4) Ex *muneris huius conditione.* Iudicium facere pertinet ad officium Christi regium, ut constat. Iam vero quæ ad officium Christi pertinent, ea competunt ipsi secundum utramque naturam, cum iuxta canonem concilii Chalcedonensis *in operibus officii utraque natura Christi operetur, quod cuiusque proprium est cum communicatione alterius.* 5) Ex *antegressa exinanitione.* Administratio extremi & universalis iudicii pertinet ad statum exaltationis. Iam vero exaltatio competit Christo secundum humanam naturam. Ergo etiam iudicii administratio secundum humanam naturam ipsi competit. *Adsumtum* probatur, quia secundum quam naturam Christus est exinanitus, secundum eamdem est exaltatus, ut colligitur ex Philip. II. 9. Iam vero exinanitio secundum humanam naturam ipsi competit. Ergo etiam exaltatio. Nimirum ut Christus in, cum & per humanam naturam opus redemtionis peregit, & in ea iniuste a mundo olim iudicatus fuit, sic vicissim in, cum & per humanam naturam απολυτρωσιν piorum perficiet, & mundum iuste iudicabit. 6) Ex *adscensionis & reditus ad iudicium collatione.* Act. I. 11. Christus ita redibit, *sicut* adscendit. Adscendit autem *visibiliter* secundum humanam naturam. Ergo iuxta eamdem visibiliter redi-

redibit, & iudicium administrabit. 7) *A subiecti reduplicatione.* Iudici huic potestas faciendi iudicii dicitur collata, ὁτι quia *& quatenus est hominis Filius*, Ioh. V. 27. Chrysostomus & Theophylactus in comm. illius loci hoc de divina Christi natura accipiunt, potestatem enim faciendi iudicium Christo ut Deo datam esse dicunt per æternam a Patre generationem, ut sic ipsum generando Pater iudicem fecerit. Eodem sensu accipit Ambrosius libr. II. de fid. cap. 4. sic scribens: *omne iudicium dedit Filio, utique generando, non largiendo.* Sed hanc interpretationem multis refellit Augustinus libr. I. de Trinitat. cap. 13. neque id immerito. *Primo* enim non dicit Christus, quod Pater sibi dederit potestatem faciendi iudicium, quia *Filius Dei*, vel quia *Deus est*, sed quia *Filius hominis est*, id est, secundum humanam naturam; particula enim ὁτι hoc in loco non est αιτιολογικη, siquidem humana natura non est causa, unde illa ἐξουσια iudiciaria dependeat, sed est διοριστικη και δεικτικη ostendens naturam, cuius respectu illa potestas iudiciaria Christo dicitur communicata, unde το οτι quidam vertunt per vocem *quatenus*, quasi καθως vel καθοτι scriptum sit. Pelargus in comm. Ioh. p. 62. οτι υιος ανθρωπου, τουτεστι δια και κατα την ανθρωποτητα. In Syriaca versione hic προσδιορισμος cum versiculo seq. coniungi videtur, ut ostendit particula ין hoc sensu: *quod autem is sit Filius hominis, ne miremini propter hoc*, sed in Græco codice, qui solus est authenticus, præcedentibus cohæret, & ad calcem v. 27. collocatur. Quorsum etiam diceret Christus, *& potestatem dedit ei iudicium faciendi*, cum idipsum v. 22. iam ante dixisset, *omne iudicium dedit Filio;* si nihil quidquam huic sententiæ additurus esset? Quod si hæc verba, *quia Filius hominis est*, cum sequentibus essent connectenda, non dixisset Christus præpostera & inusitata verborum collocatione: *quia Filius hominis est, nolite mirari hoc*, sed *nolite mirari, quia Filius hominis est*, hæc enim erat naturalis verborum series. Mirum igitur merito alicui videatur, quid Chrysostomo & eius abbreviatoribus Euthymio ac Theophylacto in mentem venerit, ut statuerent, Græcum codicem mutato uno puncto a Paulo Samosateno hoc loco fuisse corruptum. Mirum & illud, cur hanc distinctionem Chrysostomi & Syri interpretis adprobet Bellarminus libr. III. de Christo cap. 16. quam multis rationibus Maldonatus in comment. Iohan. V. recte impugnat. *Secundo* potestas illa κριτικη in tempore Christo data; iam vero secundum divinam naturam nihil quidquam in tempore ei datum, vel dari etiam potuit. *Tertio* versiculo immediate subsequente addit Christus: *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem eius;* innuens, Filium hominis inde atque ideo voce sua mortuos in novissimo die excitaturum, quia ipsi ut homini potestas iudicium faciendi data. *Quarto* Augustinus d. l. hoc urget, quod Christus neget, Patrem iudicare quemquam. *Si secundum illud* (inquit) *Filio potestas faciendi iudicii data diceretur, secundum quod dictum est, dedit filio habere vitam in semetipso, non utique diceretur, Pater non iudicat quemquam. Secundum hoc enim, quod aequalem Pater genuit Filium, iudicat cum illo. Secundum hoc ergo dictum est, quod in iudicio non forma Dei, sed forma Filii hominis adparebit &c.* Et postea: *Quia Filius Dei est aequalis Patri, non accepit hanc potestatem iudicii faciendi, sed habet illam cum Patre in occulto. Accepit autem illam, ut boni & mali eum videant*

deant iudicantem, quia Filius hominis est. Quinto potestas & gloria Christo in tempore data respectum habet ad antegressam exinanitionem, ideo enim in υπερυψωσει divinam maiestatem ac potestatem Pater Christo dedit, quia in adsumta servi forma sese humiliavit, & *fuit Patri obediens usque ad mortem;* Psalm. CX. 7. Phil. II. 9. &c. iam vero non secundum divinam sed secundum humanam naturam Christus se exinanivit & humiliavit. Ergo etiam secundum humanam naturam potestas iudicium faciendi ipsi data. *Sexto* emphasin habet particula και *potestatem dedit ei* και κρισιν ποιειν, dixerat enim Christus in praecedentibus, quod *Pater ipsi dederit vitam habere in seipso, sic ut ipse vitam habet in seipso*, id quod plerique veterum de divina Christi natura dictum accipiunt. Basilius in hom. περι πιστεως pag. 353. το εχειν εκ φυσεως ιδιον τω γεννηθεντος. Alcuinus lib. I. de Trin. c. 15. *Dedit Filio vitam habere in semetipso, id est, genuit Filium vitam habentem in semetipso habentem*, unde Syrus notanter reddidit, *dedit ei habere vitam* חַיֵּי מֵהּ *in sua essentia*, mox per αυξησιν addit, quod non solum ipsi, ut Deo per aeternam generationem vita essentialis sit communicata, sed quod etiam ipsi, ut homini *potestas faciendi iudicii* per unionem personalem & exaltationem ad dextram Dei communicetur. Valde igitur probamus, quod Maldonatus in h. l. scribit col. 584. *Etiamsi Christus ut Deus & potestatem & naturam ipsam accepit per aeternam a Patre generationem, tamen non agitur hic de ea potestate, quam ab omni aeternitate habuit, sed quam in tempore habere coepit.* Haec ille rectissime, qui tamen in reliquis, quae praecedunt & sequuntur, εκ ορθοποδει προς την αληθειαν. Combachius Calvinian. in disp. de person. & offic. Christi thes. 150. sic. παραφραζει. *Dedit ei potestatem faciendi iudicium, quia Filius hominis est, id est, quia visibili forma veniet ad iudicium.* Atqui το Filium hominis esse nusquam in scripturis significat visibilem reditum ad iudicium, sed το visibiliter ad iudicium venire est consequens humanitatis. Et ostendimus iam ante, particulam οτι non *causam* sed *obiectum* denotare, quod scilicet Christo ut Filio hominis sive secundum humanam naturam potestas eiusmodi data. Quod si enim causa illius communicationis in hoc προσδιορισμω adsignaretur, consequens foret, omnes homines hanc potestatem habere. Adde, quod scriptura causam huius communicationis non in veritate humanitatis nec in visibilitate reditus ad iudicium, sed in unione hypostatica eamdemque secuta Christi ad dextram Patris exaltatione ubique statuat.

§. XXX. Idipsum, quod scilicet *Christus secundum humanam naturam iudicium sit administraturus*, nobiscum docent pii veteres. Cyprianus in serm. de adscens. *Humilitas carnis nostrae throno iudicatorio honorata est.* Cyrillus lib. II. in Ioh. c. 140. *In quantum verbum Dei & Deus est, hanc potestatem habet naturaliter, in quantum autem homo factus est, accepisse se hanc potestatem aperte profitetur;* & lib. eiusdem c. 144. *Christus causam subiecit, quare potestatem iudicii a Patre sibi traditam dixerit, addens, quia Filius hominis est, ut intelligamus omnia sibi data esse ut homini.* Augustinus lib. I. de Trin. c. 13. *Filius hominis iudicaturus est, nec tamen ex humana potestate, sed ex ea, qua Filius Dei est.* Et rursus: *Filius Dei iudicaturus est, nec tamen in ea forma adparens, in qua Deus est aequalis Patri, sed in ea, qua Filius hominis est &c.* Et postea: *quid nos prohibet mirari, nisi illud,*

lud, quod revera miratur omnis, qui non intelligit, ut ideo diceret, Patrem dediſſe ei poteſtatem iudicium facere, quia Filius hominis eſt, cum magis quaſi hoc exſpectaretur, ut diceret, quoniam Filius Dei eſt. Sed quia Filium Dei ſecundum id, quod in forma Dei aequalis eſt Patri, videre iniqui non poſſunt, oportet autem, ut iudicem vivorum & mortuorum, coram quo iudicabuntur, & iuſti videant & iniqui, nolite, inquit, hoc mirari &c. ad hoc ergo oportebat, ut ideo acciperet hanc poteſtatem, quia Filius hominis eſt, ut reſurgentes omnes viderent eum in forma, in qua videri ab omnibus poteſt. Lib. eiusdem cap. 16. Cum in forma ſervi glorificata iudicantem viderint boni & mali, tolletur impius, ut non videat claritatem Dei, de qua Deus eſt, quam ſoli mundo corde videbunt. Libr. XX. de civ. Dei cap. 6. In ea forma veniet iudicaturus, in qua venit iudicandus, id quod probat ex dicto Chriſti Ioh. V. 27. dedit ei poteſtatem faciendi iudicium, quia Filius hominis eſt. In enarr. Pſalm LXXIV. Quia ut Filius hominis accepit poteſtatem iudicandi, ideo ait in evangelio, dedit ei poteſtatem faciendi iudicii, quia Filius hominis eſt, ſecundum quod Filius Dei nunquam accepit poteſtatem iudicandi, quia nunquam caruit poteſtate iudicandi. Tractat. XXI. in Ioh. Pater omne iudicium dedit Filio. Hoc dictum eſt, quia hominibus in iudicio non adparebit, niſi Filius, Pater occultus erit, Filius manifeſtus. In quo erit Filius manifeſtus? in forma, qua adſcendit, nam in forma Dei cum Patre occultus eſt, in forma ſervi hominibus manifeſtus. Non ergo Pater iudicat quemquam, ſed in manifeſto omne iudicium dedit Filio &c. Veniet in forma humana, quam videbunt & impii, videbunt ad dextram poſiti, videbunt ad ſiniſtram ſeparati. Ibidem: Forma iudicis Chriſti videbitur a piis & impiis, iuſtis & iniuſtis, fidelibus & infidelibus, gaudentibus & plangentibus, confiſis & confuſis. Tract. XXII. in Ioh. Secundum quod Filius eſt Dei, ſicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic & dedit Filio vitam habere in ſemetipſo; ſecundum autem quod Filius hominis eſt, poteſtatem dedit ei iudicium faciendi &c. Secundum hoc accepit poteſtatem iudicandi, quia Filius hominis eſt; nam ſecundum quod Filius Dei eſt, ſemper habuit hanc poteſtatem, accepit qui reſuſcitatus eſt, accepit qui natus eſt, accepit qui crucifixus eſt. Serm. LXIV. de Verb. domin. Iudex hic erit Filius hominis, forma illa hic iudicabit, quae iudicata eſt &c. Sedebit iudex, qui ſtetit ſub iudice. Damnabit veros reos, qui factus eſt falſus reus. Ipſe veniet, forma illa veniet. In libr. L. homiliarum, homil. XXII. Quod dicit, dedit ei iudicium facere, pro parte carnis, quam adſumſit, dediſſe Patrem Filio iudicium dici cognoſcimus. Et futurum iudicium hic ſignificat, in quo adſtabit Ieſus Chriſtus, & reddet unicuique ſecundum opera eius. Proſper in ſent. Auguſt. ſent. 337. Ipſa (natura) erit iudex, quae ſub iudice ſtetit, ipſa iudicabit, quae iudicata eſt, ut videant impii eius gloriam, in cuius manſuetudinem fremuerunt. Talis ergo adparebit iudex, qualis videri poſſit ab iis, quos coronaturus, & ab iis, quos damnaturus eſt. Pater autem non adparebit, quia forma ſervi non eſt indutus, ſed Filio, qui etiam homo factus eſt, dedit iudicii poteſtatem. Rabanus in Pſalm LXXXV. Ipſe videbitur terribilis, qui viſus eſt contemtibilis, demonſtrabit in iudicio potentiam, qui oſtendit in cruce patientiam. Cæſarius homilia XXVII. In illo corpore iudex veniet, quod pro noſtra ſalute ſuſceptum, pro noſtra abſolutione natum, & pro noſtrorum vulnerum medicina lancea clavisque confixum eſt. Theodoretus in Pſalm II. Ut Deus, innatum habet imperium; ut homo, decreto accepit. Alcui-

nus lib. III. de Trinit. cap. 18. in principio: *Ipse Dominus de potestate, quam habet ex aeterno cum Patre, & de potestate, quam accepit ex tempore in forma servi, sic ait: Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso, & potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est. Genuit itaque Deus Pater Filium vitam & potestatem in semetipso habentem. Dedit etiam potestatem eidem Filio iudicium facere, qui in forma servi factus est homo.* Thomas in comp. theol. tract. II. cap. 57. *Quia potestas iudiciaria ad Christi exaltationem pertinet, sicut & resurrectionis gloria, ideo Christus in iudicio adparebit non in humilitate, quae pertinebat ad meritum, sed in forma gloriosa ad praemium pertinente.* Ex Calvinianis Tilenus part. II. disput. LXVII. thes. 5. *Auctoritas illa ac potestas iudiciaria, quae est in Deo per naturam, in Christo, qua homo est, per gratiam* (unionis & exaltationis) th. 6. *nec iudicabit Christus ut iudex delegatus, sed omnino ut principalis, quia θεανθρωπος.*

§. XXXI. Damnamus igitur *Agnoëtas*, qui Christum diem iudicii ignorare docebant. Duo autem fuere Agnoëtarum genera, quidam dicebantur *Phartolatrae*, qui non divinitati, sed *animae Christi* ignorantiam novissimæ diei tribuebant, de illis agit Nicephorus lib. XVIII. histor. eccles. cap. 50. *Agnoetae, qui & Severitae dicuntur, docent, Deum quidem Verbum omnia nosse, humanitatem vero secundum subsistentiam ei unitam per multa ignorare, nescire sane horam & diem mundi totius consummationis, utpote Patre minorem.* Quidam vero ipsi *divinitati* illam ignorantiam tribuebant, de quibus agit Rabanus libro II. de institut. clericor. cap. ultim. Urgebant utrique dictum Christi, Marc. XIII. 32. *De die illa nemo novit &c.* Resp. 1) Non agitur de divina Christi natura, sed de humana. Cyrillus libr. IX. thesauri cap. 4. *Ignorat ut homo.* Nazianzenus oration. XXXVI. γινωσκει ως ο θεος, αγνοειν δε φησιν ως ανθρωπος. 2) Et quidem considerata in essentialibus suis principiis, non autem quatenus καθ' υποστασιν unita est ipsi λογω omniscio. Gregorius lib. VIII. epist. 42. circa medium: *Incarnatus unigenitus in natura quidem humanitatis novit diem & horam iudicii, sed tamen hunc non ex natura humanitatis novit, quod ergo in ipsa novit, non ex ipsa novit &c.* Damascenus libr. III. orthodox. fid. cap. 21. *Humana natura substantioliter non obtinet futurarum cognitionum, Domini autem anima propter ipsam ad Verbum unionem & hypostaticam identitatem dives facta est cum reliquis signis etiam futurorum cognitione.* 3) De statu exinanitionis sermo est, non de statu exaltationis. 4) Nomen Patris non opponitur Filio, qui est *in sinu Patris*, Ioh. I. 18. *& novit omnia*, XXI. 17. nec Spiritui sancto, qui *scrutatur profunditates Dei*, 1 Cor. II. 10. sed angelis & hominibus, ut ipse textus ostendit. 5) Unde Patris nomen *essentialiter* potius quam *personaliter* hic accipitur. 6) Plerique ex veteribus addunt, Christum profiteri, quod ignoret diem iudicii, non ratione *personae* sed *officii*, quia non erat missus, ut revelaret eum hominibus in suo ministerio, qua de interpretatione infra plenius differemus. 7) Christus signa iudicium proxime antegressura manifestat, ipsique data est potestas iudicium faciendi, quomodo igitur absolute & simpliciter tempus iudicii ignoraret? 8) Gregorius d. l. sic progreditur: *quisquis Nestorianus non est, Agnoeta esse nullatenus potest. Qui ipsam Dei sapientiam fatetur incarnatam, qua mente valet dicere, esse ali-*

aliquid, quod Dei sapientia ignoret? Scriptum est: In principio erat Verbum, omnia per ipsum facta sunt. *Si omnia, procul dubio etiam dies iudicii & hora. Quis ergo ita desipiat, ut dicere praesumat, quia Verbum Patris fecit quod ignorat? Scriptum est:* sciens Iesus, quia omnia dedit ei Pater in manu. *Si omnia, profecto & diem iudicii & horam. Quis ergo ita stultus est, ut dicat, quia accepit Filius in manibus, quod nescit?* Eodem fere modo Ambrosius in comm. Luc. XVII. *Quomodo non dedit Pater cognitionem temporis Filio, cui dedit ipsius iudicii potestatem? quomodo Filius nescire potest, quod Pater novit, cum in Patre sit Filius, & Spiritus scrutetur etiam alta Dei, cum ipse Filius sit altitudo divitiarum sapientiae & scientiae Dei? Magis ergo dictum hoc secundum Filium hominis aestimemus, quia temporum finem non per naturam hominis, sed per naturam Dei novit.*

§. XXXII. Cæterum ex eo, quod Christus non solum secundum divinam, sed etiam secundum humanam naturam iudex sit futurus, *πορισματικως* colligimus, Christum secundum humanam naturam esse 1) *omniscium*. Cum enim non solum de operibus externis, sed etiam de cogitationibus internis iudicium sit instituendum, adeoque *abscondita tenebrarum illuminanda, & cordium cogitationes manifestandae;* 1 Cor. IV. 5. utique in futuro iudice requiritur omniscientia. Eam vero Christo ut homini competere, non solum ex munere iudiciario, sed etiam ex aliis documentis in medio exinanitionis statu editis adparet. Ioh. II. 25. *Non erat ei opus, ut quis testimonium perhibeat de homine, ipse enim sciebat, quid esset in homine.* Matth. IX. 2. *Videt in corde latentem fidem baiulorum & paralytici*, v. 4. *videt cogitationes scribarum*, Ioh. XVI. 19. *cognoscit interius apostolorum propositum, quod velint eum interrogare*, XXI. 17. *novit omnia*, Col. II. 3. *in ipso omnes thesauri sapientiae & scientiae reconditi* dicuntur. At si in medio exinanitionis statu omniscientiae radios in adsumta natura & per adsumtam naturam exserere potuit, quanto magis in statu exaltationis, & cumprimis in die iudicii lux omniscientiæ pleno fulgore per carnem & in carne ipsius relucebit? *Erit ibi nuditas in publicatione, veritas in manifestatione*; inde notanter dicit apostolus Rom. II. 16. quod *Deus in novissimo die iudicaturus sit occulta hominum per Iesum Christum.* 2 Thessal. I. 8. impii dicuntur exitium daturi *απο προσωπου κυριου a facie Domini*, cui nihil occultum vel absconditum. Apoc. II. 23. *Scient omnes ecclesiae, quia ego sum scrutans corda & renes, & dabo unicuique vestrum secundum opera sua.* Nazianzenus Christum vocat *παντεπισκοπον και παντεποπτην.* 2) *Veracem & iustum*, quia iudicium illud vocatur *δικαιοκρισια*, Rom. II. 5. ac iudex ipse vocatur *ο δικαιος κριτης*, 2 Tim. IV. 8. iudicabit enim *εν δικαιοσυνη*, Act XVII. 31. *ανευ απροκρισεως και προσκλισεως* adeoque *ανευ προσωπολημψιας*, Matth. XXII. 16. id quod vel maxime in quo iudice tam ecclesiastico quam politico requiritur 1 Tim. V. 21. Ut ergo in novissimo illo & universali iudicio fulgebit Christi sapientia *in omnium etiam occultissimorum manifestatione*, ita quoque conspicietur iustitia *in causae cognitione & diiudicatione.* 3) *Omnipotentem*, quia mortuos iudicio sistendos verbo potentiæ suæ ex sepulcris *evocabit*, Ioh. V. 29. evocatos una cum illis, quos dies novissimus deprehendet vivos, solo nutu ad tribunal suum *congregabit*, Matth. XXIV. 31. congregatos in duas partes,

oves scilicet ab hœdis ut fidelis pastor secernendo, *segregabit*, Matth. XXV. 32. electos ad dextram, damnatos ad sinistram *collocabit*, v. 33. ac sententiam definitivam sine ulla mora in utrisque *executioni mandabit*, v. 34. & 41. quæ omnia divinæ & infinitæ potentiæ sunt effecta; inde dicitur venturus μετα δυναμεως πολλης, Matth. XXIV. 30. ac impii dicuntur exitium passuri, quando Christus in propria persona *cum gloriosa potentia* ad iudicium veniet, 2 Thess. I. 9. Quamvis vero ad quædam ex illis peragenda angelorum ministerio utetur, Matth. XIII. 41. XXIV. 31. 1 Thess. IV. 16. illud tamen non *necessitatis vel indigentiae*, sed *maiestatis & dominii* in angelos declarandi causa fiet. 4) *Omnipraesentem.* Quando enim Filius hominis *veniet in nubibus cœli*, tunc nihilominus *sedebit super sedem maiestatis suae & a dextra virtutis*, Matth. XXIV. 30. XXV. 31. XXVI. 64. ergo dextra Dei non est aliquis finitus ac determinatus in cœlo locus, alias Christus in nubibus ad iudicium veniens non amplius ad dextram Patris sederet, sed est infinita potestas & dominium præsentissimum in cœlo ac terra, unde vocatur *dextra virtutis*, Luc. XXII. 69. *dextra maiestatis*, Hebr. I. 3. Cyrillus lib. XII. thesauri cap. 14. *Quando de Deo sedere & sedes aut solium dicitur, nihil aliud intelligitur nisi principatus & regia potestas, quam naturaliter super omnes habet creaturas &c.* Quare cum Christus iudex ad infinitam, ubique præsentem & efficaciter omnia moderantem Dei dextram sit evectus, inque ea dicatur sessurus, quando in nubibus ad iudicium veniet, utique ergo in cœlo ac terra secundum utramque naturam præsens omnia administrat. Præterea de Christo iudice dicitur, quod *omnis oculus eum sit conspecturus*, Zachar. XII. 10. Matth. XXIV. 30. Apoc. I. 7. ac proinde videbunt eum homines, quotquot tribunali eius sistentur, tam impii quam pii. Atqui si Christus cum corpore suo glorificato, τω λογω personaliter unito & ad dextram Dei evecto ea ratione ad determinatum ac corporalem locum esset adstrictus, ut non possit nisi in uno loco adesse ac conspici, quo omnes homines multitudine innumerabiles etiam ipsi antipodes in uno illo loco vix quinque vel sex ulnas ratione longitudinis adæquante simul ac semel ipsum intueri possent. Denique Christus in nubibus cœli e sublimi veniens ab omnibus conspicietur; atqui si sedes illa maiestatis, in qua Christus ad iudicium veniens sedebit, tot milliarium διασημασι a terris est remota, quomodo omnes homines uno eodemque intuitu ipsum videre poterunt. Videbunt omnes Christum αυτοπροσωπως, & audient eum αυτοφωνως, nulla ergo localitas, nulla corporis circumscriptio impedimentum obiiciet, quo minus omnes & singuli homines & iudicem visuri & sententiam definitivam ab ipso audituri sint, plures igitur præsentiæ modos habet, quam localem, naturalem & physicum. 5) Προσκυνητον *adorabilem.* Esai. XLV. 23. *In metipso iuravi, quia mihi curvabitur omne genu, & iurabit omnis lingua*, hunc locum Paulus Roman. XIV. 11 & Phil. II. 10. adcommodat ad Christum ad iudicium venturum. Ergo Christo cultus & honor adorationis deferendus, non tantum secundum divinam, sed etiam secundum humanam naturam in ipsa τω λογω υποστασει subsistentem. Sic ergo concludimus: secundum quam naturam potestas faciendi iudicium Christo competit, secundum eamdem cultus λατρειας ipsi debetur. Atqui non tantum se-

secundum divinam, sed etiam secundum humanam naturam potestas faciendi iudicium illi competit. Ergo non tantum secundum divinam, sed etiam secundum humanam naturam cultus λατρειας & religiosæ adorationis ipsi debetur. Ephremius libr. de vera pœnit. cap. 4. *Videbimus adsistere omne mortalium genus a primo Adam usque ad ultimum hominem omnesque in faciem cadentes & Christum adorantes.* 6) *Divina maiestate & gloria infinita praeditum.* Veniet Christus iudex non amplius ut in primo adventu in *humilitate*, sed εν δοξη αυτε *in gloria & maiestate sua*, Matth. XXV. 31. Irenæus lib. IV. adv. hæres. cap. 56. *Duos Christi adventus omnes adnunciarunt prophetae, unum quidem, in quo homo in plaga factus est sciens ferre imbecillitatem, in pullo asinae sedens & reprobatus lapis aedificantibus, & sicut ovis ad victimam adductus; secundum autem, in quo super nubes veniet, superducens diem, quae est sicut clibanus ardens.* Veniet hic iudex μετα δυναμεως και δοξης πολλης, Matth. XXIV. 30. Luc. XXI. 27. *sedebit super thronum* δοξης αυτε, Matth. XXV. 31. & Christi adventus vocatur αποκαλυψις της δοξης, 1 Petr. V. 1. Ne quis vero existimet, hanc esse finitam duntaxat maiestatem & gloriam, ideo diserte dicitur, quod venturus sit *in gloria Patris*, εν δοξη τε Πατρος αυτε, Matth. XVI. 27. Marc. VIII. 38. εν δοξη αυτε και τε Πατρος, Luc. IX. 26. in tali gloria, quæ est ipsi cum Patre communis; iam vero nemo dubitat, gloriam Patris esse vere divinam & infinitam gloriam. Ergo etiam Christus in gloria vere divina & infinita ad iudicium veniet, in ea scilicet gloria, quam secundum Deitatem *apud Patrem habuit, antequam mundus fieret*, & quam secundum humanitatem per unionem personalem & exaltationem ad Dei dextram a Patre accepit, Dan. VII. 14. Ioh. XVII. 5. 2 Petr. I. 17. unde *sedenti in throno & agno*, hoc est, *Patri & Filio* una atque æqualis gloria a beatis in cœlo defertur Apoc. V. 13. Veniet ille iudex *cum magna potentia*, quia opera magnæ potentiæ, divinæ scilicet & infinitæ perficiet, resuscitabit mortuos, iudicabit omnes homines, salvabit pios, damnabit impios, quid hisce operibus maius aut divinius esse possit? Veniet etiam *cum magna maiestate & gloria*, quia veniet in nube fulgentissima, in corpore splendidissimo ipsos solis radios luce sua exuberante, veniet comitatus angelorum myriadibus &c. Maiestas illa iudicis vere & mere divina elucet, tum ex *glorioso adventu*, tum ex *angelico comitatu*, tum ex *regali conspectu*. Erit hic adventus non novæ *redemtionis*, nec *sanctificationis*, sed *glorificationis*; veniet Christus non solum *vere & visibiliter*, sed etiam *gloriose & sublimiter*; veniet gloriosus ad pios glorificandos. Confer Apoc. XIX. 11. & seqq. ubi gloriosus ille Christi ad iudicium adventus describi videtur. Non est, quod quis regerat, *Christum etiam diti venturum in gloria angelorum*, Luc. IX. 26. iam vero constat, gloriam angelorum non esse vere divinam & infinitam, ergo nec Christi gloriam vere divinam & infinitam esse. Quomodo enim Christus venturus sit in gloria angelorum, illud patet ex aliorum scripturæ locorum collatione. Matth. XXIV. 30. *Veniet Filius hominis in nubibus cœli cum virtute & maiestate magna*, v. 31. *& mittet angelos suos.* XXV. 31. *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis.* At hanc sedem maiestatis, quæ nihil aliud est, quam ipsa Dei dextra, non habebit cum angelis communem; *cui enim*

angelorum unquam dixit Pater: sede a dextris meis? Heb. I. 13. Venturus ergo dicitur Filius hominis *in gloria* vel *cum gloria angelorum*, quia angeli adparitores erunt ministri ac testes divinæ illius gloriæ, in qua iudex conspicietur. Alia est gloria angelorum, alia hominum beatorum, alia cœli novi ac terræ novæ, sed hic omnibus gloria Christi maior erit, quippe quæ cum Patre ipsi communis. Ambrosius libr. III. de fid. cap. 7. *Quid est & sanctorum angelorum, nisi quod honorantur & servi Domini?* At si vel maxime statuamus, Christum eo sensu dici venturum in gloria angelorum, quod gloriam illam, in qua & cum qua ad iudicium veniet, certa ratione cum angelis sit habiturus communem, tamen ab inclusione gloriæ finitæ, habitualiter Christo secundum humanam naturam competentis, ad exclusionem gloriæ infinitæ, personaliter ipsi ut homini communicatæ, non procedit consequentia. Quod si enim finita duntaxat gloria inter gloriam Patris cœlestis & angelorum intermedia Christo competeret, tum Christus verba sua sic informasset, quod venturus sit *in gloria Patris & sua & sanctorum angelorum*; iam vero gloriam suam, cum qua & in qua se venturum adserit, primo loco ponit & Patris ac angelorum gloriam eidem subiungit, ne quis ullam inæqualitatem ac dissimilitudinem inter Patris & Filii gloriam cogitaret.

§. XXXIII. *Antithesis.* Antithesis. Circa hoc doctrinæ cœlestis caput de causa efficiente principali extremi iudicii a veritatis tramite aberrant: I) *Mahumetani* negantes, Christum futurum esse in die novissimo iudicem. Mahummet in alcorano azoar. V. nugatur, quod *Deus liberavit Christum ab incredulis, & supposuit eos, qui secuti sunt eum, eis, qui non crediderunt verbo eius usque ad diem publicae resurrectionis, & quod tunc Deus ad seipsum reditu Christi facto controversiam eius ac litem discutiet. Et finis est sententiae eius ibidem, quod Iesus Christus circa tempus iudicii sit moriturus, & sicut alii homines resurrecturus, quod tunc Deus discutiet controversiam eius*, quæ verba leguntur in fortalitio fidei libr. IV. considerat. V. fol. 207. In azoara XLIX. Christum non iudicem, sed *testem iudicii* facit. Huc referri potest, quod Damascenus in libr. de hæresibus in hæresi *Ismaelitarum* sive *Agarenorum* p. 586. commemorat, Mahumetem inter reliquas blasphemias de Christo commemorare, quod, *cum in cœlum perveniisset, a Deo interrogatus fuerit, an Dei Filium se esse dixisset, qui responderit: Domine sis placato in me animo. Scis hanc meam orationem non fuisse, meque tuam non fastidire servitutem, homines sunt isti, qui contra leges hoc me dixisse arguerunt, falsoque me circumvenerunt crimine, & vehementer errarunt: Deum vero haec vult ei respondisse, scio hanc tuam non fuisse orationem &c.* Hanc enim Christi causam in iudicio discutiendam impostor blasphemat. II) De *Davide Georgio*, Holando haeretico pestilentissimo, Basilienses in historia de ipsius vita & morte scripta commemorant, quod inter alias blasphemias docuerit, *se esse verum illum Davidem divinitus promissum ac extremis hisce temporibus missum, ut regnum Israëlis restitueret, Iacobique tabernaculum instauraret, seque esse illum, qui in extremo iudicio totum mundum sit iudicaturus.* III) *Pontificii* Christo iudici b. Mariam tum ut potestatis αυτοκρατορικως iudicium ferendi participem, tum ut piorum patronam,

nam, mediatricem ac liberatricem adiungunt. Ioh. Osorius tom. I. conc. p. 166. *Vero Christo a Maria separatio non convenit. Sicut enim Christus ut Deus a Patre separari non potest, quia unum sunt, ita suo modo ut homo a matre separari non vult, quia illa illi est omnia.* Tom. IV. p. 39. *Sicut unice dilecto solet rex chirographa dare nomine suo subscripta, ut scribat, quae ei placuerunt, & eis utatur pro libito, sic Mariae innumera alba, ut ita dicamus, chirographa data sunt, ut quae Dei sunt, pro libito donet.* Pag. 40. fingit Christum dixisse daemoni Brigittæ filium Carolum post mortem accusanti: *mater mea in regno meo principatur, non ut alii electi, sed tanquam mater regina & domina, & potest dispensare in legibus a me latis, cum iusta intercesserit causa.* Vincent. Ferrarius de Valentia, qui floruit circa annum Christi 1455. & interfuit concilio Constantiensi in opusculo de fine mundi, quod habetur in centenariis Wolffii part. I. pag. 838 narrat ex legendis Dominici & Francisci, *Deum propter peccata mundi tres lanceas aliquando contra mundum vibrasse, quae demonstrabant tria, videlicet antichristi persecutionem, mundi conflagrationem & diem iudicii, sed beatam Mariam obtinuisse unam modicam dilationem super finem mundi a filio suo, ut scilicet exspectaret praedicationem ordinum SS. Dominici & Francisci, qui praedicarent prius per mundum, ut gentes converterent.* Sebast. Barradius tom. I. comm. evangel. pag. 328. *In cœlo astrologi inter leonem & libram virginis signum interponunt, nos vero inter leonem de tribu Iuda, id est, Christum in hora mortis iudicem & libram illam iudicii terribilem, qua omnes cogitationes nostrae, opera, verbaque examinantur, non virginis signum, sed virginem ipsam, iudicis matrem multis precibus advocatam interponamus;* ac precationem eiusmodi ad Θεοτοκον directam addit: *in terribili die iudicii ab aeterna damnatione me libera.* Contra vero, quod Christo, quia & quatenus est Filius hominis, potestas iudicium faciendi dicitur data Ioh. V. 27. id Bellarminus lib. III. de incarnat. cap. 16. in resp. ad 5. argum. sic depravat, quod *agatur de potestate iudicandi, non quomodocunque, sed exterius & sensibiliter, quia enim,* inquit, *iudex hominum in exteriori iudicio debet videri a iudicandis, ideo non Deus Pater, qui est invisibilis, iudicabit, sed iudicium dabit Filio, qui propter carnem adsumtam factus est visibilis?* quæ omnia eo spectant, ne dona vere divina & infinita, quale est potestas αυτοκρατορικως iudicium ferendi, Christo secundum humanam naturam data esse, concedere cogatur. Sed *resp.* Christus expresse dicit, quod Pater sibi dederit πασαν κρισιν v. 22. Ergo εξουσια ποιειν κρισιν non externum duntaxat actum, nec partem duntaxat iudicii, multo minus externum duntaxat adiunctum, visibilitatem scilicet iudicis, sed omnes ac singulos iudicii actus complectitur. Si humana Christi natura nulla alia ratione ad partes iudicii peragendas concurreret, quam quod exterius videatur & audiatur, quorsum *potestatem faciendi iudicium sibi datam* Christus diceret? quorsum Filius hominis *cum potentia & maiestate* diceretur venturus? Bellarminus humanitatem Christi οργανον iudicii αεργον statuens easdem cum Calvinianis tibias inflat, quia IV.) *Calviniani* multis modis gloriæ Christi hominis mundum iudicaturi detrahunt. Admonitio Neostad. de form. concord. p. 21. *Humana Christi natura de cœlo descendet in nubes, conspicietur in gloria testante in ea habitantem Deitatem, & feret sua voce sententiam extremi iudicii, divina inspiciet & manifestabit*

bit omnium corda & conscientias, dictabit & exsequetur sua potentia latam sententiam. Hoc vero est aperte *νεφοριανιζειν.* Quod si enim non humana sed divina duntaxat natura dictabit & exsequetur latam sententiam, quomodo humana natura in personæ unitatem a *λογω* dicetur adsumta, quomodo opera officii Christo secundum utramque naturam competere dicenda? quomodo Christo, quatenus est Filius hominis, potestas iudicium faciendi erit data? Certe per hanc hypothesin nihil aliud Christo homini relinquitur, quam nuda sententiæ decisivæ promulgatio, qualis per notarium aut secretarium aut alium ministrum in iudiciis fieri consuevit, quod ipsimet adversarii non dissimulant, ut adparet ex pag. 23. quin imo humana Christi natura statuitur velut quædam arundo, per quam sonus transmittitur, ac potestas *κριτικη*, activa auctoritas iudiciaria ipsi revera penitus adimitur, ut colligitur ex illis, quæ Sadeël lib. de verit. human. natur. p. 148. & Anhaldini contr. theol. elector. argument. XLII. disputant. Danæus in exposs. symb. pag. 138. *exsecutionem duntaxat iudicii* Christo homini relinquit. Polanus in synt. lib. VI. cap. 69. pag. 516. *Occulta hominum scire & producere est Deitatis, ferre sententiam etiam humanae naturae. Potentia efficax vel ad vitam vel ad mortem, rursum Deitatis est.* Omniscientia & omnipotentia Christo ut Deo competit per naturam, ut homini per unionis gratiam, ut Deo per æternam a Patre generationem, ut homini per hypostaticam unionem & maiestaticam ad dextram Patris collocationem, proinde omniscientia & omnipotentia non erat adsumtæ Christi naturæ in actu iudicii deneganda. Bucanus in instirut. theol. loco XXXVIII. quæst. 7. p. 429. recte quidem scribit, quod *potestas iudiciaria conveniat Christo secundum quod homo, & non tantum secundum quod Deus est*, addita ratione, *quia Pater dedit ei potestatem iudicium facere, quia Filius hominis est, non quidem propter conditionem naturae humanae, nihil enim prohiberet omnes homines iudices esse, sed propter conditionem gloriae, quae consequitur personalem unionem divinae & humanae, quia in natura humana est caput totius ecclesiae*, Ephes. I. 22. *& pedibus eius Deus omnia subiecit*, Col. I. 18. Sed quod una manu dat, altera vicissim eripit, quando q. 5. pag. proxime præcedente, *Christum quatenus hominem causam efficientem administram iudicii* statuit, cui adsertioni hunc syllogismum opponimus: is, cui potestas faciendi iudicium data, non est causa iudicii administra sed principalis, quia potestas *αυτοκρατοριαν* non autem *διακονιαν*, dominium non ministerium complectitur. Christo ut homini data est potestas faciendi iudicium, docente Christo Ioh. V. 27. & fatente Bucano d. l. Ergo Christus etiam ut homo non est causa iudicii administra sed principalis. Qui est *θεανθρωπος* & iudex *principalis, non delegatus*, a cuius sententia nulla datur provocatio, quique talem potest proferre sententiam, cui divinum & omnipotens robur in exsecutione est coniunctum, ille non est causa efficiens iudicii administra sed principalis. Atqui Christus est *θεανθρωπος* &c. Ergo. Quando p. 429. subiungit, *potestatem iudiciariam ea ratione Christo competere, quia ex refluentia divinitatis ad animam Christi convenit ei cognoscere & iudicare occulta cordium.* Contra quam hypothesin sic concludimus: quod Christo ut homini per & propter unionem personalem competit, eius causa non est quærenda in quadam refluentia vel influentia divinitatis ad animam. Ratio est, quia illa

illa refluentia vel influentia Christo ut homini cum reliquis prophetis, quibus Deus arcana revelavit, est communis. Iam vero omniscientia per & propter unionem personalem Christo ut homini competit. Ergo si Bucanus per influentiam divinitatis in Christi animam intelligit ipsam communicationem omniscientiæ vi hypostaticæ unionis factam; cur non agnoscit nobiscum, Christo secundum humanam naturam dona vere divina & infinita esse communicata? Sin finitam aliquam scientiam Christo ut homini per influentiam illam datam esse statuit, nondum vere & ex animo credit, nec ανυποκριτως confitetur, potestatem iudiciariam Christo ut homini datam, quia ad δυναμιν κριτικην requiritur occulta cordium inspicere, quod est opus vere divinæ & infinitæ scientiæ, cum in scripturis divina & infinita scientia sic describatur, quod per eam Deus *corda & renes probet, occulta tenebrarum intueatur*, & in clarissima omniscientiæ suæ luce occultissima quæque conspiciat. Denique quando pag. eadem concludit, *Christo, non modo quatenus Deus unus est cum Patre, sed etiam secundum humanam naturam potestatem iudiciariam competere propter convenientiam & adfinitatem ipsius ad homines, deinde ut iudicandi videant ipsum iudicem.* Atqui in priori Bucanus sibi contradicit. Si enim *potestas iudiciaria non est Christo data propter conditionem naturae humanae*, propterea quia alias omnes homines forent iudices, utique etiam potestas iudiciaria non est ipsi data propter convenientiam & adfinitatem ipsius ad homines, quia per ipsam conditionem naturæ humanæ convenientia & adfinitas Christo ad homines competit. In posteriori verum quidem dicitur, sed insufficiens causa adfertur, non enim propterea duntaxat potestas κριτικη Christo ut homini data dicitur, quia in iudicio ab omnibus videbitur, sed etiam ac vel maxime propterea, quia Christus ut homo veniet *cum potestate & gloria magna*, per quam mortuos ex sepulcris excitabit, omnes gentes ad tribunal suum congregabit, & sententiam definitivam tam impiis quam piis latam potentissime exsequetur, quæ omnia divinam omnipotentiam Christo secundum humanam naturam esse datam evincunt.

§. XXXIV. Quæritur hoc loco 1) *An reditus Christi ad iudicium contradictorie opponatur eiusdem in terris praesentiae secundum utramque naturam?* Adfirmant Calviniani, unde non verentur nobis tribuere, quod per hypothesin omnipræsentiæ principalem illum christianæ fidei articulum de *reditu Christi ad iudicium* evertamus, vel saltem labefactemus, ut vidimus superius. Resp. vero 1) Articuli fidei non sunt sibi invicem opponendi, sed simplicis fidei obedientia accipiendi. Scriptura utrumque testatur, *Christum redituram ad iudicium*, & *Christum vero corpore & sanguine suo in sacra cœna nobis esse praesentem*; utrumque igitur fides christiana in verbo Dei simpliciter & humiliter adquiescens amplecti debet, si vel maxime rationi nostræ hæc videantur contradictoria. 2) Reditus Christi ad iudicium non opponitur absolute & simpliciter totius personæ præsentiæ, alias ne quidem secundum divinam naturam nobis in his terris adesset, sed certo duntaxat præsentiæ modo, ut docent angeli Act. I. 11. *Hic Iesus, qui a vobis adsumtus est in cœlum*, ειτως, *sic veniet*, ον τροπον, *quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Idem ergo

Quaeritur I) An reditus Christi ad iudicium opponatur eiusdem in terris praesentiae?

Christus Iesus, qui ad dextram Dei evectus vi promissionis suæ *est in medio eorum, qui in nomine suo congregati sunt*, Matth. XVIII. 20. qui est *nobiscum usque ad consummationem seculi*, XXVIII. 20. qui *omnia in omnibus implet*, Ephes. I. 23. IV. 10. qui *ambulat in medio candelabrorum aureorum*, id est, ecclesiarum, Apoc. I. 13. *invisibiliter*, scilicet *quia non videtur a nobis*, 1 Petr. I. 8. & in ipsa Dei dextra ubique præsentissime ac potentissime dominante; idem in die novissimo visibiliter ad iudicium rediturus est, seque omnibus conspiciendum exhibiturus, Apoc. I. 7. 3) Quid quod Christus ipse invisibilem & maiestaticam illam præsentiam, qua nobis in terris præsens est, visibiliter aliquando demonstravit, quia Paulus Act. IX. 17. *eum vidit*, ita quidem, ut eum cognosceret, XXIII. 11. & ex hac adparitione veritatem resurrectionis eius probaret, 1 Cor. XV. 8. Stephanus *vidit eum stantem a dextris Dei*, Act. VII. 55. Iohannes vidit eum *in medio candelabrorum aureorum* sive ecclesiarum, Apoc. I. 13. ergo visibilis ad iudicium reditus ne quidem visibilem in terris præsentiam absolute & simpliciter excludit. 4) Inde secundus ille Christi ad iudicium adventus non tantum vocatur παρουσια, sed etiam επιφανεια της παρουσιας, 2 Thess. II. 8. επιφανεια της δοξης Tit. II. 13 επιφανεια τυ χριστυ, 1 Tim. VI. 14. 2 Tim. IV. 1. φανερωσις, Col. III. 4. 1 Pet. V. 4. 1 Ioh. II. 28. III. 2. και αποκαλυψις, 1 Cor. I. 7. 2 Thess. I. 7. 1 Pet. I. 7. & 13. IV. 13. ac notanter dicitur, quod *beatus & solus potens Deus eum sit ostensurus*, 1 Tim. VI. 15. nimirum quia invisibiliter nobis iam ante præsens est. Adventus enim Christo homini competit ex *conditione naturae*, sed adparitio ac revelatio, quæ præsentiam præsupponit, ex *accessione gloriae*. 5) Distinctio illa inter modos præsentiæ ab ipsa scriptura nobis suppeditatur. Luc. XXIV. 44. Christus post resurrectionem ad discipulos dicit: *haec sunt, quae locutus sum vobis, cum vobiscum essem*. Atqui an non erat illis tum temporis præsentissimus? cur ergo dicit, *cum essem vobiscum*? nimirum alio præsentiæ modo Christus ipsis aderat, videlicet in corpore glorificato, alius igitur præsentiæ modus competit carni Christi, quatenus consideratur in se & physice; alius vero, quatenus consideratur ut *caro glorificata*, alius, quatenus consideratur ut *caro* Λογω *personaliter unita* & ad dextram Dei evecta. Hieronymus in Matth. XVI. *Mihi videtur Dominus in his verbis*: me non semper habebitis, *dicere de praesentia corporali, quod nequaquam cum iis futurus sit post resurrectionem, quomodo nunc in omni convictu & liberalitate*. 6) In ipsa etiam divina præsentia scriptura distinguit certos modos & gradus, ac proinde a negatione unius modi vel gradus nequaquam absolute & simpliciter ad negationem omnium præsentiæ modorum procedi potest. Sic 1 Reg. XIX. 11. Deus *non erat in vento, in terrae motu, in igne*, nec tamen absolute negatur, quod Deus per præsentiam conservationis & universalis operationis ibi fuerit, sed duntaxat hoc adseritur, quod iuxta præsentiam symbolicæ manifestationis ibi non fuerit. Exod. XXXIII. 3. dicit Dominus ad populum Israëliticum: *non descendam tecum*, ubi denegat eis præsentiam gratiæ, interim non excluditur præsentia potentiæ. Gen. XVIII. 21. dicitur Deus *descendere* per peculiarem præsentiæ manifestationem. Ioh. XIV. 23. dicitur *venire ad eos* per præsentiam gratiæ, a quibus non abest per præsentiam potentiæ.

§. XXXV. II) *An reditus Christi ad iudicium fu-*

II) *An reditus Christi ad*

iudicium futurus sit localis?

futurus sit localis? Secundus Christi adventus sic describitur, quod Christus iudex *venturus sit in nubibus cæli* & ab *omnibus conspiciendus*, ut ex scripturis ostendimus superius §. 29. ac de electis dicitur 1 Thess. IV. 17. quod *rapiendi sint in nubibus in occursum Domini in aëra.* Fatemur igitur cum b. Luthero in confessione de cœna & Brentio in libr. de unione duarum naturar. p. 81. *adventum Christi ad iudicium fore localem & visibilem;* sed addimus, eum non fore *successivum*, quasi cum tractu quodam temporis e cœlo in nubes sit descensurus, sicut in adscensione subinde altius e terris in nubes videntibus apostolis sursum fuit evectus, Marc. XVI. 19. Luc. XXIV. 51. Act. I. 9. sed *subitum ac momentaneum*, quia *dies Domini veniet ut fur in nocte*, Matth. XXIV. 43. Luc. XII. 39. 1 Thess. V. 2. 2 Petr. III. 10. Apoc. XVI. 15. *repente instar laquei superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terrae*, Luc. XXI. 34. *sicut fulgur exit ab oriente, & adparet usque in occidentem, sic & erit adventus Filii hominis*, Matth. XXIV. 27. Luc XVII 24. proinde collatio inter adscensionem Christi in cœlum & reditum eius ad iudicium, Act. I. 11. non est extendenda ultra illud tertium, in quo instituitur.

III) Qualis futura sit nubes, in qua Christus veniet?

§. XXXVI. III) *Qualis futura sit nubes, in qua Christus ad iudicium venturus?* Quidam illud, quod Christus dicitur *in nubibus venturus* metaphorice accipiunt de iudicis serenitate, vel de eiusdem severitate & implacabilitate. Quidam sic exponunt, quod venturus sit Christus *cum sanctis*, Iudæ v. 15. sicut Hebr. XII. 1. exempla sanctorum vocantur *nubes testium*, dicuntur enim sancti nubes iuxta Ambrosium libr. X. in Luc. Augustinum in enarr. Psalm LXXVIII. & Thomam in comm. Hebr. XII. tum propter *conversationis sublimitatem*, Esai. LX. 8. Philip. III. 20. tum propter *doctrinae fœcunditatem*, Iob. XXXVI. 27. tum propter *spiritualis consolationis utilitatem, ut enim nubes praestant refrigerium, ita quoque exempla sanctorum*, quam rationem tradit Chrysostomus in comm. Hebr. XII. ac *quemadmodum a nubibus procedunt pluviae, coruscationes & fulgura, sic a sanctis pluvia doctrinae, coruscationes miraculorum & fulgura comminationum oriuntur*, quæ est ratio Hugonis Cardinalis ibid. Idem Thomas disputat, quod nubes hic adpellentur *quaedam densitates lucis resplendescentes a corporibus sanctorum*, cum nullæ tunc evaporationes ex aqua & aëre sint futuræ. Sed præstat *nubium* adpellationem in sensu proprio accipere, cum in articulis fidei absque urgente necessitate a litera non sit discedendum. Qualis autem futura sit illa nubes, hominum exacte scire arbitramur neminem. Rupertus in comment. Apocal. I. *Huiusmodi nubes non erunt, quales nunc saepe videmus pluviis rorantes, terramque refrigerantes, sed procellosae, ignem spirantes & fulmina iacientes.* Thomas subiungit: *Nubes illae generabuntur virtute divina ad ostendendam* conformitatem adventus ad iudicium & adscensionis. Illud observationem meretur, quod Christus dicatur venturus non tantum *in nube* (in singulari) Luc. XXI. 27. sed etiam *in nubibus*, (in plurali) Marc. XIII. 26. *cum nubibus*, XIV. 62. Apoc. I. 7. ne unicam duntaxat nubem conspectum iri cogitemus.

§. XXXVII. IV) *Quare Christus in nubibus venturus?* Resp. 1) Nubes in scripturis nobis proponuntur tanquam regalis Dei thronus ac currus, quo vehitur, Psalm CIV. 3. *Ponis nubes currum tuum.* Esai. XIX. 1. *Ecce Dominus equitabit super nubem levem.* Christus igitur, quia a Patre potestatem faciendi iudicium accepit, ideo in administratione iudicii in paterno solio, id est, in nube sedebit. 2) Christus *nube vectus* in cœlum adscendit, Act. I. 9. iam vero *sic veniet ad iudicium, quemadmodum apostoli eum viderunt euntem in cœlum*, v. 11. Pulchre Chrysostomus in sermon. de adscens. Dom. tom. III. *Elias in curru igneo adscendit, Christus in nube. Nam quando servus vocabatur, currus mittebatur, ut veniret, at quando Filius adscendebat, dominica sedes occurrebat, nec tantum dominica, sed & paterna.* Beda in comm. Apocal. I. *Ubique creatura creatori suo praestat obsequium, astra indicant nascentem, obnubunt patientem, nubes recipiunt adscendentem, redeuntem ad iudicium comitabuntur.* 3) Cum in transfiguratione praeludium ac speculum quoddam maiestatis ac gloriae, in qua Christus ad iudicium venturus est, ederetur, *nubes lucida obumbravit eum*, Matth. XVII. 5. Marc. IX. 7. Luc. IX. 34. 4) De nube, quae se inter castra Ægyptiorum & Israëlitarum medio loco posuit, Exod. XIV. 19. interpretes statuunt, quod ex parte ea, quae Ægyptiorum exercitum respexit, fuerit tenebrosa, ex parte autem altera, qua Israëlitas attigit, lucida noctis tenebras illuminans. Sic nubes illa, in qua Christus ad iudicium veniet, piis spem fiduciae & protectionis exhibebit, impiis vero terrorem & metum incutiet. Psalm CV. 39. *Expandit nubem in protectionem eorum.* 5) In veteri testamento *gloria Domini saepius adparuit in nube*, Exod. XVI. 10. *Veniam ad te in caligine nubis*, XIX. 9. *Nubes Domini incubabat tabernaculo*, XL. 38. *Descendit Dominus in columna nubis*, Num. XII. 5. *Impleta est domus Domini nube*, 2 Paralip. V. 13. Christus igitur ad iudicium veniet in nube, ut manifestam faciat gloriam suam, ac reipsa ostendat, se esse gloriosum illum Iehovam, qui Israëlitas per desertum deduxit, & in nube ipsis adparuit. 6) Primus Christi adventus in carnem sic describitur Esai. XLV. 8. *Nubes pluant iustum*; ut ad secundum ipsius in nubibus adventum remittamur.

IV) Quare Christus in nubibus venturus?

§. XXXVIII. V) *An in forma gloriosa Christus sit adparaturus, an vero in forma servi, qualis in passione exstitit?* Hanc quaestionem movet Lombardus libr. IV. sentent. dist. 48. lit. B. ad quam respondet hoc modo: *Quidam putant, a malis talem videri, qualem crucifixerunt, quia dicit scriptura, ut videant, in quem pupugerunt*, Zach. XII. 10. *sed aperte dicit Augustinus* lib. I. *de Trinit. cap. 3. formam servi glorificatam a bonis & malis tunc videri his verbis: cum in forma servi glorificata iudicantem viderint boni & mali, tolletur impius, ut non videat claritatem Dei, de qua Deus est, quam soli mundo corde videbunt, quod erit eis vita aeterna, forma ergo humana in Christo glorificata videbitur a cunctis, unde Christus dicitur iudicaturus, quia Filius hominis est.* Haec Lombardus. Scriptura diserte dicit, *Christum venturum esse εν δοξη*, Matth. XVI. 27. *μετα δοξης πολλης*, XXIV. 30. dubitari igitur nequit, *in forma glorificata* ipsum ab omnibus conspectum iri, quia servilem & humilem formam in adscen-

V) An Christus in forma gloriosa, an in forma servi adparaturus?

scensione sua deposuit. Distinguendum tamen inter *visionem piorum beatificam* & *visionem impiorum terrificam*. Pii cum gaudio & exsultatione Christum ut redemtorem suum videbunt, impii cum terrore ac trepidatione ipsum ut iudicem conspicient.

Causa impulsiva extremi iudicii.

§. XXXIX. Ad causam efficientem iudicii extremi etiam pertinet *causa impulsiva*, tum προηγουμενη sive *interna*, tum προκαταρκτικη sive *externa*. Causa impulsiva iudicii *interna* sive προηγουμενη est tum *iustitiae divinae aequitas*, quae requirit, ut retribuatur unicuique secundum opera sua, ac proinde impii promeritas scelerum suorum poenas aliquando luant; tum *divina bonitas*, quae requirit, ut piis propter Christum Deo placentibus gratuita praemia reddantur, ac perfecta ab omnibus periculis & adversis απολυτρωσις tandem contingat; tum *Dei veritas*, quae requirit, ut oraculis prophetici & apostolici de futuro iudicio editis accedat complementum, ac firmum deprehendatur illud Christi Luc. XXI. 33. *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Causa impulsiva *externa* seu προκαταρκτικη, propter quam Christus suum ad iudicium adventum accelerabit, est tum *horribilis diaboli furor ac crudelitas*, qui crudeliter in genere humano grassatur impellendo homines ad idololatriam, caedes, libidines & alia flagitia, *cum noverit exiguum tempus se habere*, Apoc. XII. 12. tum *Epicuraea ac supina maximae partis hominum securitas*, qua libere carni suae frena laxant, 1 Thess. V. 3. quin & irrisorio animo quaerunt, *ubi nunc promissio adventus eius?* 2 Pet. III. 4. hanc diaboli rabiem & mundi securitatem, ut Christus maturius compescat, ideo adventum suum ad iudicium accelerat. Quod enim eum adhuc paululum differre videtur, id fit propter *mirandam Dei longanimitatem* qua omnes ad poenitentiam vocat & invitat, Rom. II. 4. 2 Pet. III. 9. De propinquitate iudicii sic disserit Ephremius de beatitudine anim. cap. 3. *Tanquam messis seculi finis ad metendum pervenit, & angeli accincti & praeparati falces tenent manibus, Domini exspectantes imperium.* Causam dilationis Iustinus apol. I. pro Christ. p. 35. sic exprimit: *Deus confusionem & interitum συγχυσιν και καταλυσιν totius mundi, per quem angeli & daemones & homines non amplius exstent, fieri nondum permittit propter semen christianorum, quod naturae rerum causam esse novit.* Idem in dial. cum Triph. p. 199. *Quemadmodum propter septies mille illos tum Deus iram non intulit, ad eumdem modum nunc quoque iudicium suum nondum protulit aut profert, sciens indies adhuc nonnullos disciplinam suscipere in nomen Christi & viam seductionis relinquere.* Basilius in Esai. XIII. *Ex quo die dictus est dies Domini adpropinquare, multum intercessit temporis, eius propinquitatem contestantibus prophetis omnibus, ut nemo a se excideret, quasi ob diurnam extractionem temporis possit deprehendi imparatus.*

Causae instrumentales ac ministeriales.

§. XL. Causae *instrumentales* ac *ministeriales* extremi iudicii docendi causa statui possunt: 1) *angeli sancti*, 2) *homines pii.* 1) Angelorum opera utetur Christus 1) in *honorifica deductione*, Matth. XXV. 31. *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua & omnes angeli cum eo.* Luc. IX. 26. *Veniet Filius hominis in gloria sanctorum angelorum*, comitum & adparitorum. XII. 9. *Qui negaverit me, negabo eum coram angelis*, qui mecum venient ad iudicium. 1 Thess. IV.

1) Angeli.

16. *Ipse Dominus cum iussu & voce archangeli & tuba Dei de cælo descendet.* 2 Thess. I. 7. *Cum revelabitur Dominus Iesus de cælo cum angelis potentiae suae.* Iud. v. 14. *Ecce veniet Dominus ἐν μυριασιν ἁγιαις αὐτου, cum multis angelorum sanctorum millibus;* ponitur enim indeterminate, ut ad angelos & homines sanctos referri possit. Μυριας proprie significat decem millium numerum, sive decem millia, respectus igitur haberi videtur ad Dan. VII. 10. *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia adstiebant ei, iudicium sedit, & libri aperti sunt.* Angeli sunt *spiritus potentes virtute facientes verbum Domini, sunt exercitus cælestes, ministri Dei, qui faciunt voluntatem eius,* Psalm CIII. 20. & 21. Quando igitur Christus militiæ cœlestis dux & signifer ad iudicium veniet, hanc exercitus angelici multitudinem maiestatis suæ declarandæ causa sibi adsociabit, Luc. II. 13. Apoc. XII. 7. Nec aliquot duntaxat angelis comitatus veniet, sed *omnes angeli* cum ipso erunt iuxta vaticinium propheticum Zach. XIV. 5. *Veniet Dominus Deus meus, omnesque sancti cum eo.* Ambrosius lib. III. de fid. c. 7. *Illi in obsequio, hic in gloria. Illi in comitatu, iste in suggestu. Illi stant, hic sedet, ut verbo tamen usus utamur humani: hic iudicat, illi ministrant.* In Christi nativitate, tentatione, passione, resurrectione & adscensione præsto fuerunt angeli, ac ministeria sua ipsi exhibuerunt, ut historia evangelica testatur, eccur igitur in reditu ad iudicium ipsi non adessent? *Sic veniet, quemadmodum apostoli viderunt eum adscendentem in cælum;* Act. I. 11. iam vero adscendit cum glorioso sanctorum angelorum comitatu. Ergo cum eodem etiam ad iudicium redibit. Cum in monte Sinai lex divina a Filio Dei promulgaretur, præsto erant angeli, ut colligitur ex Gal. III. 19. quando idem Dei Filius ob legis divinæ exsecutionem ad iudicium redibit, denuo aderunt angeli ac tubarum sono adventum Domini sui manifestabunt. 2) In *iudicandorum congregatione.* Matth. XXIV. 31. Marc. XIII. 27. *Mittet Filius hominis angelos suos cum tuba vocis magnae, & congregabunt electos a quatuor ventis a summis cælorum usque ad terminos eorum.* 2 Thess. II. 1. adventus Christi & ἐπισυναγωγη piorum ad ipsum coniunguntur. 3) In *congregatorum separatione,* ac piorum ad Christi iudicis dextram, impiorum vero ad sinistram collocatione. Matth. XIII. 49. *Exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum,* quod accipiendum de separatione ὑπηρετικως, *ministerialiter* consiederata; *principaliter* enim Christo eadem tribuitur, cuius imperio ac nutu omnia peragentur Matth. XXV. 32. 4) In *impiorum a Christo damnatorum ad infernum detrusione.* Matth. XIII. 41. *Mittet Filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala & eos, qui faciunt iniquitatem,* v. 42. *& mittent eos in caminum ignis.* Confer. Matth. XXII. 13. XXV. 30. Apoc. XX. 3. 5) In *piorum ad cælum subvectione.* 1 Thessal. IV. 17. *Rapiemur in nubibus in occursum Domini in aëra, & sic semper cum Domino erimus.* Ut enim piorum animas e corporibus egressas deportarunt in cœlum; sic eosdem e terræ pulvere suscitatos post latam iudicis sententiam in cœlum secum deducent, Luc. XVI. 22. Confer ea, quæ de causa instrumentali resurrectionis dicta in tract. præced. §. 65.

§. XLI. II) *Homines* pii adsessores ac testes iudicii olim futuri sunt *II) Homines.*

1) in *specie* apostoli, quibus hoc peculiariter promissum Matth. XIX. 28. *Amen dico vobis,* inquit Christus, *vos qui secuti estis*

estis me in regeneratione, cum sederit Filius hominis in throno gloriae suae, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel, quod repetitur Luc. XXII. 30. Illa vero sessio non est accipienda in sensu literali de corporea quadam sede, sed mystico, de eximia quadam gloria, quam præ reliquis sanctis in iudicio apostoli habebunt, additur enim apud Lucam: *Ego dispono vobis regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo & sedeatis super thronos &c.* iam vero illa manducatio & bibitio in regno Dei non erit corporalis sed spiritualis. Ergo etiam sessio super thronos eodem sensu accipienda. Chrysostomus homil. LXV. in Matth. *Ecce non sessum quidem esse sedes significavit, cum ipse solus in solio iudicaturus sedebit, sed honorem atque gloriam ineffabilem vocabulo* sedium *significanter expressit.* Augustinus in enarr. Psalm CXXI. *Si cœlum sedes Dei, apostoli autem cœlum, & ipsi facti sunt sedes Dei, ipsi sunt thronus Dei. Anima iusti dicitur thronus sapientiae, id est, in anima iusti sedet sapientia tanquam in sella sua, tanquam in throno suo, & inde iudicat, quidquid iudicat &c.* Theophylactus in Matth. XIX. *Num sedebunt? minime, sed excellentem honorem per sedem indicavit.* Bernhardus in declamat. *Duplex vos remuneratio manet, sublimitatis & delectationis. In sedibus enim quies imperturbata est, in iudicio dignitatis eminentia commendatur. Quis vero secularis honor excogitari potest, qui non prorsus in tantae sublimitatis comparatione vilescat?* Quidam coniungunt visionem apocalypticam Apoc. IV. 2. *Ecce thronus positus erat in cœlo & super thronum sedens.* v. 4 *Et in circuitu throni viginti quatuor throni, & super thronos viginti quatuor seniores circumamicti vestimentis albis, & in capitibus habebant coronas aureas.* Confer XI. 16. Per hos enim seniores intelligunt duodecim patriarchas in vet. ac duodecim apostolos in nov. test. per quos ecclesia fuit longe lateque propagata. Sed alii per hos seniores omnes fideles ecclesiæ doctores tam in ver. quam nov. test. symbolice significari existimant. Augustinus & Primasius in genere de omnibus sanctis accipiunt, quorum sententia robur accipit ex collatione cap. sequentis v. 9. & 10 Idem iudicium de simili visione Dan. VII. 9. *Adspiciebam, donec throni positi sunt.* Apoc. XX. 4. *Et vidi thronos, & sederunt super eos, & iudicium datum est illis.* 2) In genere omnes sancti. Esai. III. 14. *Veniet Dominus ad iudicium cum senioribus populi sui & principibus eius.* Sap. III. 8. *Iusti iudicabunt gentes impias, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum.* V. 1. *Stabunt iusti magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt* Matth. XII. 41. *Viri Ninivitae surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam.* v. 42. *Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam.* Idem repetitur Luc. XI. 31. & 32 Augustinus libr. XX. de civit. Dei cap. 5. eodem accommodat verba Christi Matth. XII. 27. Luc. XI. 19. *Filii vestri*, id est, apostoli & reliqui pii ex vestra posteritate ad me conversi, *erunt iudices vestri.* 1 Cor. VI. 2. *An nescitis, quod sancti mundum*, id est, homines mundanos & impios *iudicabunt.* v. 3. *Etiam angelos*, scilicet malos, *iudicabimus.* 1 Thess. III. 13. *In adventu Domini nostri Iesu Christi cum omnibus sanctis eius.* Iud. v. 14. *Ecce venit Dominus cum multis Sanctorum millibus*, v. 15. *facere iudicium &c.* Apoc. II. 26. *Qui vicerit, & custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes.* v. 27. *Et reget eas in virga ferrea, tanquam vas figuli confringentur* Pontificii de tempore resurrectionem antecedente hoc accipiendum esse pugnant, ut sanctorum invocationem stabiliant; sed phrasis ipsa o-

sten

ſtendit, ſermonem eſſe de extremo iudicio, quia additur, *tanquam vas figuli confringentur*, quod non fiet niſi in extremo iudicio. Lyranus in comm. h. l. *Dabo illi poteſtatem ſuper gentes in finali iudicio, in quo perfecti iudicabunt cum Chriſto, & ſic habent poteſtatem ſuper gentes iudicandas. Et reget illas virga ferrea, inflexibili iuſtitia, & tanquam vas figuli confringetur, quod tunc peccatores in infernum detrudentur.* Senſus igitur eſt, quod Chriſtus fideles participes ſit facturus victoriæ ab hoſtibus reportatæ, eosque adſeſſores iudicii in die noviſſimo habiturus, ut ex locis parallelis modo adductis colligitur. Confer tractat. de morte §. 359. Apoc. III. 21. *Qui viterit, dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno eius.* Calviniani ex hoc loco colligunt, *non poſſe ex ſeſſione Chriſti ad dextram Patris infinitam ipſius maieſtatem & omnipraeſens in cœlo ac terra dominium colligi, cum haec ſeſſio ipſi cum ſanctis ſit communis*, atqui textus manifeſte diſtinguit inter thronum *Patris*, ad quem Pater Chriſtum evexit, & inter thronum *Chriſti*, ad quem Chriſtus ſanctos evehit. In throno *Dei Patris* nullus angelorum, multo minus ſanctorum ſedet, Hebr. I. 13. ſed in throno *Chriſti* ſedent ſancti. Thronus *Patris* eſt infinita ipſius maieſtas, potentia & gloria, thronus *Chriſti* quem cum ſanctis communicat, eſt peculiaris quidam honor in iudicio & æterna in cœlis beatitudo. Ille infinitus eſt & ubique, hic finitus & in paradiſo. Ille unicus, horum vero plures, Matth. XIX. 28. Apoc. IV. 4. XX. 4. Ille æternus & increatus, hi vero dicuntur *parati*, Matth. XXV. 34. & *poſiti*, Dan. VII. 9. Senſus igitur, quod Chriſtus fideles peculiari gloria in die iudicii & vita æterna ornabit, inque regni ſui conſortium adſumit, 2 Tim. II. 12.

§. XLII. Iudicabunt autem tum in *genere* omnes ſancti, tum in *ſpecie* apoſtoli non poteſtatem iudicandi αὐτοκρατορικὴν una cum Chriſto exercendo, quia hæc poteſtas & gloria ſoli Chriſto, vivorum ac mortuorum iudici, unice competit, ſed 1) *in Chriſto capite ſuo.* Scriptura duplex corpus Chriſto tribuit, *perſonale*, quod in perſonæ unitatem a λογῳ eſt ſuſceptum, & *ſpirituale* ſive myſticum, cuius vera & viva membra ſunt omnes pii fidei ac ſpiritus unitate ipſi coniuncti, 1 Cor. XII. 12. Dupliciter enim de Chriſto loquitur, primo *abſolute*, quatenus conſideratur ut perſona una duabus naturis conſtans, ſecundo *relate*, quatenus conderatur ut caput eccleſiæ, cum qua unum corpus myſticum conſtituit. Quare cum Chriſtus ut caput eccleſiæ iudicium ſit adminiſtraturus, ideo honor capitis certa ratione etiam ad membra refertur. Sic Dan. VII 27. *regnum & poteſtas & magnitudo regni, quae eſt ſubter omne cœlum, dicitur datum iri populo altiſſimi:* intellige in Chriſto capite, ut exponitur v. 14. Epheſ. II. 5. *Deus convificavit nos Chriſto.* v. 6. *Et conreſuſcitavit & conſidere fecit in cœleſtibus in Chriſto Ieſu*, capite ſcilicet noſtro, ut exponitur cap. I. 22. pari ratione etiam ſancti iudicabunt in Chriſto, ſcilicet corporis myſtici ſive eccleſiæ totius capite. 2) *Adſiſtendo* ſive *adſidendo.* Sancti non erunt iudices principales, ſed ſummi iudicis adſeſſores, quia Chriſtus omnes ſuos & eccleſiæ ſuæ hoſtes coram tribunali ſuo in piorum, quos in hac vita adflixerunt, conſpectu ſtatuet, ut ſententiam condemnatoriam contra ipſos ferendam audiant, qua ratione piorum gloria & lætitia, impiorum vero terror & triſtitia augebitur. Sap. V. 2. *Videntes turbabuntur*

Quomodo pii ſint iudicaturi?

tur timore horribili &c. Ioel. III. 17. *Sedebo, ut iudicem omnes gentes in circuitu. 3) Adprobando*, quia ſententiam iudicis calculo ſuo adprobabunt, eidemque publica voce ſubſcribent. Apoc. XIX. 1. *Audivi quaſi vocem turbarum multarum in cœlo dicentium; Alleluia, laus & gloria & virtus Deo noſtro.* v. 2. *Quia vera & iuſta ſunt iudicia eius &c.* 4) *Teſtificando;* quia de bonis operibus piorum, cumprimis de beneficentia & liberalitate ſibi præſtita teſtimonium ferent, ut ex operum fructibus fides in corde latens toti mundo manifeſtetur. Luc. XVI. 9. *Facite vobis amicos ex mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula.* Piſcator hoc explicat de *angelis*, ordinariis cœleſtium tabernaculorum incolis, qui in die iudicii omnes pios colligent & in cœlum recipient, Matth. XXIV. 31. Sed quomodo illos per mammona iniquitatis parare poſſumus amicos? Rectius igitur accipitur primo ac principaliter de *Chriſto*, quem fide & beneficentia erga pauperes amicum nobis paramus, ut in iudicio tanquam *dominus domus* in cœleſtia tabernacula nos recipiat; ſecundario ac minus principaliter de *piis pauperibus*, qui recipiunt nos, non ut principales auctores, ſed ut teſtes noſtrorum operum ex vera fide factorum, & cumprimis beneficentiæ ac dilectionis, per quam vera fides efficax eſt, Galat. V. 6. Recipiunt nos non propter opera tanquam cauſam ſalutis meritoriam, ſed per teſtimonium de effectibus & fructibus veræ fidei. Recipiunt nos tum ſeriis ad Deum precibus in hac vita Deum pro ſalute noſtra fuſis, tum honorifico teſtimonio in die iudicii coram Chriſto iudice & omnibus angelis prolato. 5) *Fidei & pœnitentiae exemplo.* Sic de Ninivitis dicit Chriſtus Matth. XII. 40. Luc. XI. 32. quod *ſurrecturi ſint in die iudicii, & generationem illam, quae reſpuebat* oblatam in evangelio gratiam, *condemnaturi*, quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Ionæ, cum increduli in populo Iſraëlitico repudiaverint Chriſtum, qui Iona multis modis præſtantior; de regina Auſtri ibidem addit, quod *in iudicio ſit ſurrectura, & exemplo ſuo condemnatura incredulam iſtam generationem*, cum ex finibus terræ venerit ad audiendam Salomonis ſapientiam, Iudæi contra Chriſtum, qui Salomone infinitis modis præſtantior, proterve ſpreverint. Confer Sap. V. 3. Remigius in adnot. 1 Cor. VI. p. 38. *Sancti amatores huius mundi iudicabunt exemplo fidei ſuae & comparatione melioris facti, non ſicut iudices ſeculi.* Apoſtoli & eccleſiæ miniſtri ſpecialiter iudicabunt per doctrinam a ſe prædicatam. Ioh. XII. 48. *Sermo, quem locutus ſum, iudicabit eum in die noviſſimo.* Iam vero eandem evangelii doctrinam apoſtoli & omnes fideles eccleſiæ miniſtri prædicarunt. Rom. II. 16. inquit apoſtolus: *iudicabit Deus occulta hominum ſecundum evangelium meum.* Quidam exiſtimant, Paulum evangelium ſuum vocare hiſtoriam evangelicam, quam Lucas ipſius ſuaſu & hortatu in ſcripturam redegit, Irenæus lib. III. cap. 14. p. 198. ſed rectius accipitur de evangelio a Paulo & reliquis apoſtolis prædicato, quod docet Chriſtum rediturum ad iudicandum vivos & mortuos, Act. X. 42. Lombardus lib. IV. ſent. diſt. 47. *quodnam futurum ſit ſanctorum iudicium, neſcire ſe* ingenue fatetur, *& ex divina duntaxat revelatione percipi poſſe* opinatur. Bonaventura triplici cauſa apoſtolis & aliis ſanctis iudiciariam poteſtatem concedi tradit, 1) ratione *comparationis*, 2) *adprobationis ſententiae*, & 3) *honoris ac confeſſionis.*

§. XLIII. Atqui si *sancti a Christo sunt iudicandi, quomodo possunt dici mundum iudicaturi?* 1) Quidam *solis apostolis* hanc dignitatem vindicant propter peculiare promissum Christi Matth. XIX. 28. *Sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel.* Sed dicta scripturæ superius adlata omnibus sanctis in genere hoc tribuunt, ut paulo ante ostendimus. Ad promissum Christi respondet Augustinus libr. XX. de civitat. Dei cap. 5. *Non quoniam super sedes duodecim solos homines cum ipso iudicaturos putare debemus. Duodenario quippe numero universa quaedam significata est iudicantium multitudo propter duas partes numeri septenarii, quo significatur plerumque universitas, quae duae partes, id est, tria & quatuor, altera per alteram multiplicatae duodecim faciunt. Nam & quatuor ter & tria quater duodecim sunt, & si quae alia huius duo denarii numeri, quae ad hoc valeat, ratio reperitur. Alioquin quoniam in locum Iudae traditoris apostolum Matthiam legimus ordinatum, apostolus Paulus, qui plus illis omnibus laboravit, ubi ad iudicandum sedeat non habebit, qui profecto cum aliis sanctis ad numerum iudicum se pertinere ostendit cum dicit:* nescitis, quia angelos iudicabimus? *De ipsis quoque iudicandis in hoc numero duodenario similis causa est. Non enim quia dictum est, iudicantes duodecim tribus Israel tribus Levi, quae tertia decima est, ab eis iudicanda non erit aut solum illum populum non etiam caeteras gentes iudicabunt?* In enarr. Psalm XLIX. *Quare omnes undique ad duodenarium numerum pertinent? quia ipsum undique quod dicimus, de toto mundo dicimus. Orbis autem terrarum quatuor designatis partibus continetur, oriente, occidente, meridiano & aquilone. Ab his omnibus partibus vocati sunt in Trinitate & perfecti fide & praecepto Trinitatis, quoniam ter quaterni duodecim fiunt, agnoscitis quare ad totum orbem pertineant sancti, qui sedebunt super duodecim sedes, iudicaturi duodecim tribus Israel, quia & duodecim tribus Israel, totius Israel duodecim tribus sunt. Sicut enim iudicaturi ex toto mundo, sic & iudicandi ex toto mundo &c.* Beda in comm. Matth. XIX. tom. V. *Quia duodenario saepe numero solet universitas designari, per duodecim sedes apostolorum iudicantium omnium numerositas & per duodecim tribus Israel universitas eorum, qui iudicandi sunt, ostenditur.* Simplicius & textui convenientius respondetur, Christum apostolis peculiarem & eximium quendam honorem præ reliquis fidelibus in die iudicii hoc loco promittere, perinde ut in vita æterna quoque maiorem gloriam obtinebunt. 2) Quidam ex veteribus eos, *qui ad apostolicam perfectionem adspirarunt*, hoc est, omnia propter Christum reliquerunt, non autem reliquos sanctos huius gloriæ participes futuros arbitrantur. Augustinus in homil. L. cap. 10. (quarum tamen auctor non est Augustinus, sed alius quispiam.) *In hoc numero iudicantium omnes intelliguntur, qui propter evangelium omnia sua dimiserunt & secuti sunt Dominum. Duodenarius quippe numerus ad quandam universitatem refertur. Exceptis ergo illis, quos etiam nomine angelorum significavit, quando ait:* cum venerit Filius hominis iudicare cum angelis suis, *his inquam exceptis caetera omnium hominum multitudo, sicut in ipsius Domini verbis manifestum est, in duas partes dividetur.* Gregorius lib. X. moral. c. 30. *Neque enim plusquam duodecim iudices illa interni consessus curia habebit, sed nimirum duodenario numero quantitas universitatis exprimitur, quia quis quis stimulo divini amoris excitatus hic possessa reliquerit, illic procul dubio culmen iudiciariae potestatis obtinebit, ut simul tunc*

iudex

iudex cum iudicare veniat, qui nunc considerationem iudicii sese spontanea paupertate castigat. Thomas in supplem. q 89. art. 2. *Iudiciaria potestas voluntariae paupertati respondet.* Salmeronius tract. XXV tom. IV. p. 563. id declarat hoc modo: *Voluntaria paupertas ab avaritia, quae iudicium impedire solet, animum liberat: deinde depositio est ad agnoscendam veritatem, quia liberat a curis & solicitudinibus huius seculi, & quia paupertas humiliat ac deprimit, congrue exaltationem promeretur.* Costerus in postill. dom. II. advent. pag. 19. *Tria genera surgent ad iudicium peccatores, qui damnationem suam exspectant, pii, qui cum grege salvabuntur, maioris perfectionis sancti martyres, religiosi, qui omnia reliquerunt, hi volabunt celsius, & Christo ut adsessores iungentur, imo ut collaterales in eius sede sedebunt.* Atqui contra hanc hypothesin itidem merito urgetur generalitas dictorum scripturæ, quæ omnes sanctos certa ratione iudicaturos adserunt. Libenter interim fatemur, pios, qui tempore persecutionis propter Christum & ipsius verbum omnia reliquerunt, peculiaria præmia in die iudicii & vita æterna esse recepturos; quid de spontanea omnium abdicatione, quæ sine necessitate & vocatione cum opinione singularis meriti suscipitur, statuendum sit, alibi exponitur. 3) Simpliciſſime respondetur, *omnes homines* & sic etiam sanctos primo quidem coram tribunali Christi statuendos esse, sed mox *in occursum Christi in aëra* tum ab angelis tum agilitate corporis glorificati *rapiendos* 1 Thess. IV. 17. ac una cum Christo & apostolis, qui velut primores & adsessores regni Christo erunt proximi, mundum & angelos malos esse iudicaturos. Iudicabunt mundum, id est, homines mundanos iuste, a quo ipsi iudicati sunt iniuste, ac quia victores diaboli in hac vita per fidem facti, ideo præmii loco hoc recipient, ut ipsi a Christo iam iudicato & condemnato hosti tanquam penitus prostrato ac leoni mortuo insultent, id quod diabolis, utpote superbissimis Spiritibus, & pœnæ & ignominiæ loco erit. Quare *ut virgines obviam procedunt sponso*, Matth. XXV. 1. ut cives regi adventanti honoris causa occurrunt: sic sancti Christo cœlesti sponso ac regi ad iudicium venienti in aëra prodeuntes in nubibus occurrent, resurgent enim in corpore glorificato; nihilo tamen minus postea in universali iudicio sententiam æternæ felicitatis audient, eandem scilicet, quam in iudicio particulari in morte prius acceperunt, & modis paulo ante expositis diabolos & impios iudicabunt. Franc. Suarez part. III. disput. LVII. sect. 2. *Rapientur sancti in occursum Christi in aëra, ut ibi in nube splendidissima quasi throno considenti ad iudicium peragendum in nubibus splendidis quasi thronis adsistant & adsideant, ita tamen, ut quisque suo ordine & gradu pro meritis confideat, unde in splendidioribus & Christo vicinioribus thronis considebunt apostoli.* Sed quid de meritis habendum sit, alibi expositum fuit; opinioni de meritis fortissime refragatur iudicium electorum de suis operibus, Matth. XXV. 37. ac votum apostolicum, 2 Tim I. 18. *Det illi Dominus invenire misericordiam in die illa;* iam vero operum merita & misericordia ἀντιφατικῶς sibi invicem opponuntur Rom. XI. 6.

§. XLIV. Quæritur hoc loco, *an etiam angeli sint iudicaturi?* Negat Alph. Salmeron tractat. XXV. in comm. Matth. XIX. tom. IV. p. 364. sic scribens: *Angeli, quia non conveniunt in natura cum Christo iudi-*

Quaeritur An etiam angeli sint iudicaturi.

se, nec poterunt videri a damnatis, nec sedere, sicut nec Deus hac ratione, nisi quatenus homo est; hinc angeli ad iudicandum de aliis non adsumentur, quia iudicare daretur eis ad perfectionem. Et perfectio non est in eo, quod est omnino extra naturam rei, ut habere corpus adsumtum angelo, quia non utebatur vita animali. Resp. 1) Matth. XXV. 31. notanter dicitur: *Cum venerit Filius hominis in gloria sua & omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suae.* Ergo angeli a iudicando non possunt simpliciter excludi. 2) Pii homines *mundum & angelos* malos *iudicabunt*, 1 Cor. VI. 2. & 3. quidni etiam angeli boni iudicaturi sunt malos? 3) Modi illi, quibus sanctos iudicaturos esse diximus, plerique omnes etiam bonis angelis conveniunt. 4) Sedes apostolorum, in quibus iudicabunt, Salmeronius censet fore aeras & aliquo splendore notabiles, eosdem iudicaturos ea ratione arbitratur, quod sententiam in corde lege Dei instructo habituri, & aliis denunciaturi sint sive *illuminando*, ut angeli superiores adnunciant inferioribus, sive *loquendo*, ut inferiores superioribus. Idem de angelis cogitari potest. 5) Quamvis angeli in spirituali sua natura non possint videri ab hominibus damnatis, tamen videri possunt a diabolis. 6) Si perfectioni angelicae derogaretur per το *habere corpus*, nunquam in corpore adsumto in his terris adparuissent. Concludimus igitur verbis Augustini lib. II. de peccat. merit. & remiss. cap. ult. circa finem: *ubi de re obscurissima disputatur, non adiuvantibus divinarum scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana praesumtio, nihil faciens in alteram partem declinando.*

CAPVT IV.

DE MATERIA IVDICII EXTREMI.

Materia circa quam seu obiectum extremi iudicii, 1) personale 1) Angeli mali.

§. XLV. *Materia circa quam* sive *obiectum* extremi iudicii duplex statui potest. Obiectum *personale* & *reale*. 1) Personale sive materiale iudicii obiectum sunt tum *angeli* tum *homines*. 1) Angelos in novissimo die iudicandos esse expressis verbis adserit apostolus 1 Cor. VI. 3. *Nescitis, quoniam angelos iudicabimus?* id quod tamen specialiter de angelis *malis* accipiendum, ut recte monent Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus & Anshelmus in comment. Unde de ipsis dicitur 2 Petr. II. 4. quod *Deus ipsos in tartarum detrusos catenis caliginis tradiderit in iudicium reservari*, quam esse metaphoram a malefícis in tenebricoso carcere usque ad supplicii diem detentis ductam, monuimus superius, vel ut Iudas loquitur in epist. v. 6. quod *ad iudicium magnae diei vinculis aeternis*, hoc est, in loco caliginoso sive in inferno, *detineantur, propterea quod non servaverint* την αρχην εαυτων, *originem suam*, id est, originalem conditionem, in qua primitus fuere conditi, Ioh. VIII. 44. Vulgata reddidit, *suum principatum*, quia inter angelos sunt *principatus ac potestates* Col. I. 16. Eph. I. 21. quo modo etiam reddidit Lutherus, *sed reliquerint* το ιδιον οικητηριον, *proprium domicilium*, erant prius exercitus Domini Zebaoth collocati in certa statione, sed transfugae facti eam deseruerunt. Quidam sic accipiunt, quod angeli

angeli mali Deo rebellantes æqualitatem cum ipso adfectarint, ac propter crimen illud læsæ maiestatis divinæ domicilium suum cœleste relinquere coacti fuerint, Apoc. XII. 9. Matth. XXV. 41. sententia damnatoria contra impios ferenda etiam diabolorum meminit: *discedite in ignem aeternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Ergo etiam diabolus & ipsius angeli tunc iudicabuntur. Lyranus & glossa interlinearis huc adcommodant locum propheticum Esai. XXIV. 21. *& erit in die illa, visitabit Dominus super militiam cæli in excelso.* (*) Sed angeli apostatæ non satis commode dicuntur visitandi in excelso, nec adpellantur in scripturis militia cœli. Rectius ergo hic locus accipitur de sole, luna & stellis, quæ in scripturis usitatissime vocantur militia cœli, Deut. XVII. 3. Esai. XL. 26. Ierem. XIX. 13. &c. de quibus statim additur v. 23. *erubescet sol & confundetur luna.* Confer Sanctium in h. l. Hanc ergo iudicii diem, in qua æternis inferorum cruciatibus se adiudicandos norunt, *diaboli credunt, sed* præ timore *contremiscunt*, Iac. II. 19. unde tam anxie conqueruntur, quod *Christus venerit eos torquere ante tempus*, Matth. VIII. 29. (in quem locum sic commentatur Hieronymus: *Sicut servi fugitivi post multum temporis dominum suum videntes nihil aliud nisi de verberibus deprecantur: sic & daemones videntes Dominum in terris derepente versari ad iudicandum se venisse credebant, praesentia enim Salvatoris tormenta sunt daemonum*) *ac solicite rogant, ne imperet illis ut in abyssum eant*, Luc. VIII. 31. per quam intelligitur hoc loco ipse infernus, ut adparet ex collatione Apoc. IX. 1. noverunt enim se in die iudicii proiiciendos esse in abyssum infernalem, inque ea æternis suppliciis torquendos. Veteres dicunt diabolos propterea trepidare detrusionem in abyssum die extremi iudicii exspectandam. 1) quia non poterunt amplius hominibus nocere, ut colligitur ex Apoc. XX. 3. Quia non amplius extorquebunt ab ullo cultum soli Deo debitum, ut modo faciunt, quando a necromanticis & gentilibus idololatris adorantur. 3) Quia tunc omnibus patebunt ipsorum fraudes, & publica adficientur ignominia, quod, cum essent incorporei spiritus, Deo incorporeo servire noluerint, cum tamen homines corporei Dei cultum ac mentis puritatem fuerint amplexi, quodque ipsorum tentationes non solum a viris, sed a fœminis ac pueris fuerint victæ. 4) Quia non solum a Christo, sed etiam ab hominibus iudicabuntur, qui ipsis a facie Dei penitus reiectis & æternæ morti adiudicatis, ut vilissimis mancipiis insultabunt, id quod diabolis, utpote superbissimis spiritibus, molestissimæ pœnæ loco erit.

§. XLVI. Atqui inquies: *Si in die novissimo demum angeli iudicabuntur, & ad supplicia aeterna condemnabuntur, consequens fuerit, eos hoc tempore a pœnis esse immunes.* Resp. 1) Etiam impii homines in extremo iudicio infernalibus pœnis dicuntur adiudicandi, quorum tamen animæ iamdum torquentur in inferno. Idem statuendum de malis angelis. 2) Nequaquam igitur cum quibusdam ex patribus sentiendum, quod daemones hoc tempore simpliciter & absolute ab omni pœna immunes sint ac liberi. Iustinus in apol. I. *Daemones igni sempiterno nondum traditi sunt, sed in die iudicii tradendi.* Irenæus lib. V. post medium

(*) In eamdem sententiam abeunt Haymo, episcopus Halberstat. & Adamus Sarbutus. GERHARDVS.

medium disputat, *diabolum ante Christi adventum nunquam blasphemasse Deum, eo quod ignoraret adhuc suam damnationem, sed a Christo & apostolis demum didicisse, ignem aeternum sibi esse paratum*; quam sententiam Irenæus a Iustino se accepisse adserit, eamdemque tanquam Iustini sequitur Oecumenius in comm. 1 Petr. V. Epiphanius in hæresi Sethianorum adserit, *daemones non modo damnationem suam ignorasse, sed etiam salutem per Christi adventum sperasse, cum vero animadverterent, nihil a Christo pro daemonibus praestari, tunc demum de salute desperasse, & per haereticos Deum blasphemare coepisse.* 3) Huic erroneæ quorumdam patrum opinioni opponenda est sanior aliorum sententia, quod daemones non ignoraverint futura tormenta, sed æstuantis gehennæ noverint incendia. Antonius referente Athanasio in ipsius vita. Hieronymus & Chrysostomus in Matth. VIII. Ambrosius in Lucæ VIII. Augustinus libr. VIII. de civ. Dei cap. 23 &c. 4) Quinimo non solum noverunt futura sua tormenta, sed etiam hoc ipso tempore eadem ex parte sentiunt. Quod si enim animæ impiorum iamdum infernales cruciatus sustinent, ut in tractat. de morte ostendimus, ecquis dubitare velit, etiam angelos malos hominibus longe peiores eosdem iamdum sustinere? Si angeli boni iamdum διὰ παντος *vident faciem Patris, qui in cœlo est*, Matth. XVIII. 10. quidni etiam angeli mali a facie Dei reiecti *pœna* non solum *damni* sed etiam *sensus* adfici sint censendi? Inde Augustinus libr. de corrept. & grat. cap. 10. ac Prosper libr. I. de vit. contempl. *daemones iam iudicatos ac miseros effectos esse* adserunt; nec absurde Beda in comment. Iacob. 3. dicit, *daemones quocunque abeant, semper secum circumferre suum infernum*; sicut angeli boni, quocunque loco commorantur, semper secum circumferunt suum cœlum. 5) Interim ut impiorum hominum supplicia augebuntur ac plene consummabuntur, quando animæ ipsorum cum corporibus redunitæ in infernum abiicientur; sic diaboli pœnarum suarum complementum ac plenitudinem percipient, quando in die novissimo carceri infernali ita mancipabuntur, ut nullus amplius ex eo ipsis pateat exitus. 6) Quorum consummatorum ac exquisitorum supplicium comparatione eos hoc tempore *minus torqueri*, quando in libero aëre vagantur, Ephes. II. 2. VI. 12. Apoc. XX. 3. & una cum filiis Dei sive angelis coram Deo se sistunt, Iob. I. 6. non improbabiliter colligitur ex ipsorum deprecatione Matth. VIII. 29. Luc. VIII. 31. Vincula & catenæ caliginis, quibus ante illud iudicium diaboli tenentur captivi, nunc sunt illis ad *custodiam*, tunc erunt ad *supplicium & pœnam*; nunc sunt laxiora, tunc erunt arctissima; nunc ipsorum latet culpa, tunc publice manifestabitur ipsorum culpa & pœna.

§. XLVII.

2) Non solum angeli, sed etiam homines iudicabuntur & quidem 1) *universaliter* omnes homines, si de præsentatione coram tribunali Christi & discretionis iudicio sermo sit, 2) *specialiter* impii & 3) *singulariter* antichristus, si de iudicio condemnationis agatur. Iudicandos esse omnes omnino homines ac specialiter impios patet 1) ex *universali scripturae sacrae adsertione*. Enochi patriarchæ concionem de extremo iudicio recenset Iudas in epist. v. 14. quæ diserte hoc complectitur, quod omnes homines ad hoc iudicium sint vocandi: *ecce venit Dominus facere iudicium* κατα παντων. Quidam exponunt *contra omnes*; sed

2) *Homines, homines*

sed quia ex sequentibus adparet, sermonem esse de omnibus in universum hominibus, ideo rectius vertitur *de omnibus*, ut sit positum pro περι παντων. Esa. XLV. 23. *Mihi curvabitur omne genu, & omnis lingua confitebitur.* LXVI. 16. *Iudicabit Deus omnem carnem.* Ioel. III. 17. *Secebo, ut iudicem omnes gentes in circuitu* Sirac. XLI. 5. *Iudicium a Domino omni carni.* Matth. XXV. 32. *Congregabuntur ante Christum iudicem omnes gentes, & separabit eas ab invicem, sicut pastor segregat hœdos.* Luc. XVI. 2. Quilibet *homo*, utpote Dei œconomus, *rationem cogetur reddere villicationis suae.* Rom. XIV. 10. & 2 Cor. V. 10. *Omnes statuemur ante tribunal Christi.* Galat. VI. 5. *Unusquisque onus suum portabit.* Apoc. I. 7. *Ecce venit in nubibus & videbit eum omnis oculus.* 2) Ex *collectivi nominis usurpatione.* Dicitur enim Christus iudicaturus *orbem terrarum ac fines terrae*, Genes. XVIII. 25. 1 Sam. II. 10. Psalm IX. 9. LXXXII. 8. XCVIII. 9. Act. XVII. 31. 1 Cor. VI. 2. 3) Ex *indefinita locutione.* Dicitur Deus iudicaturus *gentes, populos, homines &c.* Deut. XXXII. 36. Psalm IX. 9. L. 4. XCVIII. 9. Esai. III. 13. XXX. 28. Rom. II. 16. iam vero *indefinitam* illam locutionem æquipollere *universali*, ex parallelis scripturæ locis, quæ de obiecto iudicii extremi agunt, colligitur. 4) Ex *speciali distributione.* Dicitur Deus iudicaturus *pium & impium, iustos & iniustos, fideles & incredulos*, Eccles. III. 17. Sap. V. 1. *magnos & pusillos*, Apoc. XX. 12. *vivos ac mortuos*, id est, tum eos, quos novissimus dies deprehendet vivos, tum eos, qui ante defuncti fuere; Act. X. 42. 2 Tim. IV. 1. 1 Petr. IV. 5. iam vero in has duas classes omnes homines distinguuntur, aut enim sunt pii aut impii, magni aut pusilli, vivi aut mortui. Isidorus lib. I. epist. CCXXII. p. 53. triplici modo exponi posse censet, quod Christus *mortuorum ac vivorum* iudex dicitur, 1) *fore, ut anima & corpus simul in iudicium veniant, nec alterum ab altero seiungatur, verum quemadmodum in hac vita communem coniunctionem habuerunt, sic etiam futurum iudicium subeant;* 2) *vivos, hoc est, qui vitam aeternam & Deo gratam sectati sunt, a mortuis, hoc est, qui peccatis immortui datum sibi talentum in socordia perinde ut in sepulcro defoderunt, esse discernendos, illisque immortales mercedes, his vero pœnas persolvendas;* 3) *iudicandos esse tum eos, qui vivi relicti fuerint, tum eos, qui ante ipsos vitam cum morte commutarint*, quæ postrema interpretatio est simplicissima. Huc referenda sunt dicta, in quibus specialiter mentio fit piorum; Luc. XXI. 36. *Vigilate omni tempore orantes, ut possitis stare coram Filio hominis*, Rom. XIV. 12. *Quilibet nostrum pro se rationem reddet.* 1 Cor. IV. 4. *Qui me iudicat, Dominus est.* 2 Tim. IV. 8. *Reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex.* Apoc. XI. 18 *Venit tempus reddere mercedem servis tuis.* Et impiorum; Deut. XXXII. 35. *Propinquus dies exitii eorum*, Psalm II. 9. *Conteres gentes in virga ferrea*, XI. 6. *Pluet Dominus super peccatores ignem & sulphur.* CX. 5. *Conteret in die irae suae reges.* Matth. XI. 22. *Tyriis & Sidoniis erit tolerabilius in die iudicii.* XXVI. 64. Marc. XIV. 62. *Videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis & venientem in nubibus cœli.* Rom. II. 5. *Thesaurizas tibi iram in die irae & revelationis iusti iudicii* 2 Petr. II. 3. *Quorum το κριμα non otiatur.* v. 9. *Novit iniquos servare in diem iudicii cruciandos.* Iud. v. 15. *Venit Dominus iudicare de omnibus, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt &c.* 5) Ex *iudicii cum morte & resurrectione con-*

connexione. Hebr. IX. 27. *Statutum est hominibus semel mori, & post hoc iudicium.* Ioh. V. 29. *Qui bona fecerunt, prodibunt ad resurrectionem vitae, qui vero mala fecerunt, ad resurrectionem iudicii.* Hebr. VI. 2. doctrina de *resurrectione mortuorum & iudicio aeterno* coniunguntur. 6) Ex *ratiocinatione*, eaque multiplici. Christo data est *potestas omnis carnis*, Ioh. XVII. 2. ipsi *flectendum omne genu*, Phil. II. 10. Ergo omnes iudicio eius sistentur. Iustitia divina requirit, ut bonis praemia, malis reddantur supplicia. Ergo iusti & iniusti iudicabuntur. Consequens iudicii ad omnes pertinet. Ibunt enim mali *in ignem aeternum*, boni *in vitam aeternam*, Matth. XXV. 46. Ergo etiam ipsum iudicium ad omnes spectat. 7) Ex *perpetua ecclesiae confessione.* In symbolo apostolorum profitemur, nos *credere in Christum venturum ad iudicandum vivos & mortuos.* Idem repetitur in symbolo Nicaeno. In symbolo Athanasiano dicitur: *ad cuius* (Christi) *adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis propriis rationem.* Polycarpus martyr in epist. ad Philipp. *Ante conspectum oculorum Domini sumus, & omnes nos oportet adstare ante tribunal Christi, & unumquemque pro se rationem reddere.* Cyprianus martyr lib. IV. epist. VI. circa finem: *o dies ille qualis & quantus adveniet, cum caeperit populum suum Dominus recensere, & divinae cognitionis examine singulorum merita recognoscere, mittere in gehennam nocentes, & persecutores nostros flammae poenalis perpetuo ardore damnare, nobis vero mercedem fidei & devotionis exsolvere.* Ephremus lib. I. de compunct. cordis cap. 7. *Admirabitur primus Adam in hora illa videns magna & terribilia, quomodo ex eo solo & coninge eius immensae nationes & multitudines productae sunt.* Maximus Taurinensis hom. in exposit. symb. *Vivi iudicandi referuntur ac mortui, ut omnium hominum esse apud Deum cura credatur.* Leo magnus serm IV de collectis & eleemos. col. 13. *Veniet in maiestatis suae gloria Dominus, sicut ipse praedixit, aderitque cum eo radians in splendoribus suis innumerabilis angelicarum multitudo legionum. Congregabuntur ante thronum potentiae eius omnium gentium populi, & quidquid hominum universis seculis toto orbe progenitum est, in conspectu iudicantis adstabit.* Hugo Victorinus lib. I. de anim. cap. 2.

Iudicium faciet gestorum quisque suorum,
Cunctaque cunctorum cunctis arcana patebunt.

Dionysius Carthusianus lib. II. de quatuor novissimis cap 5. *Tunc potentissimi quondam reges nudo latere palpitabunt, nemo ibi redimitus corona aut diademate, nemo milite constipatus, sed nudi omnes ut pauper & dives adstabunt iudici. Tunc exhibebitur cum sua prole Venus, tunc ignitus Iupiter adducetur, & cum suis stultus Plato discipulis. Ibi aderunt summi pontifices de gubernatione ecclesiae rationem reddituri. Aderunt doctores ac verbi Christi praecones de sua doctrina & concionibus rationem pariter reddituri. Aderunt reges & caesares de administratione iustitiae rationem similiter reddituri. Aderunt denique omnes homines, qui fuerunt, sunt & erunt, per singulas gentes & linguas, per omnes generationes ac tribus terrae, & unusquisque de aetate totius vitae suae redditurus est in iudicio rationem.*

§. XLVIII. *Antichristum* singulariter in die novissimo iudicatum iri, sequentia Spiritus sancti oracula testantur. Esai.

Esai. XI. 4. *Percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium*, id est, Christus per prædicationem evangelii antichristum & regnum eius destruere incipiet, & in glorioso suo adventu penitus eum delebit, ac una cum reliquis impiis infernali supplicio adiudicabit. Sic enim hoc vaticinium propheticum interpretatur apostolus 2 Thess. II. 8. *tunc revelabitur iniquus ille, quem Dominus αναλωσει* (vulgata reddidit, *interficiet*, sed rectius vertitur, *conficiet ac consumet*, potentiam, vires & regnum eius franget, fraudes scilicet patefaciendo, ut non possit ulterius tanta efficacia homines seducere) *spiritu oris sui*, (prædicatione evangelii, quod est verbum Christi ex ipsius ore profectum, cum quo etiam Spiritus sancti efficacia perpetuo est coniuncta, Apoc. XIX. 15.) *& destruet illum illustri adventu suo, τη επιφανεια της παρουσιας αυτου*, manifestatione sive revelatione præsentiæ suæ. Caietanus in comm. h. l. *Sequaces antichristi durabunt usque ad adparitionem adventus Christi, differentia enim est inter consumtionem ac destructionem. Consumtio spiritualis est, consumet eum spiritu oris sui, id est, spiritu sermonis evangelici, ubi multi ad veritatem evangelicam convertentur, ac multi perseverabunt usque ad Christi adventum.* Apoc. XVIII. 21. *Sustulit unus angelus lapidem, quasi molarem magnum, & misit in mare dicens: hoc impetu mittetur Babylon magna civitas, & ultra iam non invenietur.* XIX. 1. *Audivi quasi vocem turbarum multarum in cœlo dicentium, alleluia.* v. 2. *Quia vera & iusta sunt iudicia eius, quia iudicavit de meretrice magna &c. & vindicavit sanguinem servorum suorum de manibus eius.* v. 3. *Et fumus eius adscendit in secula seculorum.* v. 20. *Et adprehensa est bestia & cum ea pseudopropheta, qui fecit signa coram ipsa, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiae, & adoraverunt imaginem eius, vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardens sulphure.* XX. 10. *Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris, ubi & bestia & pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum.* Ideo autem peculiariter antichristi iudicium prædicitur 1) ad *consolationem*, qua illi, qui ab antichristiana tyrannide premuntur, sese erigere possint, 2 Thessal. I. 6. *Iustum est apud Deum retribuere tribulationem illis, qui vos adfligunt.* 2) Ad *praemonitionem*, ne corporalibus armis regnum antichristi destrui posse ac debere opinemur, talium enim bellorum sub prætextu evangelii contra antichristum susceptorum infelices solent esse exitus, neve scandalizemur duratione regni antichristiani, ut characterem eius propterea susci pere velimus. 3) Ad *exhortationem*, ut persecutiones, quæ ab antichristo inferuntur, patienti animo perferamus ad novissimum iudicium unice respiciendo.

§. XLIX. Antithesis.

Antithesis.

1) *Rabbini* iocose magis quam serio dicunt, *quatuor hominum genera non in iudicium vocari*, quia satis pœnarum sustinuerunt in hac vita, 1) *extreme pauperes*, 2) *qui animam debent aere alieno pressi*, 3) *qui malas habent uxores*, 4) *qui colicos dolores patiuntur.* II) Quidam ex veteribus statuunt; nec fideles nec infideles iudicandos, sed *medios*. Lactantius lib. VII. divinst. cap. 20. p. 427. *Non iudicabuntur tunc a Deo universi, sed ii tantum, qui sunt in Dei religione versat. Nam qui Deum non agnoverunt, quoniam sententia de his in absolutionem ferri non potest, iam iudicati damnatique sunt, sanctis literis contestantibus, non resurrecturos impios in iudicium. Iudicabuntur ergo, qui Deum sci-*

sciverunt, & facinora eorum, id est, mala opera cum bonis collata ponderabuntur, ut si plura & graviora fuerint bona, iustificentur ad vitam beatam, si autem mala superaverint, condemnentur ad pœnam. Hilarius in enarr. Psalm I. in explic. verborum: *non resurgent impii in iudicio. Per id, quod impii in iudicium non resurgent, absolutum est non resurgendi eos caruisse natura, sed resurgendi in iudicium perdidisse ordinem. Qui autem resurrectionis & iudicii ordo intelligendus sit, Dominus in evangeliis ostendit dicens*: qui credit in me, non iudicatur, qui autem non credit, iam iudicatus est &c. *Cum dicit*: qui credit in me, non iudicabitur, *exemit iudicio fideles, & cum subiecit*: qui autem non credit, iam iudicatus est, *non admisit ad iudicium infideles. Ergo si credentes exemit, & repulit infideles, nec in hos nec in illos iudicii sorte permissa, quomodo convenire sibi hoc, quod tertium ait, existimabitur?* Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem? *Non enim potest videri locus relictus esse iudicio, cum neque fideles neque infideles sint iudicandi. Et haec quidem ita esse auditoribus negligentibus & lectoribus incuriosis videbuntur, caeterum in se verius ipsa verborum proprietas dicti intelligentiam continet.* Qui credit, inquit, non iudicabitur. *Quid enim necesse est iudicare credentem? iudicium enim ex ambiguis rebus existit, & ambiguitate ademta iudicii non desideratur examen. Ex quo ne infideles quidem necesse est iudicari, quia ambiguitas, cum infideles sint, non resedit. Sed ademto in credentes non credentesque iudicio causam Dominus iudicii & auctores, in quos iudicari necesse esset, adiecit. Sunt enim aliqui inter impios piosque, qui medii sunt, ex utroque admixti, neutri tamen proprie, quia in idipsum constiterint ex utroque, nec fidei admiscendi, quia sit illis aliquid infirmitatis insertum, nec infidelitati deputandi, quia aliquid habeant & fidei. Plures namque Dei metus in ecclesia continet, sed eosdem tamen ad secularia vitia seculi blandimenta solicitant. Orant, quia timent; peccant, quia volunt. Christianos se nuncupant, quia bona est spes aeternitatis; gentilia agunt, quia blanda praesentia sunt. Impii non manent, quia his Dei nomen in ore est; pii non sunt, quia quae pietati sunt aliena, sectantur &c. in eos ergo iudicium est, quod iam & in incredulos actum est & in credentes non necessarium est, quia magis tenebras quam lumen dilexerunt, non quod non dilexerint & lumen, sed quod dilectio illis fuerit magis propensa, tenebrarum praeferri enim solet dilectioni ex comparatione dilectio, & hinc iudicium est, quia cum dilexerint Christum, magis tamen tenebras dilexerunt. Hi ergo iudicabuntur, quia neque ut pii non iudicabuntur, neque iam fuerint ut impii iudicati, in quos ex praelata potius dilectione iudicium est.* Augustinus serm. XXXVIII. de sanct. *Ad iudicium non veniunt nec pagani, nec haeretici, nec Iudaei, quia de ipsis scriptum: qui non credit, iam iudicatus est.* Isiodorus lib. I. sentent. cap. 30. *In iudicio perfectorum ordo unus est, qui cum Domino iudicet, & alius qui iudicatur &c. Hi, qui intra ecclesiam sunt mali, iudicandi sunt & damnandi, qui vero extra ecclesiam inveniendi sunt, non sunt iudicandi, sed tantum damnandi.* Gregorius libr. XXVI. moral. cap. 20. *Alii iudicantur & pereunt, alii non iudicantur & pereunt; alii iudicantur & regnant, alii non iudicantur & regnant. Iudicantur & pereunt, quibus dominica voce in damnatione dicitur*: esurivi, & non dedistis mihi manducare &c. *Alii vero in extremo iudicio non iudicantur & pereunt, de quibus propheta ait*: non resurgent impii in iudicio; *& de quibus Dominus*

Dominus ait: qui autem non credit, iam iudicatus est; *& de quibus Paulus ait*: qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt. *Resurgunt ergo etiam omnes infideles, sed ad tormentum, non ad iudicium. Non enim eorum tunc causa discutitur, quia ad conspectum districti iudicis cum damnatione suae infidelitatis accedunt. Professionis opera non habentes, redarguuntur, ut pereant. Qui vero nec fidei sacramenta tenuerunt, increpationem iudicis in extrema examinatione non audiunt, quia praeiudicati infidelitatis suae tenebris, eius, quem despexerant, invectione redargui non merentur. Illi saltem iudicis verba audiunt, quia eius fidei saltem verba tenuerunt. Isti in damnatione sua aeterni iudicis nec verba percipiunt, quia eius reverentiam nec verbotenus servare voluerunt. Illi legaliter pereunt, quia sub lege positi peccaverunt. Istis in perditione sua de lege nihil dicitur, quia nihil legis habere conati sunt. Princeps namque terrenam rempublicam regens aliter punit civem interius delinquentem, atque aliter exterius hostem rebellantem. In illo iura sua consulit, eumque sub verbis dignae invectionis addicit, contra hostem vero bella movet, instrumenta perditionis exercet, dignaque eius malitiae tormenta retribuit, de malo vero eius quid lex habeat, non requirit. Neque enim lege necesse est perimi, qui legem non potuit tenere. Ita ergo in extremo iudicio & legalis illum invectio percutit, qui ab eo, quod professione tenuit, actione declinavit, & iste fine iudicii invectione perimitur, qui lege fidei non tenetur. Ex electorum vero parte alii iudicantur & regnant, qui vitae maculas lachrymis tegunt, qui mala praecedentia fletis sequentibus redimentes, quidquid illicitum aliquando fecerunt, ab oculis iudicis eleemosynarum superductione cooperiunt, quibus dicetur*: venite benedicti, esurivi enim, & dedistis mihi manducare &c. *Alii autem non iudicantur & regnant, qui etiam praecepta legis perfectione virtutum transcendunt, qui nequaquam hoc solum, quod cunctis lex divina praecipit, implere contenti sunt, sed praestantiori desiderio plus exhibere adpetunt, quam praeceptis generalibus audire potuerunt, quibus dominica voce dicitur*: vos qui reliquistis omnia, sedebitis super thronos &c. *Hi ergo recte sub generali iudicio non tenentur, qui & praecepta generalia vivendo vicerunt. Sicut enim non iudicantur & pereunt, qui suadente perfidia legem tenere contemnunt, ita non iudicantur & regnant, qui suadente pietate etiam ultra generalis divinae legis praecepta proficiunt*, quae verba Gregorii adlegat Lombardus lib. IV. sent. dist. 47. lit. C. Radulphus Flaviacensis lib. XII. in Levit. cap. 1. *Cum ad iudicium suum Christus venerit, universae credentium multitudinis triplex fiet partitio. Quidam enim cum eo iudicabunt, alii iudicabuntur, qui iterum in duas partes dividentur, alii ad dextram statuentur, alii ad sinistram.* Haymo episcopus Halberst. in comm. 1 Thessal. IV. *Impii infideles aut Iudaei & gentiles, & qui ab ecclesia expulsi sunt, non in secunda resurrectione iudicabuntur, quia hic iam iudicati sunt, illi vero, qui in ecclesia existentes a praesenti vita recedunt, de quorum operibus, an bona aut mala sint, incertum est, iudicabuntur quidam ad vitam, quidam ad mortem. De quorum sanctitate certum est in ecclesia, iudicabuntur, quia iam in hac vita ad vitam ab ecclesia ducti iudicati sunt, sed iudicabant non tamen omnes, sed illi, qui apostolorum vicem obtinent, ut episcopi & huiusmodi.* Confer Bedam in homil. *Ecce nos relinquimus &c.* Anshelmum in elucidario &c.

§. L. III) Illorum vestigiis insistunt *pontificii*, quando disputant, *quosdam*

dam ex fidelibus, eos scilicet, qui voluntariam paupertatem voverunt, non iudicandos esse, sed cum Christo iudices futuros, ut vidimus superius, *ac infideles extra ecclesiam, qui fide caruerunt, non esse iudicio discussionis iudicandos.* Thomas in supplem. q. 89. art. 7. & alii ex scholasticis lib. IV. sent. dist. 47. quos secutus ex Calvinianis Petrus Martyr in explicatione symboli apostolici class. II. locor. theolog. cap. 17. p. 432. sic scribit: *Statuo, in infideles nullo opus esse examine, ut qui propter suam infidelitatem iam condemnati sunt, ut docet Christus apud Iohannem: qui non credit, iam iudicatus est.* Sed respondemus 1) Scriptura *omnes homines* Christi tribunali sistendos esse, ac Christum *orbem terrarum iudicaturum* diserte adstruit. 2) Omnes homines sunt fideles ac infideles. Quod si ergo nec fideles nec infideles iudicandi, consequens fuerit, nullos plane iudicandos esse. Statum aliquem inter fidem & incredulitatem intermedium ignorat tota scriptura, quæ in has duas classes immediate sibi invicem oppositas totum genus humanum distribuit. Marc. XVI. 16. Ioh. III. 18. & 36. Unde Augustinus serm. CXXXI. de temp. fatetur, *Christum iudicaturum christianos & paganos, iustos & peccatores, fideles & impios.* Confer ea, quæ in tract. de morte §. 184. dicta. 3) Fides non est nuda notitia a pietatis & bonorum operum studio remota, sed fiducialis meriti Christi adprehensio per caritatem & omnis generis bona opera sese exserens, vere fidelium igitur in numerum referri nequeunt, qui secularibus vitiis indulgent, qui gentilia agunt, quibus Dei nomen duntaxat in ore est, sed omnes vere fideles sunt & vere pii. 4) Vere pii & fideles non veniunt in iudicium damnationis, interim coram Christi tribunali tam oves quam hœdi, tam qui bona egerunt, quam qui mala, statuentur. 5) Iudicium illud non egebit prolixa causæ examinatione, testium productione ac depositione, quia Christo iudici ut nihil occultum, ita quoque nihil dubium vel ambiguum. 6) Finis iudicii erit, non tantum opprobria & supplicia decerni infidelibus & impiis, sed etiam gloriam & præmia adsignari fidelibus ac piis. Singuli enim accipient mercedem eorum, *quæ per corpus gesserunt, sive bona fuerint sive mala*, 2 Cor. V. 10. 7) Ut fides bonorum operum genitrix, ita infidelitas omnium peccatorum fons est; absurdum igitur est statuere, quod nec fidei nec infidelitatis ratio sit habenda in iudicio. 8) *Impii non resurgent in iudicio*, hoc est, non poterunt stare vel consistere, sed causa cadent in iudicio, interim venient omnino ad iudicium. Confer tract. de resurr. ct. §. 38. 9) Impios resurrecturos ad tormentum & ad iudicium, nequaquam sunt opposita sed subordinata, ut constat ex verbis Christi Iohan. V. 29. *Qui mala egerunt, procedent ad resurrectionem iudicii.* 10) Increduli & finaliter impœnitentes tam extra quam intra ecclesiam iudicati iam sunt in æterna reprobatione, nihilo tamen minus in die novissimo iudicabuntur, tum sententiæ publicatione tum reprobationis exsecutione sive condemnatione. 11) Unde a patribus & scholasticis superius citatis hic discedunt quidam ex ipsis pontificiis Hesselius in comm. Matth. XXV. Toletus in comm. Ioh. III. Barradius tom. III. conc. lib. IX. cap. 17. p. 603. qui statuunt, *omnium omnino reproborum etiam infidelium cogitationes, verba, opera, in iudicio omnibus esse manifestanda*, ut constet iudicii divini integritas, omnibusque pateat respondere peccatis suppli-

plicium, cui adiudicabuntur, atque hoc iudicio iudicandos omnes reprobos, etiam infideles, sive iudicium discussionis id adpelletur, sive alio nomine exprimatur.

§. LI. IV) Quidam ex *pontificiis* statuunt, *parvulos non baptizatos in iudicio non esse comparituros*, 1) quia iudicandi distribuuntur in *oves* & *hædos*. At parvuli non baptizati non possunt statui cum ovibus ob peccatum originale, nec cum hœdis, quia carent peccato actuali. 2) Duplex duntaxat est sententia iudicis. At neutra competit parvulis, non *absolutoria*, quia opera illa non potuerunt præstare cum ovibus, nec *damnatoria*, quia non potuerunt ea omittere cum hœdis. 3) Dan XII. 2. *Multi de his, qui dormiunt, evigilabunt, alii ad vitam aeternam, alii ad opprobrium aeternum.* Si multi, ergo non omnes, ergo aliqui nec ad vitam nec ad opprobrium, in quibus non possunt alii commodius numerari quam parvuli non baptizati. 4) Iudicium erit de salvandis ad cœlum & damnandis ad infernum. Atqui neutrum competit illis parvulis &c. 5) *Accipiet unusquisque, prout in corpore gessit*, 2 Cor. V. 10 infantum autem gesta nulla sunt. Sed hanc opinionem alii ex pontificiis merito repudiant 1) propter dicta scripturæ universalia de *omnibus omnino hominibus* iudicandis, & speciale Apoc. XX. 12. de pusillis stantibus coram agno. 2) Propter connexionem resurrectionis & iudicii. Parvuli non baptizati resurgent. Ergo etiam iudicabuntur. 3) Thomas utitur hac ratiocinatione: *omnibus debetur merces aut boni aut mali. At parvulis inest malum Adae nondum persolutum totum.* Ergo. Item *gratia Christi finitis partibus est maior & efficacior peccato Adae. At per peccatum Adae mors, per Christum resurrectio aeque ad omnes pertransiit.* Ergo & parvuli resurgent ac iudicabuntur. 4) Addimus nos, contrariam sententiam niti falsis hypothesibus, quod absoluta sit necessitas baptismi etiam in casibus extraordinariis, quod parvuli non baptizati, etiamsi per preces parentum & ecclesiæ Deo offerantur, tamen regni cœlestis cogantur esse extorres, quod requirantur propria merita, ut quis regnum cœlorum ingrediatur, quod quidam nec ad vitam nec ad opprobrium sint resurrecturi, quod possit esse alicui medius aliquis locus, ut non possit esse cum diabolo, qui non est nec esse potest cum Christo &c. 5) Barradius tom. III. conc. evang. lib. IX. cap. 17. p. 602. a iudicio discussionis ac discretionis eximit *beatam virginem & parvulos baptizatos. Verum est*, (inquit,) *in sanctissima virgine Deipara, in qua nullum reperiri potest peccatum, & in infantibus, qui baptismo abluti e vita discesserunt, nullaque opera habuerunt, nullam fore discussionem, nisi quis velit discutiendum originale in infantibus peccatum, videndumque quomodo sit contractum, baptismique gratia expiatum.* Sed hæc opinio isidem nititur falsis hypothesibus, quod Maria fuerit ab originali peccato penitus libera, quod baptismus ipsam peccati radicem in infantibus tollat, quod discussio ac discretio iudicii tantum spectet operum merita &c.

Quaeritur An etiam irrationales creaturae sint iudicandae?

§. LII. Quæritur hoc loco 1) *An etiam irrationales creaturae sint iudicandae?* Adfirmat Bucanus in inst. theol. sic enim scribit loc. 38. q. 9 p. 431. *Iudicabuntur suo modo irrationales creaturae, cœlum, terra, & quidquid in iis continetur,*

quia 2 Petr. III. 7. & seqq. *Cœli & terra servantur igni in diem damnationis & exitii impiorum hominum, & cœli conflagrantes cum stridore transibunt a mutabilitate scilicet ad immutabilitatem & ἀφθαρσιαν. Elementa vero æstuantia solventur & liquescent, terraque & quæ in ea sunt, omnia opera exurentur.* Secutus est hac in parte Aretium, qui in problemat. loco CLVIII. p. 510. eadem habet. Atqui 1) scriptura nusquam adserit, irrationales creaturas esse iudicandas, sed angelos & homines 2) conflagratio mundi erit consequens iudicii, non autem proprie obiectum. 3) Si irrationales creaturæ, adeoque omne quod in cœlo ac terra continetur, essent iudicandæ, consequens erit, etiam irrationales creaturas resurrecturas, quia antecedens iudicii est mortuorum resurrectio. 4) Quod cœlum & terra dicuntur *reservari igni in diem iudicii*, 2 Pet. III. 7. ex eo inferri nequit, cœlum & terram inter iudicii extremi obiecta esse referenda, quia additur apud apostolum *in diem iudicii & perditionis impiorum.* Ergo respectu impiorum in die novissimo iudicandorum, non autem respectu cœli & terræ vocatur dies iudicii. 5) In conflagratione mundi veteris adparebit vindicis iræ divinæ severitas adversus damnatos, in creatione novi cœli ac terræ novæ divina benignitas erga electos & glorificatos. Quod si ergo testimonium illud iræ & gratiæ divinæ iudicii nomine intelligitur, non magnopere refragabimur, si hoc sensu ac respectu cœlum & terra iudicanda statuantur. 6) An mundus κατασταν abolendus, an vero κατα ποιοτητας duntaxat immutandus sit, quod posterius Bucanus h. l. adserit, inferius dispiciemus. Quæritur II.) *An etiam boni angeli sint iudicandi?* Adfirmat Petrus Thyræus lib. de gloriosa Christi adparitione cap. 12. *Iudicabit*, inquit, *Christus angelos, quando bonis meritorum suorum præmia ac coronas publice decernet, malis autem æterna dictabit supplicia.* Sed ex 1. Cor. VI. 3. 2. Petr. II. 4. Tertullianus de habitu mulier. cap. II. & alii ex veteribus rectius statuunt, *malos tantum angelos* in die novissimo iudicandos. Quæ bonorum tunc futura sint officia & ministeria, exposuimus superius §. 40.

§. LIII. II) Obiectum *reale* seu *formale*, de quo iudicium instituendum, est cuiusque fides vel incredulitas, de qua ex propriis effectis bonis scilicet vel malis operibus iudicabitur. *II) Obiectum reale.* 1) De *factis & operibus* iudicium ferendum patet ex processu iudiciario Matth. XXV. 35. *Esurivi & dedistis mihi cibum.* v. 42. *Esurivi & non dedistis mihi cibum.* Eccles. XII. 14. *Cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in iudicium.* 2. Cor. V. 10. *Omnes nos oportet manifestari coram tribunali Christi, ut reportet unusquisque secundum id, quod fecit sive bonum sive malum.* Apoc. XX. 12. *Iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum.* Inde toties in scripturis repetitur, quod *Deus redditurus sit unicuique secundum opera*, 2. Paral. IV. 30. Iob. XXXIV. 11. Ps. LXII. 13. Prov. XXIV. 12. Sir. 16. 12. Ierem. XXV. 14. XXXII. 19. Matth. XVI. 27. Rom. II. 6. Apoc. XXII. 12. Quidam huc referunt. locum apostolicum; 1. Cor. III. 13. *cuiusque opus manifestum erit, dies enim Domini declarabit, & cuiusque opus quale sit, ignis probabit.* Sed ostendimus suo loco, per *diem* hic rectius intelligi vel *generatim* progressum temporis, vel *speciatim* tempus tribulationis ac probationis, quam diem extremi iudicii. 2) De

ver-

verbis iudicium instituendum testatur Christus Matth. XII. 36. *Dico vobis, quoniam de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, rationem reddent in die iudicii.* 37. *Ex verbis enim tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis*, id est, impii & increduli, qui in hoc seculo peccatorum remissionem in Christo & propter Christum non fuere consecuti, non habebunt, quo vel verbum otiosum apud Deum excusent, ut ipse adquiescat, ac si Deus nobiscum in iudicium vellet intrare, etiam de otioso verbo rationem cogeremur reddere. 3) De *cogitatis* in corde latitantibus iudicatum iri, constat tum ex illis scripturæ dictis, quæ disertis verbis cogitationes in iudicium adducunt, Sap. I. 9. *In cogitationibus impii interrogatio erit.* Rom II. 15. *Cogitationes se invicem accusant vel defendunt*, v. 16. *in die, qua iudicabit Deus occulta hominum.* Heb. IV. 12. *Sermo Dei penetrabilior est omni gladio ancipiti κριτικος cogitationum & intentionum cordis:* tum ex illis Spiritus sancti oraculis, quæ *occulta hominum* in illo die manifestanda & iudicanda esse adserunt, Iob. XX. 27. *Revelabunt cæli iniquitatem eius* (impii) *& terra consurget adversus eum.* Eccles. XII. 14. *Etiam occultum adducet Deus in iudicium.* Rom. II. 16. *Iudicabit Deus occulta hominum.* 1. Cor. IV. 5. *Nolite iudicare ante tempus, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Quod ergo apostolus 2. Cor. V. 10. dicit, *unumquemque relaturum propria corporis prout gessit*, id non est accipiendum *exclusive*, quasi tantum externa facta sint in iudicium adducenda, sed iuxta Augustini interpretationem lib. de prædest. sanct. cap. XII. *extensive*, ut intelligantur *omnia opera, quae fiunt, dum vivimus in corpore*, sive interius nudis cogitationibus, sive exterius verbis & factis peragantur.

§. LIV. Atque istæc omnium operum verborum & cogitationum manifestatio in die iudicii futura denotatur per *apertionem librorum* prædictam Dan. VII. 10. Apoc. XX. 12. Per hos enim libros significatur 1) *Liber vitae*, in quem per æternam prædestinationem credentes in Christum scripti sunt Apoc. XX. 12. *Alius liber apertus est, qui est vitae.* In die enim iudicii omnibus angelis & hominibus manifestum fiet, quinam fuerint electi, illi scilicet, quorum nomina per fidem invenientur scripta in hoc libro vitæ, per quem intelligitur catalogus salvandorum, quos Deus ex immensa misericordia propter meritum Christi perseverante fide adprehensum & ab æterno prævisum ad vitam æternam elegit, Exod. XXXII. 32. Psalm. LXIX. 29. Esa. IV. 3. Dan. XII. 1. Luc. X. 20. Phil. IV. 3. Apoc. III. 15. XIII. 8. XXI. 27. quique fuerint reprobi, illi scilicet qui non inveniantur scripti in libro vitæ, qui proinde *mittentur in stagnum ignis*, Apoc. XVII. 8. XX. 15. 2) *liber divinae omniscientiae*, quam nihil quidquam eorum, quæ homines in terris egerunt, fugit, Psal. LVI. 9. CXXXIX. 16. Malach. III. 16. Ut enim liber vitæ in specie denotat præscientiam salvandorum in Christo, Rom. VIII. 29. 2. Tim. II. 10. 1. Pet. I. 2. sic liber in genere Deo attributus divinam omniscientiam ac præscientiam notat, qua omnium hominum vitam, actiones, cogitationes &c. novit. Hic liber in iudicio aperietur, quia tunc fiet omnibus notum & manifestum, quod in

Apertio librorum

in hac vita hominibus fuit occultum, soli autem scientiæ divinæ notum. Hæc explicatio videtur proxime ad textum accedere. Vocantur autem in plurali *libri*, non respectu divinæ mentis aut notitiæ, quæ est simplicissima, sed ad obiectorum rerumque inscriptarum varietatem ac diversitatem denotandam. 3) *Liber scripturae sacrae.* Is enim dicitur *liber vitae* Sir. XXIV. 32. in vulgata versione, quia continet *verba vitae aeternae.* Ioh. VI. 68. Augustinus lib. XX. de civ. Dei c. XIV. *Libri illi, quos priore loco posuit, intelligendi sunt sancti & veteres & novi, ut in illis ostenderetur, quae Deus fieri sua mandata iussisset, in illo autem, qui est vitae uniuscuiusque, quid horum quisque non fecisset, sive fecisset.* Homil. XVII. in Apoc. circa medium *libros apertos testamenta Dei* dicit. *Hic liber dicitur in iudicio aperiendus, quia iudicabit Deus occulta hominum secundum evangelium, quod in Propheticis & apostolicis libris continetur,* Rom. II. 16. *sermo, quem locutus est Christus iudicabit homines in die novissimo,* Ioh. XII. 48. Beda per hos libros intelligit scripturam sacram, *quae tunc aperietur, quando patebit verissima esse, quae nos de extremo iudicio ea docuit.* Anshelmus in elucid. per librum in iudicio aperiendum intelligit *vitam Christi, in qua omnes quasi in libro legent, quid de praeceptis eius vel fecerunt vel neglexerunt.* 4) *Liber conscientiae.* Est enim conscientia *volumen grande, in quo cuncta veritatis stilo scribuntur, ad quem librum emendandum omnes alii libri sunt inventi.* Hic liber itidem in iudicio aperietur, quia quod in cuiusque conscientia occultum & absconditum fuit, id tunc omnibus manifestum fiet. Ambrosius in Psal. I. *Quid libri aperti sunt nisi conscientia, non atramento scripti sed vestigiis delictorum & flagitiorum inquinamento.* Eodem modo exponit illos libros Origenes in Rom. XIV. a quo non multum abit Hieronymus, quando in comm. Dan. VII. scribit, *in die iudicii duos libros aperiendos, unum bonorum operum, qui adpelletur liber vitae, & adservetur penes Deum & sanctos angelos: alter malorum operum, qui est penes diabolum, quem ipse tunc proferet ad malos homines accusandos & condemnandos.* Augustinus lib. XX. de civit. Dei cap. XIV. lib. XX. *Si hic liber carnaliter cogitetur, quis eius magnitudinem aut longitudinem valeat aestimare? aut quanto tempore legi poterit liber, in quo scriptae sunt universae vitae universorum. An tantus angelorum numerus aderit, quantus hominum erit, ut & vitam suam quisque ab angelo sibi adhibito audiat recitari? non ergo unus liber erit omnium, sed singuli singulorum. Scriptura vero ista unum volens intelligi. Et aliud inquit liber apertus est. Quaedam igitur vis est intelligendi divina, qua fiet, ut cuique bona opera sua vel bona vel mala cuncta in memoriam revocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut accuset vel excuset scientia conscientiam, atque ita simul & omnes & singuli iudicentur, quae nimirum vis divina libri nomen accepit, in ea quippe quodammodo legitur, quidquid a faciente recolitur.* 5) *Liber testificationis humanae.* Illi enim, quibus pii in hac vita benefecerunt, publice in iudicio eorum opera praedicabunt, & hac ratione per testimonium & adprobationem *in aeterna tabernacula eos recipient,* Luc. XVI. 9. contra vero de immisericordia impiorum conquerentur. *Ninivitae & regina austri surgent in iudicio, & condemnabunt gentem iudaicam incredulam,* Matth. XII. 41. 42. 6) *Liber accusationis diabolicae.* Diabolus *accusat homines die ac nocte,* Apoc. XII. 10. is ergo in die iudicii prolixum cata-

catalogum eorum, quæ ipsius instinctu homines impii peregerunt, recitabit. Dicturus est enim coram tribunali Christi, teste Augustino serm. contra Iudæos, Paganos & Arianos: *Æquissime iudex, iudica istum meum esse ob culpam, qui noluit tuus esse per gratiam. Tuus est per naturam, meus est per miseriam; tuus per passionem; meus per suasionem; tibi inobediens, mihi obediens; a te accepit immortalitatis stolam, a me accepit hanc pannosam tunicam; tuam vestem dimisit, cum mea huc venit. Æquissime iudex, iudica istum meum esse, & mecum damnandum esse.* Quin imo in die illo iudicii cœlum & omnia elementa impios accusabunt, ut Hugo de Sanct. Victore lib. II. de arca cap. 3. scribit: *cœlum dicet peccatori: ego lucem tibi ministravi ad solatium; aër dicet, ego omne genus avium tibi dedi ad obsequium; aqua dicet, ego diversa genera piscium tibi dedi ad esum; terra dicet ego panem & vinum tibi dedi ad nutrimentum. Postquam vero omnia elementa recitaverunt sua beneficia, convertentur peccatori ad supplicia.* Sicut idem ostendit: *ignis dicet, in me demergatur; aër dicet, in me ventiletur; terra dicet, a me absorbeatur; infernus dicet, a me deglutiatur.* 7) Denique *liber iustitiae divinae.* In hac vita liber divinæ iustitiæ est velut involutus, quia bonis male, malis vero bene esse quandoque videtur, sed in die iudicii hic liber aperietur, tunc enim bonis præmia, malis vero supplicia in publico angelorum & hominum conspectu reddentur.

§. LV. Antithesis.

Antithesis. *Pontificii* statuunt, non de *fide* vel *infidelitate*, sed simpliciter de *operibus tanquam meritis* salutis vel damnationis sententiam ferendam esse. Bartscius in post. dom. I. adv. *Extremum iudicium eo unice spectat, ut tum merces non credentibus, sed bene operantibus decernatur.* Stapletonus in antidot. Matt. Lindanus in dial. I. Dubitantii. Binsfeldius in concl. sect. IV. membr. 1. Hesselius in catechesi cap. 41. idque demonstrare conantur ex processu iudiciali Matth. XXV. 34. & seqq. descripto. Sed de hoc loco in quæstione II. ex professo agetur, hic breviter monemus, 1) causam salutis immediatam & adæquatam esse *misericordiam Dei Christi merito* partam, in *verbo evangelii* oblatam & *fide* a nobis adprehensam. 2) Opera ergo adducentur non ut salutis merita, sed ut fidei testimonia & effecta. 3) Damnationis causa propria, immediata & adæquata est *incredulitas*, ideo enim impii damnabuntur, quia oblatam in evangelio gratiam & peccatorum remissionem repudiarunt. Iohan. III. 36. *Qui non credit in Filium, ira Dei manet super ipsum*, hoc est, omnes homines propter peccatum natura *sunt filii irae*, Eph. II. 3. a qua non possunt nisi per Christum, qui est *unus homo in gratia*, liberari, Rom. V. 15. qui ergo in ipsum credunt, ab ira liberantur, & in statum gratiæ transferuntur, 1 Thess. I. 10. qui vero non credunt, sub pondere iræ divinæ manentes æternum pereunt. Ambrosius lib. I de pœn. cap. 11. tom. 1. p. 159. *Quod manet, utique iam cœpit, & ex delicto aliquo cœpit, quia ante non credidit. Ubi ergo quis credit, ira Dei discedit, vito autem accedit. Credere ergo in Christum lucrum vitae est.* Augustinus serm. XIV. de verb. apost. *Non est dictum, ira Dei veniet super ipsum, sed manet super ipsum, ut intelligeremus fidem in Christum esse necessariam, non solum ne incidamus in iram Dei, sed etiam ut liberemur ab ira Dei, in quam incidimus per inobedientiam primi parentis.*

rentis. Confer enarr. in Psalm CI. 4) Prætermissa igitur opera misericordiæ itidem adlegantur, ut effectus ac consequens incredulitatis, per quam & propter quam impii damnantur. 5) Interim a causa meritoria damnationis nequaquam absolute & simpliciter excluduntur peccata impiorum, ficut a causa meritoria salutis excluduntur bona opera piorum. Est enim hac in parte dispar utrorumque ratio. Bona opera *consequenter* secum trahunt mercedem gratuitam & indebitam, *antecedenter* vero non merentur vitam æternam. Mala autem opera non tantum *consequenter* adferunt mercedem pœnæ debitam, sed etiam *antecedenter* æternam mortem promerentur. 6) Duplici nomine doctrina scripturæ sacræ, quod bonorum operum in iudicio respectus sit habendus, a pontificiis depravatur, tum quia bona opera fidei opponunt, quasi tantum operum, non autem fidei ratio sit habenda, ut αντιθεσεις apud Stapletonum, Bartscium & reliquos testantur, id quod pugnare dicimus non modo cum expressis Christi verbis, Marc. XVI. 16. Ioh. III. 18. V. 24. sed etiam cum ipsa natura bonorum operum, quippe quæ non possunt esse vere bona opera, nisi ex fide proficiscantur: tum quia iuxta merita operum iudicium instituendum esse docent. Contra vero scriptura pronunciat, non propter opera velut merita quædam piis vitam æternam esse adiudicandam, sed secundum opera tanquam fidei effecta & testimonia iudicium in publico angelorum & hominum conspectu esse instituendum, nec ex merito sed ex gratia bona opera piorum esse remuneranda, Rom. VI. 23. VIII. 17. Col. III. 24. &c. *Secundum opera* iudicabimur, sed non *propter opera* in possessionem regni cœlestis vocabimur; *ex operibus* iudicabitur primario de *fide*, an præsto fuerit necne, secundario de *persona* an fuerit in gratia, necne, ut ex doctrina evangelii constat. Hippolytus Martyr in orat. de consumm. seculi: *de hoc iudicio die noctuque meditemur &c ut nobis quoque dicat ille misericors hominumque amans Deus: fides tua te salvum fecit, vade in pace. Item illud: euge serve bone & fidelis &c.* Confer ea, quæ de meritis operum suo loco plenius dicta.

§. LVI. Quæritur hoc loco 1) *Quare in descriptione iudicialis processus* Matth. XXV. *duntaxat opera misericordiae & quidem corporalis enumerentur praetermissis reliquis fidei fructibus & effectis?* Euthymius in comm. illius loci respondet, *rationem iudicii ibi a Domino commemoratam non ad omnes homines, sed duntaxat ad christianos pertinere, ad quos praecepta evangelii facta sunt, ethnicos vero non potissimum ob neglecta misericordiae opera, sed ob infidelitatem condemnandos esse.* Ioh. III. 18. Qui non credit, iam iudicatus est. *Iudicium autem christianorum in ecclesia ideo peculiariter a Domino induci arbitratur, quia ethnici & infideles extra ecclesiam in die illo critico suam secum deferent condemnationem, eamque ex conspecto signo Filii hominis in cœlo adparente e vestigio agnoscent, unde notanter dici a Christo, quod statim, ut adparuerit signum Filii hominis, tribus terrae mox sint planctarae*, Matth. XXIV. 30. Idem videtur Barradio tom. III. conc evang. lib. IX. cap. 19. p. 608. *Infidelibus ethnicis*, inquit, *ignotus est Christus. Ergo non dicet illis Dominus, esurivi, & non dedistis mihi manducare. Quomodo enim possent cibum dare, id est, pauperibus propter Chri-*

Quaeritur I) quare opera misericordiae duntaxat in descriptione iudicialis processus Matth. XXV. enumerentur?

Christum, si Christum non agnoscunt? Atqui non solum ethnici & infideles, sed etiam hypocritæ in ecclesia suam statim agnoscent damnationem ex ipso iudicis conspectu; pii enim & electi resurgent cum corpore glorificato, & iudicem videbunt summa cum lætitia, impii vero & damnati resurgent cum corpore passibili, & iudicem videbunt summa cum trepidatione suique ignominia. Adde quod in numero incredulorum non solum censendi sint ethnici extra ecclesiam, sed etiam hypocritæ in ecclesia, utpote vera & salvifica fide per caritatem efficace destituti; quotquot enim damnabuntur, illi propter incredulitatem tanquam causam immediatam propriam & adæquatam damnationis a salute excludentur, Ioh. III. 36. *Qui non credit in Filium, non videbit vitam, sed ira Dei manebit super eum.* Augustinus lib. XXI. de civ. Dei cap. 27. & serm. L. de tempore (si tamen illorum sermonum Augustinus auctor est) existimat, *sola misericordiæ opera propterea requiri, quod peccata reliqua illis potuerint expiari.* Sed hæc responsio analogiæ fidei minus congrua est, quippe quæ in solo Christi merito satisfactionem pro peccatis, eorumque coram Dei iudicio expiationem unice quærendam esse docet, ut alibi plenius fuit demonstratum. Simplicissima responsio petitur ex contextu. In præcedenti parabola v. 14. docuerat Christus, rationem in iudicio exigendam esse de *usu talentorum*, id est, donorum divinitus concessorum, qua parabola præcipue apostolos & eorum in officio docendi successores, adeoque quosvis prærogativa divinorum charismatum donatos vel in eminentia muneris constitutos sui admonere voluit officii. Dico *præcipue*, quia nullus hominum est, qui non aliquid a Deo si non talentum, tamen drachmulam acceperit, qua lucrari, id est, proximo prodesse & Dei gloriæ inservire possit ac debeat, proinde *secundario* & *extensive* ad omnes homines hæc parabola pertinet. In hac pericope decet exigendam esse in iudicio rationem de *operibus misericordiæ* vel præstitis vel neglectis, omnes in universum christianos, præcipue vero auditores sui admonere cupiens officii, a quibus non tam talentorum quam misericordiæ erga pauperes rationem exigendam esse significat, omnem tergiversandi occasionem iisdem subtrahens. Ut simus martyres, paucorum est; ut simus doctores & columnæ ecclesiæ, paucorum est. At haustum frigidæ aquæ proximo sitiendi dare nemo non potest. Quod autem non præcipue & inprimis propter apostolos, & eorum in docendi officio & divinorum charismatum participatione consortes, sed propter auditores, qui per illorum prædicationem crediturі erant, isthæc dicta sint, adparet ex ipso verborum sono vers. 40. *Quidquid feciſtis uni de his fratribus meis minimis mihi feciſtis;* & v. 45. *quod non feciſtis uni de his minimis, mihi non feciſtis;* ubi δεικτικον τετων est valde emphaticum, digitum enim intendit in apostolos & eorum in penuria consortes, qui in hoc mundo aliorum beneficentia vel maxime indigebant. Interim ut proxime præcedentem parabolam secundario & extensive ad omnes referri posse diximus, ita quoque hoc loco sub operibus misericordiæ corporalibus quævis opera dilectionis, ac proinde etiam opera misericordiæ spiritualia, adeoque omnia veræ fidei effecta & indicia extensive intelligi possunt. Scopus enim Christi est docere, quod iudicium instituendum sit *secundum opera* tanquam externa & visibilia fidei interius in corde

latentis testimonia. Ea igitur opera commemorat, quæ ex dilectione, individua fidei comite, Gal. V. 6. oriuntur, quæ vel maxime ad sustentationem vitæ indigenti proximo necessaria sunt, a quibus nemo se facile excusare potest, ad quæ ipsa humanitas quemvis impellit, & ad quæ reliqua bona opera commode reduci possunt. Euthymius d. l. *De sola caritate differit, non quod caetera vel iustorum bona opera, vel peccatorum delicta sine examinatione vel distussione relinquenda sunt, sed confirmare volens, quod caritatem Deus maxime requirit, & hanc prae omnibus expedit, utpote christianis maxime necessariam, cuiusque enim christiani insigne, quo dignosci potest, est dilectio, huius autem optima pars est pauperum amor & erga proximum compassio ac misericordia, quia, iuxta Gregorium theologum, nulla re inter omnes ita colitur Deus ut misericordia, neque alii cuiquam magis rependetur humanitas quam humanitati.*

§. LVII. Quæritur II) *An ex processus iudicialis verbis colligi possit, electis propter operum merita tanquam debitam mercedem reddendam esse vitam aeternam?* Adfirmant pontificii urgentes tum particulam αιτιολογικην γαρ, *venite, possidete regnum, esurivi enim, dedistis mihi cibum;* tum oppositionem electorum & damnatorum. Quemadmodum enim pro causa, propter quam impii in ignem æternum proiiciuntur, allegantur opera misericordiæ ab ipsis neglecta, ita pro causa, propter quam pii ad possessionem regni cœlestis vocantur, allegantur opera misericordiæ ab ipsis præstita. Bellarminus lib. V. de iustificat. cap. 3. Iansenius, Barradius, Maldonatus Salmeronius & reliqui omnes pontificii scriptores in comm. Matth. XXV. sed resp. 1) Hypothesi de meritis operum adversatur *fidei analogia* in clarissimis scripturæ locis proposita, ut in tract. de bon. operib. §. 89. & seqq. multis ostendimus. Universa scriptura testatur, iudicem non *propter opera* vitam æternam daturum, sed *secundum opera* vel operum testimonia iudicaturum, quia χαρισμα θεου *est vita aeterna*, Rom. VI. 23. 2) Eamdem validissime evertit sententia Christi definitiva in hoc ipso loco proposita: *venite benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis a constitutione mundi*, v. 35. vocat electos *benedictos*, videlicet in benedicto illo semine, in Christo per fidem adprehenso, quos cœlestis Pater *benedixit omni benedictione spirituali in cœlestibus*, Gal. III. 9. Eph. I. 3. non autem benedicentes se in operum suorum meritis, inque illis confident. Nec dicit simpliciter *accipite*, sed κληρονομησατε, *hereditate* vel *in hereditatem accipite* tanquam paternum bonum ob υιοθεσιαν, vobis promissum, Rom. VIII. 17. Arqui si vita æterna ipsis datur ut *hereditas filialis*, utique non contingit ut *merces servilis*. Per fidem obtingit piis υιοθεσια, Iohan. I. 12. Gal. III. 27. &c. ergo & hereditas regni cœlestis. Si autem per fidem, ergo non ex operibus; *si ex gratia, ergo non ex operum meritis*, ut oppositiones apostolicæ luculente testantur, Rom. III. 28. XI. 6. Gal. II. 16. Eph. II. 8. & 9 &c. Denique regnum illud dicit ipsis *paratum esse a constitutione mundi*, per electionem scilicet factam in Christo *ante iacta mundi fundamenta*, Eph. I. 4. *antequam quidquam boni vel mali egissent*, Rom. IX. 11. Iam vero præparatio illa regni sive electio

Quaeritur II) An ex processus iudicialis de sripitione colligi possit, electis propter operum merita reddendam esse vitam aeternam?

ad

ad regnum est mere gratuita, ut suo loco multis argumentis demonstratum fuit. Ergo etiam ipsa possessio regni datur ex gratia & non ex merito. 3) Ipsimet electi immensam largitatem mirantur dicentes v. 37. *quando te vidimus esurientem & pavimus te?* Ergo ex simplicitate cordis, non autem cum opinione meriti bona fecerunt, nec opera sua tanta remuneratione digna æstimant. 4) Adducuntur ergo opera misericordiæ a Christo non ut ποιητικα, ut causæ efficentes meritoriæ regni cœlestis, sed ut σημαντικα, ut veræ fidei testimonia ac fructus, quibus exterius declararunt, se esse in Christo benedictos & electos. *Causam efficientem* Christus iam ante expresserat, videlicet gratuitam Dei misericordiam, qui in Christo nos ad vitam æternam elegit, inque filios adoptavit, iam profert electionis illius & veræ fidei τεκμηρια, quia iudicium illud visibiliter in angelorum & hominum præsentia instituetur, ideo opera producuntur tanquam indubitati testes fidei iustitiam interiorem exterius demonstrantes. 5) Proinde particula γαρ non est *causalis*, sed *ratiocinativa*, non exprimens causam meritoriam vitæ æternæ, sed dictorum consequentiam subiiciens, hoc est, rationem prolatæ a Christo sententiæ, quia scilicet operibus misericordiæ se electos, benedictos ac veros Dei filios esse demonstrarunt, hoc est, non *meritum* possessionis vitæ æternæ, sed *qualitas* eorum, qui vitam æternam hereditate consequentur, hisce verbis exprimitur. 6) Eadem est ratio membri posterioris, videlicet in sententia contra damnatos prolata. Christus enim ubique propriam, immediatam & adæquatam causam damnationis constituit *incredulitatem*, Marc. XVI. 16. Ioh. III. 18. & 36. cum vero incredulitas illa in corde lateat, ideo producuntur opera mala, cumprimis immisericordia erga proximum, tanquam fructus & effectus incredulitatis interius in corde delitescentis, 1 Ioh. III. 14. Causa condemnationis ratione *meriti* esset quodvis peccatum contra legem divinam commissum, quia omnia sunt æterna morte digna; at non ratione *exsecutionis*, quia alias omnes essent damnandi. Causa igitur condemnationis est sola incredulitas, quatenus damnatio in se & *formaliter* consideratur; interim *materialiter* & ratione diversorum graduum spectatæ condemnationis causa est peccatorum gravitas vel levitas. 7) Sed & inter bona ac mala opera maxima est disparitas. Mala opera perfecte talia sunt, & ex se damnationem merentur, sed bona piorum opera sunt imperfecta, multis infirmitatibus contaminata, sunt Deo iam ante debita, proinde ex se & in se vitam æternam mereri neutiquam possunt, unde apostolus Rom. VI. 23. *peccati stipendium* esse dicit *mortem aeternam*, sed *vitam aeternam* χαρισμα, *gratuitum Dei donum in Christo* esse adserit. Confer tract. de bon. operib. §. 58. & 117.

CAPVT V.

DE FORMA IVDICII EXTREMI.

Forma iudicii 1) Solennis ad iudicium praeparatio.

§. LVIII. De *forma iudicii* recte usurpari potest illud Augustini lib. XX. de civit. Dei cap. 30. circa fin. *Quomodo atque ordine illud sit futurum, magis tunc docebit rerum experientia, quam nunc valet consequi ad perfectam hominum intelligentiam.* Illud tamen ex scripturis constat, eam describi sub

idea auguſtiſſimi iudicii viſibiliter & audibiliter exercendi. Dan. VII. 9. Matth. XXV. 31. Apoc. XXI. 12. Anshelmus in comm. Rom. XIV. *Vt iudicii ſpecies notior fieret hominibus iudicandi forma ex his, quae inter homines geruntur, adſumta eſt &c.* Docendi cauſa duas eius partes conſtituere poſſumus, 1) *Solennem ad iudicium praeparationem*, 2) *ipſam iudicii adminiſtrationem.* 1) Quod praeparatio quædam ad iudicium eiusdemque adminiſtrationem præceſſura ſit, colligitur ex Apoc. XX. 4. *Vidi ſedes, & ſederunt ſuper eas, & iudicium datum eſt illis.* v. 11. *Vidi thronum magnum candidum & ſedentem ſuper eum.* Ad præparationem illam pertinet 1) *Chriſti iudicis in throno gloriae collocatio.* Quando Chriſtus in ſecundo ſuo adventu ex improviſo redibit glorioſus, angelorum ſatellitio ſtipatus, ab omnibus conſpiciendus, tunc *ſedebit ſuper thronum maieſtatis* ſive gloriæ *ſuae*, Matth. XIX. 28. XXV. 31. qui thronus erit tribunal iudiciarium, coram quo omnes homines ſunt ſiſtendi, Rom. XIV. 10. 2 Cor. V. 10. Quamvis vero exacte ſciri nequeat, quis ac qualis ille thronus ſit futurus, unde quidam putant per eum accipiendos eſſe *angelos*, inter quos quidam dicuntur *throni*, hoc eſt, ſedes, quidam de *iride* accipiunt; probabiliter tamen ſtatuimus, hunc thronum fore partim *inviſibilem*, ipſam ſcilicet Dei dextram, ad quam Filius hominis evectus eſt, quæ propterea vocatur *dextra maieſtatis in excelſis*, Hebr. I. 3. quia eſt ipſa increata & infinita Dei virtus & maieſtas; partim *viſibilem*, ſplendidam ſcilicet & auguſtam quamdam nubem, cum venturus dicatur *in nubibus cæli*, ut ſuperius ex ſcripturis docuimus. Super hunc thronum collocabit iudicem Chriſtum Pater cœleſtis, ut colligitur ex Dan. VII. 9. *Adſpiciebam, donec throni poſiti ſunt, & Antiquus dierum ſedit.* v. 13. *Et ecce cum nubibus cæli quaſi Filius hominis veniebat, & uſque ad Antiquum dierum pervenit, & in conſpectu eius adpropinquare fecerunt eum.* v. 14. *Et dedit ei poteſtatem & honorem & regnum &c.* Ut enim Pater *dedit Filio poteſtatem faciendi iudicium*, Ioh. V. 27. *& ſtatuit diem, in quo iudicaturus eſt orbem terrarum per virum, in quo decrevit*, Act. XVII. 31. ita quoque ſuper thronum iudiciarium eumdem collocabit. Nihilo tamen minus etiam ipſe Filius ſuper hunc maieſtatis ſuæ thronum ſeipſum collocabit, ut colligitur ex hac ſcripturæ locorum collatione: Eph. I. 20. *Pater collocavit Chriſtum ad dextram ſuam in cœleſtibus.* Pſalm CX. 1. *Dixit Dominus Domino meo, ſede a dextris meis.* Marc. XVI. 19. *Chriſtus conſedit a dextris Dei.* Hebr. I. 3. *Purgatione peccatorum noſtrorum facta per ſeipſum ſedit in dextra maieſtatis in excelſis.* Eadem eſt ratio collocationis in tribunal iudiciarium, quæ pertinet ad ſtatum exaltationis ac gloriæ, ad quam Chriſtus ſecundum humanam naturam eſt evectus. 2) *Omnium hominum coram tribunali Chriſti congregatio*, Matth. XXV. 32. Rom. XIV. 10. 2 Cor. V. 10. miniſterio angelorum peragenda, Matth. XXIV. 31. Marc. XIII. 27. Utitur vero apoſtolus d. l. duobus vocabulis maxime emphaticis. *Omnes*, inquit in priore loco παραστοιθα, *ſiſtemur* ſive præſentabimur *apud tribunal Chriſti* a Chriſto iudicandi, eſt enim verbum forenſe & iudiciale. Act. XXIII. 33. XXIV. 13. XXVII. 24. *Omnes nos*, inquit in loco poſteriore, *oportet* φανερωθηναι, *manifeſtari coram tribunali Chriſti.* In hoc ſeculo homines iudicio ſiſtendi occultant ſe, vel etiam fuga ſibi conſulunt, ſed in die noviſſimo nec occultationi nec fugæ patebit locus. Impii quidem dicent montibus & petris;

ta-

cadite super nos & abscondite nos a facie sedentis super thronum & ab ira agni, quoniam venit dies magnus irae ipsorum & quis poterit stare, Apoc. VI. v. 16. & 17. sed hoc votum erit prorsus frustraneum, *quia montes ac petrae instar cerae coram hoc iudice colliquescunt*, Psalm XCVII. 5. Propter hanc universalem omnium hominum παντηγυριν, in die iudicii futuram, vocatur dies ista tempus επισυναγωγης, 2 Thess. II. 1. non solum quia electi congregabuntur ad Christum, cum *quo semper erunt*, 1 Thess. IV. 17. de qua congregatione proprie & specifice ibi loquitur apostolus, sed etiam quia magni & pusilli, vivi & mortui in unum quasi congregabuntur concilium, & stabunt coram throno agni, Apoc. XX. 12. quod si unus aliquis non compareret, falleretur Dei iuramentum, Esa. XLV. 23. quod est prorsus αδυνατον. Deus omnes capillos nostros in numerato habet, Matth. X. 30. quanto magis omnes homines; *numerat omnes gressus*, Psalm LVI. 9. quanto magis homines, qui ambularunt? Omnes proinde homines *omnis temporis*, *omnis conditionis*, *omnis sexus*, *omnis aetatis*, ut glossa interlinearis Matth. XXV. 31. loquitur, coram isthoc tribunali comparebunt. Neque vero maiestas iudicis permittet, ut absque ullo reverentiae & subiectionis signo iudicandi coram ipsius tribunali consistant, sed γονυκλισια testatum reddent, se hunc iudicem regem & dominum agnoscere. Rom. XIV. 10. *Omnes stabimur ante tribunal Christi*, *scriptum est enim* (Esa. XLV. 23.): *mihi curvabitur omne genu*. Quidam de solis piis ac credentibus hoc accipiunt, qui in vera fide Deum invocant, quia additur: *& omnis lingua confitebitur* Deo. Sed ex Phil. II. 10. intelligitur, non solum pios sed etiam impios quin & ipsos daemones subiectionem suam erga Christum in die iudicii esse declaraturos, ideo confessio illa recte sic exponi potest, quod omnes creaturae rationales Christum pro Domino sint agnituraе ac rationem factorum ipsi reddituraе. 3) *Congregatorum in duas partes separatio* ac quorumdam ad dextram, quorumdam ad sinistram collocatio. Matth. XXV. 32. *Separabit eos ab invicem*, *sicut pastor segregat oves ab hoedis*. v. 33. *Ac statuet oves quidem a dextris*, *hoedos autem a sinistris*. Separatio ergo illa fiet non solum *interius* secundum iudicium & cognitionem Christi, sed etiam *exterius* secundum locum, utroque enim modo separatio instituetur. Conspicitur autem in ea tum *iudicis omniscientia*, quod exacte noverit discrimen inter pios & impios, Iob. II. 24. 2 Tim. II. 19. tum *aequitas & iustitia*, quod inaequales separando nemini faciat iniuriam, Act. XVII. 31. tum *efficax omnipotentia*, quia angelorum ministerio separationem illam instituet, Matth. XIII. 49. nec ferrent hanc separationem reprobi, nisi auctoritatem & potestatem iudicis ipsimet persentiscerent. Parabolae, quibus separationem illam Christus praefigurare voluit, in historia evangelica complures exstant, utpote per ventilationem & purgationem areae, Matth. III. 12. per zizaniorum a tritico discretionem, Matth. XIII. 30. per piscium bonorum a putribus segregationem, v. 48. ac d. l. per ovium ab hoedis αφορισμον sive separationem, praedictam etiam Ezech. XXXIV. 17. *Ecce ego iudico inter pecudem*, *arietes & hircos*. Quemadmodum in die, cum in campum mittuntur greges, oves permixtae sunt hoedis, ac in agro simul pascuntur, Iob. I. 14. sed in vespera pastor oves in propria septa colligit, & ab hoedis discernit: sic tempore huius vitae in latissimo mundi campo

po bonis mali sunt permixti, & ab eodem pastore Christo, qui omnes simul nutrit, pascuntur, sed in vespera, hoc est, in fine seculi ab invicem separabuntur. Quemadmodum pastori facilimum est oves ab hædis separare, sic Christus iudex absque ullo labore bonos a malis separare poterit. Electi comparantur *ovibus* propter mansuetudinem ac modestiam, propter simplicitatem, propter fructificationem in operibus bonis, quia lanam suam membris Christi promte impertierunt, propter patientiam, propter auditum vocis pastoris sui, propter signaturam crucis, propter iudicium mundi, a quo pro stolidis habentur &c. damnandi comparantur *hædis*, propter immunditiem peccatorum ac fœtorem, propter lasciviam ac libidinem, quia hœdus est animal lascivum ac fervens semper ad coitum, propter viarum obliquitatem, quia hœdi a recto discedunt itinere, ac per præcipitia gradiuntur, propter insultus ac molestias, quas piis in hac vita exhibent, Ezech. XXXIV. 21. propter infrugiferam vitæ conversationem, sunt enim ατακτοι και ακαρποι. Hieronymus in comm. Matth. XXV. *Hœdi semper pro peccato offeruntur in lege. Non dixit capras, quae possunt habere fœtum, & tonsae egrediuntur de lavacro omnes gemellis fœtibus & sterilis nulla inter eas, sed hœdos lascivum animal & petulcum.* Theophylactus ibidem: *Dominus dicit impiorum supplicium fore aeternum, hoc est, nunquam desinens, unde & ovibus comparat iustos, hœdis autem peccatores. Sicut enim hœdus nunquam fit ovis, sic nunquam peccator purgabitur, & erit iustus.* Cæterum ipsa collocatio præludium quoddam erit sententiæ utrique parti exspectandæ. Iusti enim vocabuntur ad felicitatem, lætitiam ac prosperitatem, quæ *dextrae* nomine in scripturis significatur; impii vero extremæ infelicitati, tristitiæ & adversitati tradentur, quæ *sinistrae* nomine significari consuevit. Glossa interlinearis Matth. XXV. addit, *a sinistris erunt, qui sinistra, hoc est, praesentia, quamdiu vixerunt, ardenter amaverunt.* Iusti a dextris collocati audient lætissimum illud invitatorium: *venite benedicti Patris mei;* impii ad sinistram constituti audient tristissimum illud depulsorium: *ite maledicti in ignem aeternum*, cuius diversitatis typus quidam videtur propositus Deut. XXVII. 11. ibi enim Dei auctoritate Moses præcipit, ut filiis Israël in terram promissionis ingressis sex tribus, quarum patres sive capita, videlicet *Simeon, Levi, Iudas, Issachar, Ioseph, & Beniamin*, ex liberis Iacobi uxoribus, Lea scilicet & Rachele, nati erant, starent super vel iuxta montem *Garizim ad benedicendum*, & sex tribus, quarum patres sive capita *Ruben, Gad, Asser, Zebulon, Dan & Naphthali* fere omnes ex ancillis nati erant, excepto scilicet Zabulone & Rubeno, qui quod cum ancilla patris sui uxore concubuisset, cum filiis ancillarum coniungi meruit, starent super vel iuxta montem *Hebal ad maledicendum*, hoc est, ut responderent Amen illi quidem ad benedictiones, hi vero ad maledictiones a Levitis pronunciandas, quod etiam impletum legitur Ios. VIII. 31. Pari ratione, quando Christus unicus summus nov. test. sacerdos piis dicit: *venite benedicti:* impiis autem: *discedite maledicti*, ac legis exsecutionem instituet, tunc *iusti stabuntur a dextris*, qui recte significantur per filios liberarum, quia paternam consecuturi sunt hereditatem; impii vero *a sinistris*, qui recte significantur per filios ancillarum & concubinarum, quia cœlestis Pater his non deputavit propriam suam hereditatem, sed præsentis duntaxat

xat vitæ bona velut quædam munera, perinde ut Abraham filiis ancillarum & concubinarum dabat munera, sed Isaaco ex Sara primaria uxore nato totam hereditatem relinquebat, Gen. XXV. 6. Leo serm. IV. de collect & eleemos. *Separabuntur ab iniustis iusti &c. a nocentibus innocentes, & cum praeparatum sibi regnum recensitis misericordiae operibus filii pietatis acceperint, exprobrabitur duritia sterilitatis.*

II) Ipsa iudicii administratio.

§. LIX. II) Ad ipsam iudicii *administrationem* pertinet 1) *causae cognitio.* Quemadmodum iustitia iudicis terreni requirit, ut causam prius cognoscat, antequam sententiam ferat: ita quoque cœlestis ille iudex causam utriusque partis adcurate prius inspiciet, antequam sententiam ferat. Quia vero *novit omne, quod est in homine, nec opus est ei, ut quis testimonium perhibeat de homine*, Ioh. II. 25. ideo nullo indigebit testium examine, nec necessarium ipsi erit, propriam reorum confessionem extorquere, sed *omnia nuda & aperta erunt oculis ipsius*, Hebr. IV. 13. interim quia in publico angelorum & hominum theatro ορατως και ακριτικως iudicium administrare constituit, ideo illorum causa occultorum & absconditorum manifestatio erit necessaria, sicut etiam rationes sententiae promulgatae illorum causa subiiciet, Matth. XXV. 35. & 42. Proinde ut partis utriusque, tam piorum scilicet quam impiorum, causa liquido cognoscatur, ideo cœlestis iudex omnia occulta & abscondita in clarissimam lucem collocabit, & ut apostolus loquitur 1 Cor. IV. 5. φωτισει τα κρυπτα της σκοτους, και φανερωσει τας βυλας των καρδιων. Quemadmodum lux revelat omnia, quae in tenebris prius fuere a conspectu remota, sic lux divinae maiestatis & gloriae, in qua Christus ad iudicium veniet, quævis occultissima revelabit; quam manifestationem per *librorum apertionem* etiam significari, monuimus superius. Quidquid in occultissimis terrae cryptis & cavernis ab impiis fuit commissum, illud omne in apricae luce conspicietur, neque solum conspicietur, sed etiam impios coram tribunali Christi adcusabit. Origenes tract. VII. in Matth. *Non opus erit multo tempore, ut ponatur nobis ratio de omnibus actibus vitae nostrae &c. volens enim Deus ventilare omnium mentes, ut unusquisque sentiat proprios actus bonos vel malos, cito omnia ab omnibus omni tempore gesta singulis quibusque faciet in mente ineffabiliter quadam virtute. Nec enim sicut nos volentes in mente facere alicui ea, quae fecit, opus habemus tempore sufficienti ad consummationem eorum, quae dicuntur a nobis, & in memoriam rediguntur, sic & Deus opus habet tempore volens nobis in mente facere omnia, quae gessimus in vita, ut cognoscentes universa, quae fecimus, intelligamus, propter quae aut punimur aut honoramur. Si quis autem celeritati divinae virtutis circa haec omnia consummanda non credit, hic nondum intellexit Deum, qui omnia fecit & non indiguit spatio temporis alicuius ad faciendam cœli & terrae & omnium, quae in eis sunt, creaturam &c.* Basilius magnus in hom. XIII. super Psalm XLVIII. οιδεις σε ετερος κατηγορος ςησεται η αυται αι πραξεις μετα της ιδιας μορφης εκαςη παρισταμενη. η μοιχεια, η κλοπη, η πορνεια μετα της νυκτος, μετα τε τροπε, μετα των χαρακτηριζοντων αυτην ιδιωματων και απαξαπλως εκαςη αμαρτια μετα τε ιδιε χαρακτηρος εναργη φερουσα την υπομνησιν παραςησεται. Idem in hom. II. ad divit. avaros. ωσπερ η σκια τω σωματι, ουτω ταις ψυχαις αι αμαρτιαι παρεπονται

πουται εναργως τας πραξεις εξεικονιζεσαι, quod sic expressit Agapetus in exposit. parænet. tom. I. orthodoxogr. p. 194. *Quemadmodum umbrae corpora sectantur, sic animas flagitia comitantur evidenti effigie actiones exprimentia, ideo non datur in iudicio negare, ipsa enim uniuscuiusque opera obtestabuntur, haud sane vocem emittendo, sed talia prorsus sese repraesentando, qualia iam a nobis patrata sint.* Idem in lib. de virginit. *Non confuse aut summatim aut indigeste peccata nostra cernentur, sed singula per partes, ut sese habent, velut in pictura noscentur.* Exempli causa, *quomodo ad patrandum quisque adulterium properans e lecto surrexit, quibus passibus incedens usus est, quo motu corporis lentiore ac concitatiore, quem habitum, eum procederetur, adsumsit, qua ex parte irrumpens uxorem alienam violavit, quo item ordine huic mulieri ad nefarium opus sese substravit. Haec inquam omnia velut per partes diligenter expressa cernentur, nec opus tantum externum sed & intimae cogitationes.* Ephremus in lib. de die iudicii cap. 1. *Arbores fructiferae tempore suo primum intrinsecus concipiunt fructum, postea vero divino nutu extrinsecus proferunt secundum suam naturam & fructum & folia: sic in die illa terribili omnes homines, quaecunque in hoc seculo quasi in tempore suo occulte intrinsecus sive bona sive mala gesserunt, ibi quasi fructus proprios ante tribunal Domini proferent.* Cyrillus Alexandr. in orat. de exit. animæ & secundo Christi adventu: *nihil accusatoribus eget iudex ille, neque testibus, neque demonstrationibus, neque probationibus, sed quaecunque fecimus, diximus, decrevimus, ea in medium adfert ob oculos nocentum.* Augustinus serm. 35. de verb. apost. circa medium: *certum est, in die illa ipsum ante se hominem constituendum, & ipsam sui vitam in cordis speculo demonstrandam, & testes contra eam non de foris aliquando sed intus de ipsa anima proferendos. Adiicienda erunt non aliqua peregrina, sed nimium nota testimonia, id est, opera sua. Ordinabuntur ante infelicem animam peccata vel crimina sua, ut eam & convincat probatio & confundat agnitio &c.* Confer lib. meditat. tom. IX. Leo serm. V. quadragesi. *Non potest eum quidquam fallere, cui pervium est omne solidum & apertum omne secretum, cui obscura clarent, muta respondent, silentium confitetur, & sine voce mens loquitur.* Damascenus in orat. de defunctis ex Athanasio: εν εκεινω τω πανδημω θεατρω, *in amplissimo illo ac generali theatro, quemadmodum actiones omnium detectae, ita omnium quoque facies omnibus erunt notae atque conspicuae, quoad usque omnes extremum a se invicem seiungantur &c. Quonam enim alioquin pudore suffundentur ii, qui tum in pudore atque infamia versabuntur, si non omnibus conspicui sint? Etenim tum denique ingens & gravis pudor oboritur, cum quispiam simul & agnoscit & agnoscitur. Quisquis enim erubescit, eos demum, quibus notus est, erubescit. Quandoquidem is, qui inter ignotos versatur, in nulla propemodum infamia versatur, cum erubescit &c.* Cassiodorus in enarrat. Psalm L. huc accommodat verba Psaltis, quæ adversus impios in die iudicii a Deo pronuncianda dicit: *cur adsumsisti pactum meum in os tuum, cum tamen oderis disciplinam, & proieceris verba mea post te? Videbas furem, & currebas cum eo, & portio tua cum adulteris. Os tuum abundavit malitia, & lingua tua concinnavit dolos. Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, & adversus filium matris tuae ponebas scandalum. Haec fecisti & tacui, existimasti iniquę, quod ero similis tui? Arguam te, & statuam contra faciem tuam. Hoc sermone*

(in-

(inquit) *futuri iudicii indicata qualitas, ubi peccator videbit ante se stare, quod se putabat oblivionis beneficio praeteriisse, horrorem immensum, formidinem inaestimabilem, poenam interminabilem.* Bernhardus lib. de anim. cap. 2. col. 119. *Quadam vi divina fiet, ut cuique sua opera bona vel mala in memoriam revocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut accuset vel excuset scientia conscientiam, atque ita simul & singuli & omnes iudicentur.* Quæ citri succo scribuntur, eius scripturæ nullum adparet vestigium, at si igni admota fuerint, clare leguntur, ita in igne iudicii omnia peccata adparebunt. Brumali tempore nix obtegit omnia, ut lutum a gemmis nequeat internosci, sed sol vernus retegit omnia; sic in huius vitæ bruma & caligine multa latent, quæ ad solem iustitiæ omnia manifestabuntur. An vero manifestatio illa omnium in die iudicii futura intelligenda sit *collective*, quasi omnia tam piorum quam impiorum peccata & utrorumque bona opera omnibus sint revelanda, an vero *distributive*, quod impiorum duntaxat peccata, piorum vero bona opera manifestanda sint, inferius dispicietur.

§. LX. 2) *Causae cognitae decisio ac definitivae sententiae promulgatio.* Postquam enim iustus iudex utriusque partis causam omnibus præsentibus tanquam iudicii testibus notam fecit, definitivam sententiam duplicem pro diversitate utriusque partis & causæ feret. Prior pars sententiæ erit longe iucundissima, qua piis ad dextram constitutis dicet: *venite benedicti Patris mei, hereditario iure possidete regnum, quod paratum vobis a constitutione mundi. Tunc dicet rex*, inquit Christus; qui se paulo ante vocaverat *Filium hominis*, quia in adsumta humana natura visibiliter iudicium administrabit ac *pastorem*, quia pios ab impiis separabit, ut pastor oves ab hœdis disterminat, is *regem* sese vocat, quia regis est iudiciariam ferre sententiam, ac fideles subditos ad regni beneficia vocare, perduelles vero ab eodem relegare & proscribere. Tunc non dicet Pilatus, *ergone rex tu es?* tunc non dicent Iudæi, *non habemus regem nisi caesarem*, sed omnes coram hoc rege sese humiliare cogentur. Loquetur autem ad pios vultu amico, verbis blandis, cum singulari favoris adfectu, dicens: Δευτε, *agite huc ad me venite*, quia in vita vestra audivistis vocem in evangelio sonantem: *venite ad me omnes qui laboratis*, Matth. XI. 28. ideo etiam ad regni in evangelio promissi consortium & possessionem venite. *Venite* ex procelloso mari in tranquillum portum, ex bello in triumphum, ex iactatione in quietem, ex exsilio in patriam, ex tuguriis in regnum, ex terris in cœlum. In hac vita vocati sunt ad ecclesiam, *ad regnum gratiae*, iam vocantur ad possessionem hereditatis æternæ & *ad regnum gloriae.* Δευτε ευλογημενοι του πατρος μου, *Venite benedicti*, id est, electi & dilecti Patris cœlestis filii, quos non solum ab æterno elegit, sed etiam in tempore *omni benedictione spirituali* replevit, Ephes. I. 6. *Venite benedicti*, in me benedicto semine, in quo benedicuntur omnes gentes. *Venite benedicti* & a maledictione legis liberati, spirituales Israëlitæ benedictionis a Deo facti participes. Κληρονομησατε, *hereditatem regni cœlestis adite*, non autem operum vestrorum meritum accipite. Filii Dei estis, ideo etiam hereditas vobis danda; *si filii, utique & heredes*, Rom. VIII. 17. Hereditatem crucis in vita vestra accepistis, restat, ut lucis & gloriæ hereditatem

accipiatis. *Hereditate accipite* tanquam paternum bonum vobisque iure adoptionis debitum, quodque non ad tempus sed in perpetuum possidebitis. *Accipite incorruptibilem, incontaminatam & immarcescibilem hereditatem conservatam vobis in cœlis*, 1 Petr. I. 4. *accipite regnum*, possidete non quodvis bonum, sed omnium maximum, ipsum scilicet regnum cœleste & æternum. *Venite, regnate*, utpote spirituales reges, ut quod in spe fueratis, etiam in re possideatis. *Possidete regnum* non primum paratum, ut ne recens exortum regnum putetis aliquando cessaturum, sed *paratum vobis a constitutione mundi*, imo ab omni æternitate. Paratum est vobis illud regnum *ante constitutionem mundi*, non autem vestris meritis adquisitum. Paratum est vobis illud regnum *ab aeterno*, per prædestinationem paratum *a constitutione mundi* per creationem, paratum *in tempore*, per meam passionem, per meum meritum & pretii persolutionem. Chrysostomus homil. XXXIV. in Genes. *Qui propter suam bonitatem, antequam esse inciperemus, haec praeparavit, quomodo non & frui concedet? Vide bonitatis excellentiam, quanta erga genus nostrum misericordia usus sit, ut & ante iacta mundi fundamenta nobis regni cœlorum fruitionem praeparare dignatus sit?* Subiunget autem iudex rationes decidendi: *esurivi enim & dedistis mihi cibum &c.* non quod opera misericordiæ sint vitæ æternæ merita proprie dicta, sed quia sunt veræ fidei fructus ac testimonia, ut superius plenius docuimus. Posterior pars sententiæ erit longe tristissima & horribilissima, qua impiis ad sinistram collocatis dicet: *ite maledicti in ignem aeternum.* Prius benedicti vocantur in regnum, quam maledicti in caminum ignis æterni deiiciantur, *quo videlicet acrius doleant videntes, quid amiserint, ac iusti videbunt & laetabuntur considerantes, quid evaserint.* Bernhardus serm. VIII. in Psalm. *Qui habitat;* deinde ut intelligamus iudicem proniorem ad recordandum & remunerandum benefacta piorum quam ad vindicandum malefacta malorum. Πορευεσθε dicet απ' εμου οι κατηραμενοι. Est in hac contra impios prolata sententia antithesis verborum prioris sententiæ. Ibi enim dicitur: *venite;* hic vero *discedite a me.* Ibi nominantur *benedicti*, hic vero *maledicti.* Non tamen additur, *maledicti Patris mei;* sicut pii vocati erant *benedicti Patris* cœlestis, quia ut Origenes in comm. monet, *benedictionis quidem auctor & administrator Deus est, maledictionis autem sibi unusquisque auctor existit, qui maledictione digna operatur.* Deus est causa benedictionis piorum, id est, tum fidei tum operum bonorum, tum gratiæ tum gloriæ; sed non est causa maledictionis impiorum, id est, incredulitatis ac peccatorum, propter quæ supplicio æterno mancipantur. Chrysostomus in comm. *Impiis dicet Dominus: ite maledicti, non quidem a Patre, non enim ipse, sed opera eis propria maledixerunt*, quod est evidens argumentum contra figmentum Calvinianum de absoluta damnatorum reprobatione. Ibi vocantur pii ad hereditatem regni cœlestis possessionem, hic vero igni æterno adiudicantur. Ibi dicitur regnum, ad quod pii vocantur ipsis paratum a constitutione mundi, hic vero ignis, ad quem impii damnantur, non hominibus, sed diabolo & angelis eius, qui in lapsu ei consenserunt, paratus dicitur, cuius diversitatis rationem pulcre expendit Irenæus lib. III. cap. 35. *Significat*, inquit, *Christus, quod non homini principaliter paratus sit aeternus ignis, sed ei, qui seduxit & offendere fecit hominem,*

ei

ei, inquam, qui princeps est apostasiae, principi abscessionis, & his angelis, qui apostatae facti sunt cum eo, quem quidem iuste percipient etiam hi, qui similiter ut illi sine pœnitentia & sine regressu in malitiae perseverant operibus. Similia occurrunt apud Origenem, Chrysostomum & Theophylactum in comm. Matth. XXV. Non ergo dicit ignem a Deo paratum iniustis, sicut dixerat regnum paratum hominibus iustis, ne Dei ordinationi sic adscribatur hominum condemnatio, sicut eorum salvatio; sed intelligamus, Deum neminem creasse ad perditionem, homines vero peccantes sua sponte peccatis suis se participes & obnoxios facere illis, quae inprimis & potissimum diabolo ac ipsius angelis erant parata. Sane ob praevisam finalem incredulitatem & impœnitentiam Deus ab æterno per reprobationem non minus hominibus damnatis, quam angelis malis ob peccatum inobedientiae æternum ignem paravit; interim diabolo & angelis eius ignis iste paratus dicitur, non hominibus, quia dæmones absque parato remedio illi sunt destinati, sed hominibus paratum est peccati remedium in Christo mediatore, per quem vera fide adprehensum debuissent ac potuissent ignem illum effugere. Nec dixit prius regnum, ad quod vocantur iusti, *paratum est angelis iustis*, sicut nunc dicit, *ignem paratum diabolo & angelis malis*, ne similiter intelligamus, homines mereri angelorum bonorum consortium, sicut consortium malorum angelorum malis suis operibus merentur. *Ite*, inquit, *maledicti.*

Quam tristis vox est, iudex cum dixerit, ite;
Tam dulcis vox est, cum dixerit ille, venite.

Mortis vel vitae breve verbum est: ite, venite,
Dicetur reprobis: ite; venite, piis.

Ite maledicti, qui ob transgressionem legis maledictioni facti estis obnoxii, Deut. XXVII. 26. nec fide adprehendistis eum, qui pro *vobis factus est maledictum*, Gal. III. 13. *discedite a me maledicti*, super quos manet, æternumque manebit pondus iræ divinæ & condemnationis legalis, maledicti primum maledictione *culpae*, nunc autem maledictione *pœnae aeternae. Discedite a me*, fonte vitæ indeficientis, a me lumine gloriæ beatificantis, a me torrente voluptatis inundantis, a me plenitudine ubertatis inebriantis. *Discedite a me* in ignem æternum, cuius flamma nunquam exstinguetur, qui paratus est diabolo & angelis eius, ac proinde eum cum diabolo & malis eius angelis communem habebitis; *merito enim idem supplicium habet, qui eiusdem voluntatis sunt*, ait Theophylactus in comm. *Cum illo habituri estis pœnae communionem, cuius elegistis facere voluntatem*, ait Leo serm. IV. de collect. & eleemos. *discedite a me*, nunquam redituri ad me, nunquam visuri me. At Deum non videre, est omni bono privatum esse, Deum non videre omnia gehennæ supplicia superat. *Discedite a me*, non solum me nunquam visuri, sed etiam cum diabolo & angelis eius in perpetuum futuri. *Discedite a me*, hæc est pœna damni, videlicet privatio beatificæ visionis; *discedite a me in ignem aeternum*, hæc est pœna sensus, videlicet ignis infernalis cruciatus. Subiungit & hoc loco iudex rationes decidendi prioribus oppositas: *esurivi enim & non dedistis mihi cibum &c.* Augustinus lib. de fid. ad Petrum cap. 45. *Si in ignem aeternum digne mittetur, qui Christo in suis mi-*

nimis esurienti panem non dederit, quid passurus est, qui ipsum panem, qui de cœlo descendit, sibi per infidelitatis vitium ademit? Si in flammis perennibus exuretur, qui Christo in suis minimis sitienti calicem aquae frigidae non tribuit, quid ille patietur, qui renatus ex aqua & Spiritu sancto sanctum baptisma in se iterare permittit, quod ad salutem semel & ad sacramentum sanctae regenerationis accepit? Si illum credimus perennibus subdendum esse tormentis, qui Christum in suis minimis peregrinum hospitio negligit suscipere, quid passurum se putaverit, qui Dominum Christum de domo cordis sui excludens & diabolum in se cæca prorsus infidelitate recipiens de sancta ecclesia, quae est columna & firmamentum veritatis, haeretica circumventus falsitate discesserit? Et si ille, qui infirmos atque in carcere positos famulos Christi non visitat, igni deputatur aeterno, quid illis retribuendum dicimus, qui Dei famulos, in quibus solam persequuntur fidei veritatem, aut squalore carcerum aut exsiliorum deportatione violenter adfligunt? Idem sermon. XXXVIII. de sanctis: *si in ignem mittetur, qui esurienti non dedit panem suum, putas ubi mittendus est, qui tulit alienum? Si in ignem mittetur, qui nudum non vestit, ubi mittendus est qui vestitum exspoliat? Si cum diabolo damnatur, qui hospitibus non praebuit domum suam, putas ubi mittendus est, qui tollit alienam. Si periturus est, qui carcerem non visitavit, quid de illo fiet, qui forte in carcerem misit? attendite quam spem habere possunt, qui mala faciunt, quando illi perituri sunt, qui bona non faciunt.* Gregorius part. III. curae pastoral. admonit. 21. *Hinc colligendum, quanta damnatione plectendi sunt, qui rapiunt aliena, si tanta animadversione feriuntur, qui sua indiscrete tenuerunt. Perpendat, quo eos obliget reatu res rapta, si tali subiicit poenae non tradita. Perpendant, quid mereatur iniustitia illata, si tanta percussione digna est pietas non impensa?* Dionysius Carthusianus in comm. Matth. XXV. *Arguit eos potius de operibus misericordiae quam de operibus iustitiae, cum tamen magis teneamur ad opera iustitiae, quia opera misericordiae sunt faciliora, cum natura ad ea magis inclinet, ac proinde magis arguenda, ubi deficiunt. Arguit potius de omissione quam de commissione, cum tamen maioris criminis sint commissa, & ideo magis arguenda, quia puniendo, quod minus est, innuit amplius faciendum de maioribus. Si enim omissa arguit, multo plus commissa. Item magis arguit de peccatis in proximum quam in Deum, quia si peccata in proximum condemnantur, multo magis peccata in Deum ut blasphemia & idololatria. Item cum sit misericordia corporalis & spiritualis, potius defectum arguit operum spiritualium quam corporalium, quia opera spiritualia sunt evidentiora.*

§. LXI. 3) *Sententiae promulgatae exsecutio.* Neque enim amica illa piorum ad regni cœlestis possessionem invitatio erit inane promissum, neque horribilis illa impiorum ad ignem infernalem damnatio erit fulgur ex pelvi & vanum terriculamentum; sed sententia utrique parti lata sine ulla exceptione, dilatione, adpellatione, replicatione, leuteratione &c. e vestigio exsecutioni dabitur, Matth. XXV. 46. Erit ibi ut *veritas in inquisitione* & *nuditas in publicatione*, ita quoque *severitas in exsecutione.* Conspicietur maiestas iudicis in *adparendo*, auctoritas in *colligendo*, prudentia in *discernendo*, iustitia in *decidendo*, potentia in *exsequendo. Et ibunt hi* (a sinistris constituti) *in supplicium aeternum, iusti autem* (a dextris collocati) *in vitam aeternam.* Impii a facie Domini expulsi ibunt in æternum supplicium, quia *radius ille igneus*, id est, sententia male-

maledictionis a throno Dei procedens Dan. VII. 10. horribiliter instar fulminis eos in infernum prosternet, & in cordibus ipsorum in omnem æternitatem sonabit. Aperietur terra divina potentia, & vivos illos deglutiet, sicut quondam Dathan & Abiran deglutivit, Numer. XVI. 31. Psalm CVI. 17. Iusti autem ab angelis in vitam æternam deducentur; *rapientur enim in nubibus in occursum Domini in aëra, ut semper sint cum Domino*, 1 Thess. IV. 17. hoc est, ut vita & lætitia æterna cum Christo perfruantur. Impii *prius* dicuntur in supplicium æternum ituri, quam iusti in vitam æternam, vel quia ordo narrationis id requirebat, eo quod proxime præcesserat de condemnatione impiorum, vel ut significetur impios in conspectu iustorum mox abituros in supplicium, quod ad augmentum gaudii & felicitatis ipsorum facier, cum ex comparatione divinæ erga se benignitatis suæque felicitatis cum divinæ iustitiæ erga damnatos severitate ipsorumque infelicitate, magis in se Dei gratiam agnoscant ac prædicent. Glossa interlinearis Matth. XXV. *Tolletur impius, ne videat gloriam Dei.* Nimirum hoc est illud bivium, in quo olim separabuntur, qui hic promiscue vixerint; hoc illud est decretum, quo æterna mansio & habitatio unicuique sine ulla spe mutationis adsignabitur. *Nemo poterit*, ait Chrysostomus in hoc loco, *potestatem huius iudicis effugere, sapientiam fallere, æquitatem flectere, iudicium retractare. Vide*, ait idem homil. XXII. ad pop. Antioch. *non indutum veste nuptiali ex sponsali domo expulsum, & neminem pro illo intercedentem. Vide talentum habentem concreditum ac non negotiantem, quomodo pro illo nemo intercedat. Respice quinque virgines exclusas, & æquales pro ipsis non deprecatas.* Eusebius Emissenus hom. II. *Unde misericordiam petiturus est primum de misericordiae contemtu iudicandus?* Augustinus lib. III. de fid. & symb. *Ille iudex nec gratia præevenitur, nec misericordia flectitur, nec pecunia corrumpitur, nec pœnitentia vel satisfactione mitigabitur.* Cassiodorus in Psalm XX. *Istam sententiam: Ite in ignem æternum, consequetur, ut impii perpetua flamma devorentur. Nam iussionem Domini nulla mora subsequitur, sed mox ut discernit, impletum est.* In secundo illo adventu iratus David contra ingratum & avarum Nabal descendet dicens: vere frustra servavi omnia, quæ huius erant in deserto. Vere frustra tot beneficia in impios contuli, ingrati & stulti homines missis a me pueris pauperibus pauxillum carnis esurientibus dare noluerunt &c. nulla tunc occurret irato regi Abigail, quæ intercedat, sed avari isti Nabales sententiæ damnatoriæ fulmine in mortem æternam præcipites dabuntur.

§. LXII. Antithesis. Errant circa iudicii exsecutionem. 1) *Origenes*, qui homil. XXVII. in Num. disputat, *animas post resurrectionem non subite, sed per multas mansionis adseensuras ad summa, donec perveniant ad Patrem luminum.* 2) Quotquot de æternitate suppliciorum, quibus damnati sunt adiudicandi, non recte senserunt; quales varios fuisse commemorat Augustinus lib. XXI. de civit. Dei cap. 17. usque ad finem libri. *Origeni* cum primis hæc opinio tribui consuevit, ac nostri temporis *Anabaptistae* eamdem videntur amplecti, quibus opponimus perspicua scripturæ dicta æternitatem suppliciorum infernalium diserte exprimentia, Esa. LXVI. 24. Dan. XII. 2. Matth. III. 12. Luc. III. 17. Ioh. V. 29. Marc. IX. 43. & 44. 2. Thes. *Antithesis.*

Thess. I. 9. Apoc. XIV. 11. XX. 10. XXII. 15. cumprimis vero tenorem exsecutionis sententiæ tam absolutoriæ, quam damnatoriæ, Matth. XXV. 46. ubi in utraque parte in eodem loco, eadem sententia, eodem verbo æternitas pronunciatur. Si ergo statuere nolimus, impiorum sine fine futurum esse supplicium, negandum etiam erit, piorum æternam fore vitam & gloriam. Augustinus lib. contra Priscill. & Origen. cap. 5. *Moneo, ut de diaboli angelorumque eius correctione & in pristinum statum reparatione sapere nihil audeas, non quia diabolo & daemonibus invidemus, & eo modo quasi vicem malevolentiae illis rependimus, cum illi non ob aliud nisi invidentiae stimulis exagitati nostra itinera, quibus in Deum tendimus, perturbare conentur, sed quia ultimae sententiae summi & veracis iudicis ex nostra praesumtione nihil addere debemus.* Sed de hac quæstione inferius in tract. de inferno plenius dicetur.

Quæritur 1) Utrum peccata piorum aeque ac impiorum in iudicio sint publicanda?

§. LXIII. Quæritur circa formam iudicii: 1) *Utrum peccata piorum ac salvandorum aeque ut impiorum ac infidelium in iudicio sint publicanda?* Qui adfirmant, urgent 1) *generalia scripturae pronunciata*, tum respectu obiecti *realis*, quæ omnia omnino in iudicio manifestanda esse adserunt. Eccles. XII. 14. *Omne opus adducet Deus in iudicium, etiam omne occultum, sive bonum sive malum.* Matth. XII. 36. *De quolibet verbo otioso rationem reddent homines in die iudicii.* Luc. VIII. 17. *Nihil est occultum, quod non manifestetur, nec absconditum, quod non cognoscatur, & in manifestam lucem veniat.* Rom. II. 16. *Iudicabit Deus occulta hominum secundum evangelium.* 1 Cor. IV. 5. *Illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium;* tum respectu obiecti *personalis*, quæ omnes homines iudicio Dei sistendos, ac proinde causam ipsorum ab omnibus cognoscendam adserunt, Rom. XIV. 10. 2 Cor. V. 10. *Omnes statuemur ante tribunal Christi.* Rom. XIV. 12. *Quisque pro se rationem reddet Deo.* Gal. VI. 5. *Unusquisque onus suum portabit.* Confer ea, quæ de obiecto extremi iudicii dicta superius §. 47. 2) *Apertionem librorum* in die iudicii secuturam, Dan. VII. 10. Apoc. XX. 12. illa enim omnium occultorum manifestationem divina virtute faciendam arguit. 3) *Iudicii Christi iustitiam;* iudicabit orbem terrarum *in iustitia*, Act. XVII. 31. neminem ergo inaudita causa vel absolvet, vel damnabit. 4) *Manifestationis illius commodum;* quia cedet hoc in maiorem divinæ bonitatis laudem & uberiorem gratiæ commendationem, quod pœnitentes peccatores non solum in gratiam receperit, sed etiam regni sui consortes eos facere velit. 5) *Simile exemplum;* quod hominum etiam sanctissimorum peccata in sacris literis adnotata & publicata, tum ob διδασκαλιαν, ut sanctos etiam peccatorum remissione indigere agnoscamus, Rom. XV. 4. tum ob ελεγχον, ut convincantur, qui propriis meritis hominem coram Deo iustificari volunt, tum ad παρακλησιν, ut qui *in peccata prolapsus est, non desperet visis tot, qui resipuerunt, & ad summum virtutis apicem pervenire potuerunt*, 1 Tim. I. 13. tum ad παιδειαν & επανορθωσιν, ut in vero Dei timore caute & solicite ambulemus, 1 Cor. X. 12. ad hoc enim peccata magnorum virorum scripta sunt, ut ubique tremenda sit apostolica illa sententia: *qui stat: videat ne cadat.* Nutantibus enim columnis, quis non contremis-

miscat? 6) *Contrariae sententiae nocumentum.* Qui peccata quædam in die iudicii revelanda negat, securitati fomentum oblique suppeditat. 7) *Ecclesiae doctorum suffragium.* Multi ex veteribus ecclesiæ doctoribus statuunt, omnia tam piorum quam impiorum facta, dicta, cogitata in die iudicii esse manifestanda. Atque hanc sententiam amplectuntur non solum pontificii; (Thomas in supplem. q. 87. art. 2. Osorius tom. I. conc. p. 8. *Dubitas an iustorum peccata revelanda sint in iudicio? licet quidam in dubium revocent, certum est tamen revelanda esse, sed non ad confusionem, quoad hoc enim celanda sunt. Sed quomodo tegentur, si omnibus manifestantur? respondetur verbo. Pretiosa vestis reginae facta rumpitur forte aliqua parte, num ideo reiicienda & perdenda omnino illa vestis est? absit, resumit vestem sartor, & locum rupturae coaptat, ibique aurum, gemmas, lapillos pretiosos adponens sic vestem ornat, ut ruptura nil indecorum videatur, nec casu factam credet, sed consulto quidem, ut tam pretiosis lapidibus splenderet, sic iusto, qui vestis est Christi, contingit.* Tom. II. concion. pag. 119. *Sicut cum pretiosi vasis pes fractus est, ne proiiciatur & pereat omnino, ei adponitur basis aurea, & maioris valoris & decoris efficitur: sic fractura bonorum non est insanabilis, sanata est pœnitentia, gratia, virtutibus, quibus pulchrior redditur iustus.* Barradius tom. III. conc. evang. lib. IX. cap. 18. p. 604. *Peccata etiam per pœnitentiam obliterata patefient omnibus in iudicio, alioquin ipsa pœnitentia, per quam obliterata sunt, non patefieret, quod falsum est, ac praeterea latent maxima Dei beneficia, nimirum auxilia, quibus lapsos iustos in gratiam extulit, neque constaret iudicii integritas, si quidem non venirent in iudicium peccata multa, quae supplicio digna erant, nisi pœnitentia abolerentur.* Iosephus a Costa lib. IV. de novissim. temp. cap. 24. p. 644. *Multi dubitant, an ea etiam scelera vel peccata, quae iusti olim patrarunt, & per Dei clementiam pœnitentia legitima remissa sunt, sint eo die patefacienda in illo magno mirabilique conventu. Nam & magister sententiarum sentit, non esse publicanda, verum puerilis est haec cogitatio, & ab illa novae vitae immutatione alienissima, patebunt sane omnia, quae egimus & bona & mala, neque de bonis quidquam accipient consolationis impii, neque de malis pudoris boni;*) sed etiam quidam ex nostris, ut adparet ex tractatu Ionæ Heuleri, quem de hac quæstione in publicum edidit.

§. LXIV. Negantem quæstionis partem statuunt plerique omnes ex nostris, Rungius in 2 Cor. V. Osiander in Apoc. XX. Harbartus in disp. Lipsiens. in art. de extremo iudicio th. 21. &c. pro qua stabilienda adduci possunt sequentia argumenta 1) a *processu iudiciali* Matth. XXV. descripto. In eo enim pii ad dextram iudicis Christi collocati audiunt non peccatorum suorum publicationem, sed bonorum operum enumerationem. 2) *A Dei gratuita promissione & misericordia.* Illa enim sic describitur, quod *peccatorum nostrorum nolit recordari amplius*, Esai. XLIII. 25. Ier. XXXI. 34. Ezech. XVIII. 22. iam vero quorum Deus non amplius recordatur, ea quoque non revelabit in iudicio; quod *peccata nostra proiiciat post tergum suum*, Esai. XXXVIII. 17. iam vero quæ Deus post tergum suum proiecit, & a conspectu suo quasi removit, ea non producet in angelorum & hominum intuitum; quod *proiiciat peccata nostra in profundum maris*, Mich. VII. 19. hoc est, in abyssum misericordiæ suæ & infiniti meriti Christi, iam vero quæ in profun-

dum maris sunt proiecta, ea non iterum eruuntur, & in lucem producuntur; quod *deleat ut nubem praevaricationes nostras*, Esai. XLIV. 22. iam vero quæ instar nubis ac nebulæ dissipantur, ea non possunt amplius videri ac conspici. 3) *A Dei immutabilitate.* Quod Deus in hac vita condonavit, illud in extremo iudicio non revocabit ad calculos; quod in hac vita tectum voluit, illud in die iudicii non manifestabit, ipse enim *Deus est & non mutatur*, Malach. III. 6. *Non est quasi filius hominis ut pœniteat eum*, Num. XXIII. 19. 1 Sam. XV. 29 Potest sane peccatorum remissio semel impetrata per peccata contra conscientiam admissa iterum fieri irrita, sed hoc in vere piis & renatis a peccatis contra conscientiam sibi caventibus, vel post eorum commissionem ad Deum se convertentibus, inque pœnitentia & fide ad finem usque vitæ perseverantibus locum non habet. Confer Feurbornium in fascic. II. disput. IV. 4) *A iudicii erga pios adfectu.* Christus constitutus vivorum ac mortuorum iudex veniet piis *ut redemtor*, Luc. XXI. 28. Rom. VIII. 23. *ut Salvator*, Matth. XXV. 35. Ioh. XIV. 3. *ut advocatus*, Rom. VIII. 34. 1 Ioh. II. 1. *ut coronae ac brabei distributor*, 2 Tim. IV. 8. Apoc. II. 10. ergo non ut severus iudex peccata piorum in publicum omnium conspectum producens & ad rigidum examen eadem vocans. Advocati enim est peccata clientis non propalare sed tegere, non adcusare sed excusare, non redarguere, sed patrocinari. Christus est piorum *amicus*, Ioh. XV. 15. & *frater*, XX. 17. iam vero amici ac fratris est peccata non manifestare, sed occultare; est ipsa *caritas*, 1 Ioh. IV. 8. iam vero *caritas universa operit delicta*, Prov. X. 12. 1 Pet. IV. 8. 5) *A Christi officio.* Ipse enim utpote unicus Dei & hominum Mediator peccata nostra in se recepit, ac perfectam pro illis satisfactionem præstitit, quam credentes vera fide sibi adplicarunt, Esa. LIII. 5. Ioh. I. 29. Rom. IV. 25. 2 Cor. V. 19. & 21. 1 Petr. II. 24. Atqui si piorum peccata in iudicio revelaret, contra hoc officium suum ageret, quia revelaret ea peccata, quæ eo fine sibi imponi passus est, ut pro illis abolendis ac tollendis sufficientissimum λυτρον præstaret. Ipse est verum *propitiatorium*, Rom. III. 25. quod peccata contra tabulas divinæ legis commissa tegit & abscondit, sicut Mosaicum propitiatorium arcam fœderis & decalogi tabulas in ea repositas tegebat, unde etiam כַּפֹּרֶת *tectorium* vel *opertorium* adpellatur Exod. XXV. 20. 6) *A converforum exemplo.* Qui in hac vita per veram pœnitentiam ad Deum fuere conversi, illis non exprobravit peccata, sed iuxta promissionem suam eorum non fuit recordatus amplius, ac tractavit eos velut indulgentissimus ac mitissimus pater, qui degenerem filium ad meliorem frugem se recipientem obviis ulnis excipit nulla exprobratione prioris vitæ antegressa, Luc. XV. 20. quinimo per Siraciden præcepit, quod peccatum admissum non debeat exprobrari illi, qui serio resipiscit, Eccles. VIII. 6. 7) *A piorum conditione.* Illi enim sic describuntur, quod *non sint iudicandi*, Ioh. III. 17. quod *non sint venturi in iudicium*, *sed transierint a morte ad vitam*, V. 24. quod *habeant vitam aeternam*, III. 36. 1 Ioh. V. 12. quod *nulla in ipsis sit condemnatio*, Rom. VIII. 1. quod *sint abluti*, *sanctificati*, *iustificati*, 1 Cor. VI. 11. quod *sint nova in Christo creatura*, 1 Cor. V. 17. quod *sint cum Christo conspiciendi in gloria*, *quando ipse gloriosus adparuerit*, Col. III. 4. quod *nullus sit*, *qui ipsos adcusare vel condemnare possit*,

sit, Rom. VIII. 33. quod peccatorum remissionem in hac vita per fidem impetraverint, in morte autem ac cinere factione a peccati fomite & radice penitus liberati sint, VI. 7. quod resurrecturi sint cum corporibus glorificatis ab omni peccati labe purgatis ac liberis, 1 Cor. XV. 43. *nec maculam nec rugam* amplius habentes, Eph. V. 27. quomodo igitur peccata ipsorum in iudicium protrahentur, quomodo ad examen vocabuntur, quomodo revelabuntur? 8) *A norma iudicii.* Pii non iudicabuntur vel condemnabuntur ex lege, sed absolutoriam audient sententiam ex evangelio. Si enim ex lege iudicandi essent, salutis participes reddi non possent, cum lex maledictionis fulmen vibret in omnes, qui non perfectam obedientiam ei præstiterunt, Deut. XXVII. 26. Gal. III. 10. Iam vero non ex evangelio. *sed ex lege est peccati agnitio*, Rom. III. 20. in quem locum Ambrosius sic commentatur: *per legem peccati agnitio, per evangelium abolitio.* Ergo peccata piorum in die iudicii non agnoscentur, non revelabuntur, non iudicabuntur. Evangelium nulla in piis agnoscit aut examinat peccata, sed eadem veste iustitiæ Christi tecta esse pronunciat. Ergo etiam iudicandorum iuxta evangelii normam peccata in iudicio non manifestabuntur. 9) Ex *consequente incommodo.* Si peccata piorum in iudicio coram angelis & hominibus manifestarentur, cederet hoc in ipsorum ignominiam; fieri enim nequit, ut peccatorum conspectus atque intuitus eos non det in ruborem ac pudorem, cum non amittant suam nativam indolem, quæ est, quod sint legis divinæ transgressiones Deo adversæ. Iam vero a piis in die iudicii exsulabit omnis ignominia, resurgent enim *in gloria*, 1 Cor. XV. 44. adparebunt cum Christo *in gloria*, Col. III. 4. erunt ισαγγελοι, Matth. XXII. 30. imo *Deo similes*, 1 Ioh. III. 2. 10) *A causae necessariae defectu.* Nulla potest dari causa sufficiens ac necessaria, propter quam peccata piorum revelanda & ad examen iudicii sint vocanda. Sive enim Deum respiciamus, sive iudicem Christum, sive ipsos pios, nihil quidquam occurrit, quod revelationem illam peccatorum requirat. Deus non ex malis sed bonis piorum operibus in lucem producendis & gratis remunerandis laudem bonitatis, veritatis & iustitiæ accipiet, 2 Thess. I. 7. Christus impiis ad sinistram constitutis neglectum operum misericordiæ exprobrabit, pios vero ad dextram constitutos ob misericordiæ opera præstita laudabit. Piorum non ex malis operibus ignominia, sed ex bonis ipsorum factis tanquam veræ fidei fructibus gloria revelabitur, Rom. II. 7. 1 Petr. I. 7. Ephremus lib. de pœnit. cap. 5. *Deus altissime, qui solus sine peccato es, tribue mihi peccatori gratiam in illa hora propter multas miserationes tuas, ne tunc adpareat, quae nunc velata est iniquitas mea coram exspectatoribus angelis & archangelis, prophetis & apostolis, iustis & sanctis, sed salva me impium gratia & misericordia tua, & induc me in paradisum deliciarum.* Confer Biesenthalium in enodatione huius quæstionis Rostoch. anno 1617. edita, ubi omnia argumenta ad quatuor fontes revocat, ad causam scilicet iudicii *efficientem, materialem, formalem ac finalem.*

§. LXV. Ad argumenta, quæ in contrarium adducta, ex dictis respondere, in proclivi est. 1) *Omnia in iudicio manifestanda esse*, accipiendum est non *collective*, quasi tam piorum quam impiorum peccata sint omnibus revelanda,

da, sed *distributive*, quod piorum bona opera, impiorum vero mala opera etiam sine testibus vel arbitris facta in claram lucem collocanda sint, ut ex processu iudiciali Matth. XXV. 34. & seqq. colligitur. Origenes homil. IX. in diversos: *Et peccatores cognoscent in conspectu suo sua delicta, & iusti manifeste videbunt semina iustitiae suae, ad qualem eos perduxerunt finem. Omnes iudicio Dei fistendos esse*, ac rationem factorum ab ipsis exigendam, intelligendum est cum hac declaratione a Christo ipso addita, quod pii non sint in iudicium damnatorium venturi, nec severo examine iudicandi, Iohan. III. 18. V. 24. *rationem ergo reddent suae villicationis*, Matth. XXV. 19 Rom. XIV. 12. sed non male, verum bene administratae, ideo etiam *coram Filio hominis consistere poterunt*, Luc. XXI. 36. atque audient laetissimam illam προσφωνησιν Matth. XXV. 21. *Euge serve bone & fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa constituam te, intra in gaudium Domini tui.* Venient pii in iudicium coram tribunali Christi iudicis *comparendo*, Rom. XIV. 10. 2. Cor. V. 10. *rationem reddendo*, Rom. XIV. 12. *sententiam absolutoriam audiendo*, Matth. XXV. 34. *laudem & praemia accipiendo*, Matth. XXV. 21. 1. Cor. IV. 5. 2. Cor. V. 10. non venient in iudicium Ioh. V. 24. *sententiam damnatoriam audiendo, poenam sustinendo, ignominiam ex peccatorum revelatione & adcusatione percipiendo.* 2) Inter libros in iudicio aperiendos est *liber vitae*, Apoc. XX. 12. cui per veram fidem pii sunt inscripti, iam vero qui in Christum credunt, illi non venient in iudicium; est inter eos *liber evangelii*, iuxta cuius normam iudicium instituetur, Rom. II. 16. iam vero pii crediderunt evangelio, proinde etiam iuxta scripturam huius libri absolventur, non autem condemnabuntur, tecta erant ipsorum peccata, non revelata. Distinguenda igitur dicta legalia ab evangelicis proprie sic dictis: Legale est: *rationem reddent homines in die illo de quovis verbo otioso.* Evangelium est: *Qui credit, non venit in iudicium.* Legale est: *thesaurizas tibi iram in die revelationis iusti iudicii.* Evangelicum est: *Attollite capita vestra, quia adpropinquat redemtio vestra.* 3) *Christus neminem inaudita causa absolvet vel condemnabit;* sed ex eo inferri nequit, etiam piorum peccata esse manifestanda, sed hoc tantum sequitur, quod piorum bona opera tanquam fructus & τεκμηρια incredulitatis in publicam lucem producturus sit, ac secundum opera quemlibet iudicaturus. 4) Illustrius ac manifestius divinae misericordiae testimonium in eo conspicitur, quod peccata poenitentibus tam plene ac perfecte remittit, ut ea proiiciat in profundum maris, ut eorum non amplius recordetur, ut deleat ea velut nubem &c. 5) Fines, propter quos lapsus sanctorum in scripturis adnotati sunt, non amplius locum habebunt in die iudicii, cum nullus amplius futurus sit locus poenitentiae vel indulgentiae, *sed clausa erit ianua*, Matth. XXV. 10. 6) Impii tota doctrina evangelica pessime abutuntur ad securitatem, sed abusus rei non tollit ipsam substantiam. 7) Dictis veterum opponimus illud Lombardi libro IV. sentent. distinct. 42. lit. D. *Si quaeritur, utrum peccata, quae fecerunt electi, prodeant tunc in notitiam omnium, sicut mala damnandorum omnibus erunt nota, non legi hoc expressum in scriptura, unde non irrationabiliter putari potest, peccata hic per poenitentiam tecta & deleta, illic etiam tegi aliis, alia vero cunctis propalari.* 8) Pii coram Dei iudicio non confident propriae iustitiae, quae

quæ est vestis lacera ac disrupta, immo immunda, quia *super vestem iustitiae propriae iugiter stillamus variorum peccatorum saniem*, ut ex Bernhardo & Gersone loquitur Adrianus de Traiecto, sed consistent ac Deo placebunt in pretiosissima ac purissima veste iustitiae Christi, quam per fidem induerunt, Galat. III. 27. Apoc. XIX. 8. XXI. 2. ideoque nec macula nec ruga, multo minus ulla in hac veste adparebit ruptura, Ephes. V. 27. sed teget universa piorum delicta, quo minus in Dei, angelorum & hominum conspectum veniant.

§. LXVI. Quæritur II) *An pii peccatorum suorum in die iudicii recordaturi sint*, Lombardus lib. IV. sent. dist. 42. lit. D. sic respondet: *quaedam auctoritates videntur tradere, bonos non habituros tunc memoriam praecedentium malorum, id est, peccatorum vel tormentorum; ait enim Esaias: Ego creo cælos novos & terram novam, & non erunt in memoria priora, & non adscendent super cor, sed gaudebitis in aeternum*, LXV. 17. *Item oblivioni traditae sunt angustiae priores & absconditae ab oculis nostris*: v. 16. in quæ verba sic commentatur Hieronymus libr. XVIII. in Esaiam: *Oblivioni tradentur priora mala, quia forsitan in futuro pristinae conversationis memoria omnino delebitur succedentibus bonis aeternis, ne sit pars malorum prioris angustiae memorari. Sed haec*, ait Lombardus, *& his similia sic accipi possunt, ut non excludant memoriam praecedentium malorum, sed ex ea molestiam & laesionem amoveant, non enim eorum memoria sanctos contristabit, vel eorum beatitudinem obfuscabit, sed gratiores Deo reddet.* Augustinus lib. XXII. de civit. Dei cap. 30. *Voluntas beatorum oblita culparum, oblita pœnarum nec tamen ideo suae liberationis oblita, ut liberatori suo sit ingrata. Quantum ergo attinet ad scientiam rationalem, memor praeteritorum etiam malorum suorum, quantum autem ad experientis sensum, prorsus immemor. Nam & peritissimus medicus sicut arte sciuntur, omnes fere morbos corporis novit, sicut autem corpore sentiuntur, plurimos nescit, quos ipse non passus est &c.* Gregorius in enarrat. Psalm. LXXXVIII. *Quomodo in aeternum misericordias Dei canit, qui miseriae non meminit? quomodo autem plena beatitudo, si memoria reatus mentem tangit? sed saepe laeti tristium meminimus, & sani dolorum meminimus sine dolore, & inde amplius laeti & grati sumus.* Idem Gregorius in fine libr. IV. explanationum in Iobum cap. 31. alias 42. *Quaerendum est, quomodo electorum mens perfecta esse in beatitudine poterit, si hanc inter gaudia sui reatus tangit memoria? sed sciendum est, quod sicut saepe nunc tristium laeti reminiscimur, ita tunc transactae nequitiae sine laesione nostrae beatitudinis recordabimur. Plerumque enim incolumitatis tempore ad memoriam dolores praeteritos sine dolore reducimus, & quo aegros nos recolimus, eo nos incolumes plus amamus; erit ergo in illa beatitudine culpae memoria, non quae mentem polluat, sed quae nos arctius laetitiae adstringat, ut, dum doloris sui animus sine dolore reminiscitur, & debitorem se medico varius intelligat, & eo magis acceptam salutem diligat, quo molestiae meminit, quam evasit. In illa itaque laetitia sic tunc in luce positi sine ulla cordis caligine animo tenebras videmus.* Ex his adparet, quod si priorum malorum memoriam sancti habebunt in futuro, non eis tamen erit ad pœnam vel gloriæ derogationem, sed gratiarum actionem. Ergo nec peccatorum, quæ pii in hac vita commiserunt,

Quæritur II) An pii peccatorum suorum in die iudicii sint recordaturi?

runt, nec adversorum, quæ perpessi sunt, recordatio ullam piorum animis ingenerabit tristitiam; non illorum, quia non recordabuntur duntaxat peccatorum suorum, sed etiam condonationis eorum a divina misericordia impetratæ, per quam ex gurgite illo, in quo multi sunt suffocati ac submersi, benignissime fuere liberati, quod ipsum ad maiorem divinæ gratiæ laudem eos inflammabit; ac quamvis ex peccati recordatione non possit non oriri in piis quædam displicentia, illa tamen nec molestiam nec dolorem nec tristitiam ipsis adferet, quia coniuncta erit cum vitæ æternæ lætitia & præsentissima Dei visione, quæ omnem tristitiam excludit ac instar maris absorbet; nec horum, quia *passiones gloria illa*, quam consecuti sunt, *non esse condignas* animadvertunt Rom. VIII. 18. ideoque æternum & infinitum *illud gloriae pondus momentaneum ac leve tribulationis penitus* in ipsorum animis deprimit 2 Cor. IV. 17.

§. LXVII. Quæritur III) *An per aliquot dies protrahendum sit illud iudicium?* Mahumet in alcorano perquam absurde & ridicule iudicii extremi continuationem ad *quinquaginta millia annorum* extendit. Augustinus libr. XX. de civitat. Dei capit. 1. ante medium in medio hanc quæstionem relinquit: *Quod in confessione ac professione tenet omnis ecclesia Dei veri, Christum de cœlo esse venturum, ad vivos ac mortuos iudicandos, hunc divini iudicii ultimum diem dicimus, hoc est, novissimum tempus. Nam per quot dies hoc iudicium tendatur, incertum est, sed scripturarum more sanctarum diem poni solere pro tempore nemo, qui illas litteras, quamlibet negligenter legerit, nescit.* Sed cum iudicii tempus ubique in scripturis dicatur η ημερα, & quidem εσχατη, cumque iudici futuro omnia sint notissima, qui nullo indigebit vel testium examine vel reorum confessione, quique sententiam latam executioni mox daturus est, ideo veri similius censemus iudicium extremum non per aliquot dies protrahendum, sed unico die divinitus determinato instituendum, Act. XVII. 31. Neque tamen *in ictu oculi & momento* iudicium sicut resurrectio instituetur, (in quam sententiam inclinat Origenes tract. VII. in Matthæum: *Tempus futuri iudicii non opus habebit spatio temporis, sed sicut resurrectio dicitur futura in momento in ictu oculi, sic puto iudicium fore*); quia Dan. VII. 9. Apoc. XX. 4. *iudicium dicitur sedisse*, ac disceptatio illa, de qua Matth. XII. 41. & 42. ac ipsa sententiæ promulgatio utrique parti ferenda moram aliquam requirere videtur. Sed frustra disputatur, an per aliquot dies duraturum sit iudicium, *quia tunc instituetur, quando omnis dierum distinctio desinet.*

Quaeritur III) An per aliquot dies protrahendum sit iudicium?

§. LXVIII. Quæritur IV) *An sententiae promulgatio voce externa ab omnibus audienda, an vero interius duntaxat in cuiusque conscientia sit futura?* Quidam adfirmant posterius: *Rex Regum*, ait Remigius in comment. Matth. XXV. *sine strepitu verborum loquetur, hoc est, manifestabit conscientias & merita, dicetque per collationem gloriae: Venite beneficio Patris mei promoti ad obtinendum regnum vitae.* Thomas in supplem. quæst. 88. articul. 2. *Cum prope infinitum tempus requireretur in iudicio universali, si per locutionem fieret vocalem, probabilius est, non per locutionem sed mentaliter futurum ul-*

Quaeritur IV) An sententia voce audibili proferenda?

timum iudicium & quoad adcuſationem malorum & commendationem bonorum & quoad diſcuſſionem & quoad ſententiam de utrisque. Non eſt exiſtimandum, inquit Ianſenius in Harmon. evangel. capit. 127. *omnia ſic ad literam eventura, quae hic narrantur, ut haec verba praeciſe ſint ultro citroque proferenda a iudice & iudicandis, ſed haec narratione Dominus ſuum ſermonem noſtro adcommodans captui ſignificare voluit noviſſimi iudicii rationem. Proinde non ſenſibili voce neceſſe erit dicere, eſurivi, ſitivi &c. ſed effectu ipſo Chriſtus haec dicet hominibus, cum ſingulorum hominum opera & ſibi ipſis & omnibus nota faciet.* Salmeronius inter parabolas hanc evangelicam pericopen interpretatur. Argumenta pro hac ſententia formari poſſunt huiusmodi: 1) Chriſtus in toto capite XXV. Matth. per parabolas de hoc iudicio diſſerit. Proponit enim primo parabolam *de decem virginibus*, cui deinde ſubiungit parabolam de *diviterationem talentorum ipſis concreditorum a ſervis ſuis exigente*, ac tandem ad hanc de modo & forma extremi iudicii concionem deſcendit. Hanc rationem urget Lyranus. 2) Non videtur veri ſimile, Chriſtum cum damnatis in die iudicii ultro citroque verba commutaturum, atque ad ipſorum querelas & replicas quidquam eſſe reſponſurum. Significatur igitur, impios tunc admiraturos & reipſa experturos, facta ſua longe aliter expendenda & reputanda, quam modo ipſi ea reputabant; ſicut e converſo & illud, quod in parte priore iuſti introducuntur dicturi, *Domine quando te vidimus eſurientem &c.* non eſt eo ſenſu accipiendum, quaſi ſuam de operibus ſuis ſententiam a Chriſti ſententia ſeiungere velint, vel quaſi ignoraverint, Chriſtum in membris ſuis cibari ac potari, ſed quod per hypotheſin quamdam ſignificetur tum ipſorum *humilitas*, quod opera ſua non æſtiment tanta remuneratione digna, ſicut & Apoc. IV. 10. electi ſic deſcribuntur, *quod mittant coronas ſuas ante thronum agni, dicentes*, (non nos coronas illas meritis noſtris obtinuimus, nec nos illis digni ſumus, ſed) *tu Domine Deus noſter dignus es accipere gloriam & honorem & virtutem*, ut ſint nobis exemplo, quam humiliter de nobis ac noſtris operibus ſentire, nequaquam vero ea pro cauſis vitæ æternæ meritoriis habere debeamus; tum ex humilitate orta *admiratio*, qua ſtupebunt, opera ſua tanti a Chriſto æſtimari, ut ſibi impenſa ſtatuat, quæ ſe illius perſonæ non recolent impendiſſe. Beda in comm. *Sancti dicunt haec, ſive gloriam Chriſti mirantes, ſive quod parum eis tunc videtur omne bonum, quod fecerunt pro magnitudine terroris & abundantia retributionis.* Gloſſa ordinaria Matth. XXV. *Non diſſidentes de verbis Domini hoc dicunt iuſti, ſed vel ſtupentes pro magnitudine maieſtatis regis, vel quia parum videtur illis omne opus bonum, quod fecerunt.* 3) Quia *cogitationes hominum ſe invicem ad uſaturae vel defenſurae* dicuntur *in die, qua iudicabit Deus occulta hominum*, Rom. II. 15. & 16. ergo cauſæ cognitio, quæ in caperum quaſi teſtium examine verſatur, intus in ſola mente abſque vocis ſono peragenda videtur. Hæc ergo, quæ utrobique commemorantur, pii videntur dicturi non voce, ſed mente; non externa verborum prolatione, ſed interna mentis admiratione. 4) Dicuntur *libri aperiendi & mortui iudicandi* ex his, quæ ſcripta ſunt in libris *ſecundum opera ipſorum*, Apoc. XX. 12. per quos libros plerique veterum intelligunt ſingulorum hominum conſcientias, quibus divina iuſtitia in memoriam reducet ſingulorum opera, eaque in publicam lucem collocabit, ut quisque iuſte ſecum actum

eſſe

esse intelligat. 5) Aut omnes respondebunt Christo, aut singuli: si omnes, perturbata erit quædam vociferatio; si vero singuli, longo opus erit temporis tractu. 6) Nonne satis erit sanctos interrogare? quorsum post datum responsum idem interrogaturi dicuntur reprobi? an non ex dato sanctis responso perspicue intelligent, Christo se non fecisse, quod pauperibus fuit denegatum?

§. LXIX. Sed verisimilior nobis videtur eorum sententia, qui statuunt, si vel maxime non sint omnia iisdem verbis, quæ in processu illo iudiciali habentur, peragenda, quædam tamen a iudice prolatum iri verba exterius ab omnibus audienda, quibus & iustos ad præmia vocet, & iniustos inferno adiudicet, ut hac ratione *aliquid parabolae* Christi concio contineat, præsertim in parte posteriore, non autem tota etiam in priore parte sit parabolica. 1) Quia Christus a parabolis ad historicam narrationem ac propheticum vaticinium in descriptione processus iudicialis descendit, nec ullo verbo significat, se parabolam quamdam texere, sed historiam rei futuræ exponere. 2) Sicut adventus Filii hominis in maiestate angelorum circa ipsum comitatus, sessio iudicis super sedem maiestatis, congregatio omnium hominum ad ipsius tribunal, eorumdemque in duas classes dissèparatio non sunt parabolice & mystice, sed literaliter & proprie intelligenda; ita quoque sententiæ definitivæ promulgatio utrique parti ferenda, non est in parabolam vel allegoriam transformanda, sed secundum literam accipienda. 3) Christus non tantum ut Deus, sed etiam ut homo iudicium illud administrabit. Ut ergo iudex erit visibilis & conspicuus, ita quoque sententiam proferet audibilem. Dionysius Carthusianus in comment. Matth. XXV. *Iudicium hoc erit & mentale interius & vocale exterius, quia iudicabit Christus non tantum ut Deus, sed etiam ut homo, ideo eius iudicium erit non divino tantum modo sed & humano.* 4) Sicut resuscitationem mortuorum Christus solo nutu & imperio perficere posset, interim tamen placuit ipsi vocem sensibilem tanquam efficax medium adhibere, Ioh. V. 28. 1 Thess. IV. 16. ita quoque iudicium illud novissimum posset interius coram conscientiæ tribunali peragere, sed placuit ipsi exterius sententiam in angelorum & hominum panegyri publice promulgare. 5) Iudicandi sistentur coram tribunali Christi, Rom. XIV. 10. 2 Cor. V. 10. non tantum subiectione interiori, sed etiam situ corporali exteriore, *quia flectent genua sua coram Christo iudice*, Esai. XLV. 23. Rom. XIV. 11. Philip. II. 9. ergo etiam iudicii sententiam audient non solum interius in conscientia, sed etiam exterius in certa verborum forma. 6) Iudicium hoc non absolvetur unico momento, sed tractu quodam temporis, ut in quæstione proxima ostendimus. 7) Exterior illa definitivæ sententiæ in voce audibili promulgatio ad maius gaudium sensibile bonorum & ad maiorem dolorem sensibilem reproborum cedet, ideoque non erit frustranea. Interim tamen in his & similibus quæstionibus semper repetimus illud Augustini lib. XX. de civit. Dei cap. 30. *Quomodo atque ordine iudicium illud sit futurum, magis tunc docebit rerum experientia, quam nunc valet ad perfectum consequi hominum intelligentia.*

§. LXX. Quæritur V) *Quae futura sit iudicii illius norma?* In omni iu- *Quaeritur V) Quaenam fu-*

dicio

tura sit iudicii illius norma?

dicio requiritur certa quædam norma ac regula, iuxta quam absolutoria vel condemnatoria sententia feratur. Illa in novissimo iudicio erit: 1) non *humanae rationis arbitrium*, iuxta quod quidam ex pontificiis & Calvinianis saniores gentiles fide in Christum destitutos ad dextram cum ovibus collocandos, & ad consortium regni cœlestis vocandos esse præpostere statuunt. 2) Nec *absolutum Calvinianorum decretum*, quo absoluta Dei gratia electos ad dextram, absoluto vero odio reprobatos ad sinistram collocant. 3) Nec *pontificium bonae intentionis & meritorum humanorum commentum*, quo statuunt quævis opera bona intentione facta, licet verbo divino minime sint præcepta, Deo grata & vitæ æternæ compensatione ex merito esse digna. 4) Sed unice & in solidum *Christi verbum*, Ioh. XII. 48. Hebr. IV. 12. vel quod idem est *evangelium*, Rom. II. 16. Cum vero evangelii vox quandoque accipiatur γενικως ac *generaliter* pro toto doctrinæ cœlestis a Christo, prophetis & apostolis prædicatæ systemate, quandoque vero ειδικως ac *specialiter* pro doctrina de gratuita peccatorum remissione propter Christum credentibus promissa & oblata, ideo statim quæritur, an in priore, an vero in posteriore significatu evangelium accipiatur, quando norma iudicii statuitur? Respondemus autem accipi in significatione priore, ita ut *verbum Christi* Ioh. XII. 48. denotet totam doctrinam Christi, ac *vox evangelii* Rom. II. 16. totam doctrinam Pauli, ab ipso prædicatam & in scripturas redactam. Cum enim duæ hominum classes coram iudicio comparituræ sint, quarum una absolvetur & præmiis ornabitur, altera vero condemnabitur & suppliciis adficietur, ideo pro ratione distinctarum harum classium distincta quoque erit iudicii norma. Pii iudicabuntur ex *evangelio*, specialiter & proprie sic dicto, impii ex *lege* per evangelii lucem collustrata, id quod sequenti comprobatum & expositum damus ratione. Sententia in universali illo iudicio promulganda nihil aliud est quam *manifestatio decreti* de salute finaliter credentium & damnatione finaliter impœnitentium & incredulorum ab æterno facti, itemque sententiæ in ministerio verbi de salute & condemnatione singulorum hominum iam ante pronunciatæ. Iam vero testatur tota scriptura sacra decretum electionis factum esse intuitu fidei, Christum Mediatorem, qui pro peccatis nostris satisfecit & salutem nobis promeruit, adprehendentis; decretum vero reprobationis factum esse intuitu finalis impœnitentiæ & incredulitatis, quam lex evangelii luce collustrata arguit & damnat. Testatur eadem scriptura, pios non verbo legis, *quia lex non est ex fide*, Gal. III. 12. sed verbo evangelii propter Christum fide adprehensum a peccatis fuisse absolutos ac iustos pronunciatos; impios ex lege peccata arguente & adcusante fuisse damnatos. Ergo etiam pii verbo evangelii a peccatis absoluti in die iudicii declarabuntur ac manifestabuntur, contra vero impii ex lege per evangelium collustrata in die iudicii damnati pronunciabuntur ac manifestabuntur. Idipsum colligitur ex sententiæ promulgatione utrique parti ferendæ. Piis ad dextram constitutis Christus dicet: *Venite*. Atqui vox evangelii est amica & blanda illa vox, per quam Christus tum in hac vita tum in die iudicii nos ad se vocat: *venite benedicti*. Atqui post lapsum benedictio *non est ex lege & ex operibus legis*, sed ex evangelio & ex fide. Gal. III. 9. *Qui ex*

fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham. v. 10. *Quicunque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt &c. Venite benedicti Patris mei.* Atqui in evangelio paternus Dei adfectus in Christo & propter Christum dilectum suum Filium nos complectentis nobis revelatur. Eph. I. 6. *Ex gratia nos dilexit in dilecto. Possidete* hereditatis loco regnum. Atqui υιοθεσια, cui hereditatis cœlestis coniuncta, est ex fide per verbum evangelii in cordibus accensa. *Lex autem non est ex fide*, Gal. III. 12. *hereditas non est ex lege*, v. 18. ac regnum gloriæ non per legem, sed per evangelium nobis offertur. Lex promittit quidem salutem & vitam æternam, sed cum conditione perfectæ obedientiæ, quam cum in hac vita nemo præstare possit, ideo legis promissiones nobis redduntur inutiles: *possidete regnum paratum vobis a constitutione mundi*, per æternam scilicet electionem. Atqui gratuitæ illius electionis decretum non in lege sed in evangelio nobis proponitur. Ex quibus omnibus adparet, pios non ex lege, sed ex evangelio iudicandos & in iudicio absolvendos. Impiis ad sinistram constitutis Christus dicit: *ite maledicti!* Atqui legis proprium est accusare, terrere, maledictionem & condemnationem adnunciare. Rom. IV. 15. *Lex iram operatur.* Gal. III. 10. *Qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt; scriptum est enim: maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in libro legis. Ite in ignem aeternum, paratum diabolo & angelis eius.* Atqui diabolus voce legis infernali supplicio propter inobedientiam adiudicatus est. Ergo etiam impii voce legis erunt iudicandi & condemnandi. Addimus & illud, quod sententia iudicii absolutoria piis ferenda non sit alia & nova quædam absolutio, sed absolutionis in terra per ministerium verbi evangelici ipsis factæ solennis publicatio, promulgatio & confirmatio, ut colligitur ex dictis Christi: *qui credit, non iudicatur; quod remiseritis in terra, remissum erit in cœlo.* Sicut in novissimo die credentes non demum fiunt *filii Dei & heredes vitae aeternae*, sed tales iam ante in hac vita facti per fidem publice declarabuntur, & una cum corporibus suis ex pulvere terræ suscitatis & animabus redunitis in cœlestis gloriæ plenariam possessionem introducentur: sic ista iudicis voce non demum tribuetur illis vita æterna, quippe quam iamdum in hac vita habent, Ioh. III. 36. VI. 40. 1 Ioh. III. 2. V. 12. sed iamdudum adsignata publice in angelorum & hominum conspectu manifestabitur. Sententia iudicii damnatoria contra impios ferenda itidem non est alia & nova quædam damnatio, sed damnationis in terra per legem ipsis adnunciatæ solennis testificatio, propalatio & ratihabitio. Ergo non erit alia iudicii norma in die novissimo, quam quæ hodie viget in ministerio verbi in ecclesia prædicati. Sic in ecclesia sonat hæc doctrina legalis: Rom. II. 9. *Tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum.* 1 Cor. VI. 9. *Nec fornicatores, nec idolis servientes, nec adulteri, nec molles, nec cum masculis concumbentes*, v. 10. *nec fures, nec ebriosi, nec maledicti, nec rapaces regnum Dei possidebunt.* Gal. V. 19. *Manifesta sunt opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, luxuria*, v. 20. *idolorum servitus, beneficia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, irae, rixae, dissensiones, sectae*, v. 21. *invidiae, homicidia, ebrietates, comessationes & his similia, qui talia agunt, regnum Dei non consequuntur;* iuxta has propositiones apostolicas impii damnabuntur. Quod vero dictum fuit,

fuit, *impios iudicandos & condemnandos ex lege per evangelium colluſtrata*, id ſic accipiendum: lex ſola & per ſe conſiderata non novit Chriſtum Mediatorem, ſed propriam ſatisfactionem requirit, ideo etiam ſola & per ſe conſiderata non novit nec arguit incredulitatem, quæ eſt formalis, propria & adæquata cauſa damnationis, ſed lex luce evangelii colluſtrata, ut omni Dei verbo, ita quoque verbo evangelii credere iubet, & ut omnia peccata, ita quoque peccatum incredulitatis arguit. Lex ergo ponit maiorem: *qui eſt peccator, damnationi eſt obnoxius.* Subſumit evangelium: *qui non credit in Chriſtum, eſt peccator.* Concludit lex: *ergo qui non credit in Chriſtum, eſt damnationi obnoxius*, inde promanant illa axiomata Chriſti, iuxta quæ iudicium inſtituetur: *qui non credit, iam iudicatus eſt. Qui non credit in Filium, ira Dei manet ſuper eum. Qui non crediderit, condemnabitur.* Sub his Chriſtus in iudicio ſubſumet: vos a ſiniſtris ſtantes non credidiſtis, id quod opera veſtra manifeſte teſtantur. Ergo eſtis damnati, ergo ite maledicti in ignem æternum. Confer ea, quæ ſuperius de obiecto iudicii *reali* diximus. In eccleſia ſonat etiam hæc doctrina evangelica: *qui credit in Filium, habet vitam aeternam*, Ioh. III. 36. *qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit*, Marc. XVI. 16. ſub hac maiore ſubſumet Chriſtus in iudicio: vos fide benedictum ſemen eſtis amplexi, fide filii Dei, & proinde etiam heredes regni cœleſtis eſtis facti, fide ab æterno eſtis electi, ſicque regnum illud vobis a Patre cœleſti a conſtitutione mundi eſt paratum, quam fidem bonis operibus, cumprimis beneficentia erga pauperes tanquam indubitatis teſtimoniis & immediatis fructibus comprobaſtis. Ergo venite, poſſidete & accipite regnum. Ex quo facile intelligi poteſt, quid de Piſcatoris pronunciato volum. I. locor. cap. 22. p. 338. th. 18. ſtatuendum, in quo *infantes ſecundum praedeſtinationem iudicatum iri* adſerit. Aut enim opponit hoc evangelio & fidei, ut ſtabiliat abſolutum decretum, & fidem infantibus deroget, quo ſenſu illud merito repudiatur; aut evangelium & fidem prædeſtinationis decreto ſubordinat, quod iuxta ſcripturæ ſententiam facere omnino debebat. Prædeſtinatio enim nec *evangelio*, nec *fidei*, nec *Chriſto* eſt oppoſita, neque quidquam horum excludit, ſed potius arctiſſime includit. Quæ enim gratia Dei eligentis in Chriſto *ante tempora ſecularia* nobis data eſt, ea *manifeſtata eſt in verbo evangelii*, 2 Tim. I. 8. ac electi ſumus *in Chriſto*, Eph. I. 4. *in fide veritatis*, 2 Theſſ. II. 13. *ſecundum praeſcientiam Dei Patris in ſanctificatione Spiritus in obedientiam & adſperſionem ſanguinis Chriſti*, 1 Petr. I. 2. *quos enim praeſcivit Deus, hos praedeſtinavit*, Rom. VIII. 29. Quod ſi ergo infantes ſecundum electionem iudicabuntur, utique etiam ſecundum evangelium, quod electionis decretum manifeſtat. Si iuxta evangelium iudicabuntur, & a peccatis abſoluti declarabuntur, utique etiam fide prædiți erunt, quia evangelium neminem a peccatis abſolvit absque fide Chriſtum Mediatorem adprehendente.

CAPVT VI.

DE FINE ET EFFECTV EXTREMI IVDICII.

Finis extremi iudicii.

§. LXXI. *Finis*, propter quem instituetur universale & novissimum illud iudicium, duplex est, *principalis* & *minus principalis*. Principalis est *Dei & Christi Salvatoris nostri gloria*, 2 Thess. I. 10. *Veniet Dominus ενδοξασθναι, glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt in die illo.* Dei gloria in illo iudicio relucebit, quia manifestabit 1) suam *veritatem*. In propheticis & apostolicis oraculis promisit futurum esse constituto tempore iudicium, huius promissi complementum divinæ veritatis gloriam confirmat ac manifestat. 2) Suam *iustitiam*. Promisit piis præmia, impiis comminatus est supplicia non temporalia duntaxat, sed etiam ac cumprimis æterna; quando ergo in die iudicii unusquisque in corpore suo reportabit operum suorum mercedem, divinæ iustitiæ gloria ab omnibus conspicietur, unde dies iudicii vocatur αποκαλυψις της δικαιοκρισιας, Rom. II. 5. 3) Suam *benignitatem* ac *gratiam*, quia pios supra condignum & supra omne meritum remunerabitur immensum gloriæ & felicitatis æternæ thesaurum, adeoque seipsum perfecte ipsis communicando. Christi gloria in illo die critico manifestabitur, quia notam faciet 1) suam *divinam maiestatem* in glorioso ad iudicium adventu, 2) suam *sapientiam* in separatione bonorum ac malorum, 3) suam *benignitatem erga pios* ad dextram constitutos, quibus tanquam membris suis gloriam suam ex parte communicabit. Col. III. 4. *Cum Christus adparuerit vita vestra, tunc & vos cum ipso adparebitis in gloria.* 2 Thess. I. 10. *Glorificabitur in sanctis, & mirificabitur in credentibus*, quia gloria illa, quam sanctis suis communicabit, omnem humanæ rationis captum excedet. 4) Suam *iustitiam* in promulgatione eiusmodi sententiæ decisivæ, quam omnes iustissimam esse agnoscent. 5) Suam *potentiam* in sententiæ latæ exsecutione, in regni diabolici ac mortis plenaria destructione, in regni sui cœlestis & æterni confirmatione; tunc enim omnes *inimicos suos scabellum pedum suorum ponet*, Psalm CX. 1. *mortem destruet*, 1 Cor. XV. 26. ac reipsa potentissimum satanæ, mortis & inferni triumphatorem sese demonstrabit, Ose. XIII. 14. 1 Ioh. III. 8. contra vero imaginem divinam, ad quam homo primum erat conditus, in electis ac dilectis suis perfecte renovabit ac reformabit, inque eis velut in templo suo glorioso in æternum habitabit, Philip. III. 21. Apoc. XXI. 3. &c. Nec tantum in sensu *absoluto* Dei & Christi gloria in die iudicii modis hactenus expositis conspicietur, sed etiam in sensu *relativo*, quia sancti & electi in omnes nunquam finiendorum seculorum æternitates Deum & agnum sedentem in throno glorificabunt divinæ sapientiæ, bonitatis, veritatis, iustitiæ & potentiæ gloriam gratis mentibus agnoscendo ac perpetuis laudibus prosequendo, Psalm LXXXIV. 5. *Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te.*

§. LXXII. *Minus principalis* finis est vel *generalis* vel *specialis*. Generalis omnes homines concernit, ut coram tri-

tribunali Christi in suis corporibus sistantur, Matth. XXIV. 31. XXV. 32. ac quilibet sententiam iudicis audiat *reportans prout in corpore gessit, sive bonum sive malum*, 2 Cor. V. 10. qua ratione *occulta tenebrarum & abscondita consilia cordium patefient*, 1 Cor. IV. 5 dum ex una parte fides, pietas, innocentia & bona conscientia piorum; ex altera parte incredulitas, hypocrisis, impietas & mala conscientia impiorum in publicam lucem producentur. *Specialis* pios & impios in specie concernit, ut scilicet illi partorum a Christo & promissorum in evangelio bonorum participes reddantur, ab omnibus malis & adversis perfecte liberentur, & in amissam cœlestis paradisi possessionem plene restituantur, unde dies illa vocatur dies ἀπολυτρωτεως, ἀποψυξεως και αποκαταστασεως των παντων, Luc. XXI. 28. Rom. VIII. 23. Eph. IV. 30. Act. III. 20. & 21. hi vero a facie Dei abiecti debitas peccatorum suorum pœnas percipiant, Malach. IV. 1. Matth. XXV. 41. 2 Thess. I. 9. 2 Petr. II. 9. &c. atque hac ratione reipsa experiantur, verbum Dei non fuisse fallax, nec comminationes eius esse inania ex pelvi fulgura, sed maximum illis inesse robur ac pondus. Iacobus de Valentia episcopus Christopolitanus, in comment. Psalm II. *Quamvis unusquisque iudicatus sit particulariter in fine vitae suae, tamen universale iudicium erit necessarium propter quatuor:* 1) *ad manifestandam veritatem personae Christi omnibus gentibus*, 2) *veniet Christus ad manifestandum occulta*, 3) *veniet ad iudicandum male iudicata*, 4) *ad iudicandum non iudicata*; quæ omnia ibidem fusius declarat.

§. LXXIII. Hisce consentaneæ sunt *quinque illae causae*, quas Bellarminus libr. de beat. sa. Ct. cap. 6. ex piis veteribus adducit, ob quas instituendum sit iudicium *generale*, etiamsi præcesserit iudicium *particulare* in hominis vita ac morte. 1) *Ut ostendatur Dei iustitia & misericordia.* Omnia enim Deus facit propter gloriam suam, sed tamen nunc non ita aperte ostendit, quin inveniantur, qui Deum iniustitiæ accusent, vel nullam eum habere providentiam credant, cum videant bonos adfligi, malos autem gaudere; ideo Deus elegit sibi unum diem, in quo coram toto mundo ostendat summam suam iustitiam in impios, & summam misericordiam in pios, & simul ostendat, se cum summa misericordia erga iustos nulla uti crudelitate vel iniustitia in impios; & cum summa severitate erga impios nulla uti acceptione personarum vel iniqua liberalitate erga pios. 2) *Ut clarificetur Filius hominis.* Pertinet enim ad Christi gloriam, ut qui in primo adventu tanquam reus iniuste iudicatus est, iterum adpareat glorioſus & iudex. 3) *Ad laudem bonorum, ignominiam vero malorum.* Vult enim Deus, ut sancti, qui in certaminibus suis spectaculum facti sunt mundo, angelis & hominibus: sic etiam coram toto mundo, omnibus angelis & hominibus victores pronuncientur. 4) *Ut totus homo iudicetur*, & præmium suum recipiat; nunc enim solum animæ iudicantur, & partem præmii accipiunt. 5) *Quia nondum sunt finita opera bona & mala defunctorum*, quod Basilius in libro de virginit. ante medium colligit ex illis verbis 1 Tim. V. *Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, praecedentia ad iudicium, quorumdam vero subsequuntur.* Quia igitur tunc finientur opera mala & bona, quando finietur mundus, ideo tunc ultima feretur sententia. *Effectus* iudicii erit consummata liberatio piorum ac finalis *Effectus iudicii.*

reiectio impiorum, unde Christus post descriptum iudicialem processum Matth. XXV. 46. subiungit: *Et ibunt hi* (impii ad sinistram constituti) *in ignem aeternum, iusti vero in vitam aeternam*, de quibus beatorum præmiis & impiorum suppliciis in sequentibus uberius dicetur.

CAPVT VII.

DE ADIVNCTIS EXTREMI IVDICII.

Adiuncta iudicii. 1) Locus.

§. LXXIV. *Adiuncta* extremi iudicii sunt: 1) *locus*, 2) *tempus*, 3) *antecedentia & consequentia.* 1) Adventus Christi ad iudicium consideratur vel ratione *termini a quo*, vel ratione *termini ad quem.* Terminus a quo est *cælum*, dicitur enim Christus *e cælo* rediturus, ad iudicandum vivos & mortuos. Act. I. 11. *Hic Iesus, qui assumtus est a vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Phil. III. 20. *Conversatio nostra est in cælis, unde etiam Salvatorem exspectamus Dominum Iesum Christum.* In symbolo apostolico confitemur, *Christum ascendisse in cælum, sedere ad dextram Dei, unde rediturus sit ad iudicandum;* de quo cœlo ubi & quale sit, in ultimo huius articuli tractatu plenius dispicietur. Damascenus libro IV. orthodox. fidei capite 13. statuit, *ex orientali cæli plaga Christum ad iudicium venturum.* Enumerans enim causas, propter quas in precibus ad orientem nos convertimus, inter cætera sic scribit: *Christus adsumtus ad orientem ferebatur, & sic ipsum apostoli adoraverunt. Et sic veniet, quemadmodum intuebantur ipsum euntem in cælum, ut angeli dixere ad apostolos. Et ut ipse Dominus dixit: quemadmodum fulgur egreditur ab oriente, & pervenit usque ad occidentem, sic erit adventus Filii hominis. Ipsum igitur exspectantes, ad orientem adoramus.* Nos 1) fatemur haud inviti vetustissimum in ecclesia christiana fuisse ritum, *ut precaturi ad orientem se converterent*, cum illius mentio fiat ab antiquissimis patribus, Tertulliano in apologet. cap. 16. & 30. libr. contra Valentin. non procul ab initio, Iustinus in qq. & respon. ad orthodox. quæst. CXVIII. Clemente Romano libr. II. constitut. apost. cap. 61. Epiphanio hæres. XIX. quæ est Ossenorum, Origene homil. V. in Numer. Basilio libr. de Spiritu sancto cap. 27. pag. 378. Athanasio quæst. XXXVII. tom. II. pag. 285. Nazianzeno epistol. LX. ad Philagrium, Gregorio Nysseno homil. V. de oration. dominic. &c. Inde pleraque christianorum templa tali situ exædificata sunt, ut adyta eorum interiora seu chori orientem spectent. Commentator Damasceni dicto loco circa finem cap. *Sicut Iudaei Christum extra portam iecerunt, ut crucifigeretur, tanquam malefactorem & indignum, quem urbs ipsa contineret: ita & facie versa ad oppositam urbi partem eosdem ipsum crucifixisse, satis veritati consentaneum videtur, tanquam minus dignum, qui urbem contueretur. Quare facie ad occidentem conversa crucifixus est. Et hinc, ut coniectare licet, in templis & basilicis nostris Dominus noster figuratur ad occidentem crucifixus, quem ubi primum templa subimus, oculis nostris obiectum cernentes, proni facie ad ipsum conversa orientem versus Christum adoramus.* 3) Hunc ritum nequaquam repudiamus aut damnamus, cum

cum per se & in se verbo Dei minime adversetur, cum rationibus quibusdam non plane aſernandis nitatur, cum ipsa antiquitate sese commendet, cum absque superstitione utilis commonefactionis loco observari possit. 4) Neque tamen eum tanquam præcise necessarium & a traditione apostolica indubitata profectum urgemus, multo minus preces orientem versus facie versa ad Deum profusas efficaciores ac Deo gratiores esse statuimus, cum omnem locum ad orandum nobis concessum esse, Psalm CIII. 22. Ioh. IV. 21. 1 Tim. II. 8. Deum omnibus in spiritu se invocantibus proximum esse noverimus, Psalm CXLV. 18. Leo sermon. VII. de nat. Domin. pag. 18. *Si templum Dei sumus, & Spiritus Dei habitat in nobis, plus est, quod quisque fidelis habet in sua anima, quam quod miratur in cælo.* 5) Scaliger exer. LII. & XCIX. recte disputat, *nullum præscriptum esse vel orienti vel occidenti locum praeter eum, quem habet respectu nostri. Ubique*, inquit, *oriens est, ubique astra oriuntur simul & occidunt eodem momento eadem, sed non iisdem.* Respectu igitur ad Hierosolymam habito plaga orientalis statuenda. At Hierosolyma non est omnibus christianis orientalis, sed quibusdam meridionalis, quibusdam septentrionalis, quibusdam occidentalis. 6) Similitudinem Christi a fulgure petitam quidam accipiunt de dilatatione regni Christi per evangelii prædicationem. Ac si vel maxime ad secundum Christi adventum referatur, quod & nos fecimus superius, non tamen illius locus, sed qualitas hisce verbis exprimitur, quod scilicet futurus sit subitus, inexspectatus, gloriosus & omnibus conspicuus. *Terminus ad quem* adventus Christi ac *locus in quo* iudicii extremi dupliciter designatur, 1) *generaliter*, 2) *specialiter*. In genere eum denotat Hieronymus Magius lib. V. de exustione mundi cap. 8. *Ego*, inquit, *super altiorem terrae partem scilicet super arcticum hemisphaerium Christum adpariturum & ad iudicandum sessurum censuerim.* Et postea: *videtur Christus adpariturus in latere aquilonis sinistro, scilicet in orientali plaga, cui loco Dei licet incorporei & loco incomprehensibilis solium tribuit* Esai. XIV. 13. quod postea uberius confirmare nitur ex libro apocrypho, quarto scilicet Esdræ & Psalm LXVII.

§. LXXV. In *specie* de iudicii loco fabulantur *Iudaei*, quod instituendum sit *in valle Iosaphat*, cuius mentio fit, 2. Paralip. XX. 26. idque colligunt ex vaticinio Ioelis III. 7. & 17. Galatinus lib. VIII. de arcan. cap. 15. *Omnes fere rabbini nemine discrepante dicunt, quod gentes, quae iam Iudaicum populum in hac captivitate supprimunt & adfligunt, similiter sint propter hoc a Deo in iudicio puniendae, ad quod probandum illud Ioelis adducunt: Congregabo omnes gentes, & ducam illas in vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis super populo meo.* Hanc opinionem non minus quam eam, quæ Eliam Thesbiten in propria persona rediturum statuit, *Pontificii* fecerunt suam. Thomas in suppl. quæst. 78. art. 4. concludit, *Christum circa montem oliveti descensurum, sicut & inde adscendit, ut nempe idem ostendatur, qui descendit & qui adscendit.* Gregorius de Valent. tom. IV. comm. in Th. p. 2320. *Locus, in quo iudicium peragetur, erit in valle Iosaphat, cui imminet mons oliveti, unde Dominus in cœlum conscendit. Exstat siquidem ea de re manifesta prophetia Ioel 3. Neque tamen erit opus, ut omnes sint intra illam vallem, sed satis implebitur prophetia, si sint partim in illa, partim circa illam vallem*

lem in vicinis locis, ut possint videre iudicem sublimen vallibus sedentem. Similia occurrunt apud Iosephum a Costa lib. IV. de temp. novis. cap 13. Lorichium in thesauro theolog. nov. Riberam in comm. Ioel 3. Adrichomium in theatr. terræ sanctæ fol. 172. Maldonatum in comm. Matth. XXV. Iacob. Bayum libr. I. instit. cap. 255. p. 286. Christophorus a Castro in comm. Ioel III. p. 189. addit argumentum ex Act. I. 11. *Hic Iesus, qui assumtus est, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Ergo veniet in hunc montem, unde ascendit, ubi praedicavit hominibus & eos redemit & victor ascendit in cœlum, ibi eosdem homines iudicabit de sui muneris utiliter aut inutiliter obiti observatione.* Hæc ratiocinatio videtur petita ex Hilario, qui can. XXIV. in Matth. scribit: *digne illic claritatis adventus exspectabitur, ubi nobis gloriam aeternitatis passione corporeae humilitatis operatus est.* Sed respondemus 1) ut *tempus* iudicii exactum ac determinatum soli Deo notum, ita quoque iudicii *locus* in thesauris divinæ sapientiæ ac scientiæ absconditus latet. Beda lib. V. in Luc. XVII. *Non potest eius venturi tempus aut locus a mortalibus observari, qui fulguris instar omnibus coruscus & repentinus adveniet.* 2) Vallis Iosaphat Hierosolymæ vicina, in qua pius rex Iosaphat post reportatam ab hostibus victoriam & divisa spolia cum populo suo Deum publice & solenniter prædicavit, tot hominum myriadibus capiendis quomodo sufficiet? Si ad miraculum confugias, respondebitur, non esse miracula extra & præter scripturam fingenda. Cornelius a Lapide in comm. 1 Thess. IV. p. 692. sic respondet: *vallis Iosaphat, in qua fiet iudicium, cum campis & locis vicinis, quae longissime protendi, & adeo, si opus sit, complanari possunt, capere poterit omnes homines, qui unquam fuerunt, sunt aut erunt. Nam reprobi in valle hac consistent in terra constipati a finistris iudicis circumcirca; sancti vero a dextris consistent non in terra, sed altius & iudici vicinius in aere, ita tamen, ut sicut in amphitheatris varii erant spectantium ordines per condignationem & tabulata alii aliis altiores, ita & sanctorum varii sint ordines, aliique pro meritis supra alios quasi in tabulato aereo altius consideant, sic tamen, ut infimi longe reprobis & terra, quam in vita calcarunt & contemserunt, emineant & Christo adpropinquent.* At num ad vallem Iosaphat pertinent loca vicina longissime exporrecta & complanata? num vallis Iosaphat se extendit per aerem usque ad cœlum? 3) Vaticinium propheticum quidam malunt accipere de *spirituali Christi adventu per verbum*, adeoque de vocatione gentium per prædicationem evangelii ad consortium ecclesiæ; sed concedimus ad secundum Christi adventum illud adcommodari posse, dicimus ergo Iosaphat hoc loco non esse nomen proprium, sed adpellativum significans *Domini iudicium.* Propheticis igitur ac mysticis verbis a Ioele prædicitur, quod Dominus Iesus magna cum maiestate & gloria ad iudicandum orbem terrarum e cœlo sit descensurus, ac proinde totus terrarum orbis respectu cœli vallis Iosaphat vocatur. Hieronymus in comm. tom. V. p. 87. *Omnis, qui iudicatur, in valle positus est, quae adpellatur Iosaphat, hoc est, Domini iudicium. Qui enim credit in Dominum, non iudicabitur, ibique disputabit cum eis non potentia maiestatis, sed rationis eos veritate convincens, qui partiti sunt populum Dei, & hereditatem illius dispersérunt in nationibus, ut servos Dei sibi servire compellerent* Confer eumdem in comm. Ezech. XXXVIII. & epist. CXLII. ad Damas. Nimirum loquitur prophe-

ta

ta phrasibus vet. testamenti de rebus in novissimo die eventuris, ac ut *per dispersionem populi* in varias nationes συνεδοχικως intelligit quasvis persecutiones & oppressiones, adeoque omnia adversa, quæ ab initio mundi ad finem usque ab hostibus ecclesiæ obtigerunt, ita quoque μυστικως *per vallem Iosaphat* intelligit locum, quem Dominus ad iudicium elegerit, quicunque is tandem sit futurus. Quemadmodum enim olim in valle Iosaphat Deus particulare iudicium adversus hostes ecclesiæ exercuit, & mirabilem victoriam populo suo concessit, sic in extremo iudicio Christus liberabit suam ecclesiam ab omnibus hostibus, seque victorem satanæ & mortis glorioſe demonstrabit. Quemadmodum in valle Iosaphat populus Iuda cum rege Iosaphato ob victoriam divinitus concessam publica voce Deum laudavit, unde etiam *vallis benedictionis* adpellatur: ita quoque pii ab omnibus suis hostibus liberati & ad regni cœlestis consortium vocati æternis præconiis Deum celebrarunt. Videt hoc Barradius, ideo fulgore veritatis permotus tom. III. conc. libr. IX. cap. 18. pag. 606. scribit: *Potest nomen Iosaphat significare quemcunque locum, in quo Dominus iudicabit, verum recepta fert sententia, vallem ipsam Iosaphat, quae Ierusalem urbi vicina est, hoc nomine significari.* Quidam statuunt per *vallem Iosaphat* analogice significari conspicuum & illustrem illius iudicii processum, quod scilicet infideles & ecclesiæ hostes in conspectu fidelium sint iudicandi, quia vallis Iosaphati sita fuit in ipsius Sionis & Hierosolymæ conspectu. 4) Hæc expositio non solum probatur *Chaldaeo interpreti*, qui vallem Iosaphat exponit per *vallem divisionis iudicii*, Haymoni, Alberto & Abulensi in Matth. XXV. quæst. 331. sed etiam confirmari potest duplici ratiocinatione: *primo* quia nomen hoc diversis vallibus est impositum, quasi sit nomen commune illis locis, in quibus Dominus suum exserit iudicium. Vallis enim Iosaphat communiter sic dicta est iuxta urbem Ierusalem ad radices montis oliveti. Illa autem vallis, quam rabbinus Aben Ezra & Rupertus dictam putant *vallem benedictionis*, in qua ob victoriam ab Ammonitis, Moabitis & Idumæis reportatam populus Iuda cum rege Iosaphato Dominum laudavit, est remotior ab urbe Ierusalem, siquidem *filii Iudae egressi sunt per desertum Thecuae ad dimicandum contra hostes*, 2 Paral. XX. 20. quod desertum adiacet urbi Thecuæ versus mare rubrum, Thecua autem duodecim millibus ab Hierusalem distat teste Hieronymo in Ierem. VI. in princip. hoc est, leucis tribus, & illi ceciderunt in summitate torrentis, qui erat contra solitudinem Ieruel. v. 16. *Secundo* quia eadem vallis, in qua propheta Dominum iudicaturum prædicit, in eodem capite v. 12. vocatur *vallis* חרוץ *concisionis*, quia in ea tanquam in foro iudiciali ingens populorum multitudo concidenda est & perdenda, vel ut alii vertunt *vallis decisionis*, hoc est, decreti ac definiti iudicii, ibi enim cuiuscunque iudicium decidetur ac determinabitur, utrumque enim Hebræum חרוץ significat. 5) Angeli Act. I. 11. non de τοπω sed de τροπω adventus Christi ad iudicium loquuntur, quod visibiliter rediturus sit ad iudicium, qui visibiliter adscendit in cœlum. 6) Ταυτοτης personæ aliis argumentis quam identitate loci in adscensione & reditu ad iudicium demonstrari potest. 7) Denique Christus discipulis de loco iudicii scisitantibus indeterminate respondet: *ubi fuerit cadaver, ibi congregabuntur & aquilae*, Lucæ XVII. 37.

§. LXXVI. II) *Tempus.* *Tempus* iudicii extremi duplex statui potest, *inchoationis* ac *durationis*. Inchoationis tempus vocamus præcise punctum illud temporis, quo Christus e cœlo rediturus ad iudicandum vivos & mortuos ad vitam suscitatos, ac utrosque coram tribunali suo ad audiendam definitivam sententiam mediante angelorum ministerio congregaturus. Futurum illud in *die* novissimo testantur sacræ literæ, in quo etiam *mortuorum resurrectio* iudicium antegressura & *consummatio seculi* iudicium secutura peragetur, Matth. XXIV. 30. XXV. 31. 1 Cor. XV. 52. 1 Thess. IV. 16. Apoc. XX. 11. Quis vero dies ultimus ac novissimus sit futurus, ac proinde quo die, quave hora Christus ad iudicium sit venturus, illud exacte & præcise hominum arbitramur scire posse neminem, ac proinde a temeraria & scrupulosa illius inquisitione merito esse abstinendum. 1) Quia Christus eam expresse prohibuit Act. I. 7. *Non est vestrum nosse tempora.* Augustinus lib. XVIII. de civit. Dei cap. 53. in principio: *frustra annos, qui huic seculo remanent, computare ac definire conamur, cum hoc scire non esse nostrum ex veritatis ore audiamus.* Et postea: *omnium hac de re calculantium digitos resolvit & quiescere iubet ille, qui dicit: non est vestrum scire tempora;* in quæ verba sic commentatur Ludovicus Vives: *eant nunc sive mathematici sive divinaculi quilibet, & pavidae plebeculae crassisque purpuratis admirabundis definiant tempora & articulos, quibus hic cursus rerum ordoque cessaturus est, atque etiam si diis placet, Christo ipso docente, se id profiteantur facere, qui charissimis discipulis severe responderit, nihil hominibus cum scientia negotii tam recondita & arcani. Et tamen nulla res est, de qua liberius homines mentiantur, quam de venturis, quoniam nihil nos audimus libentius, etiamsi mentiri sciamus, ita favor in eos noster, qui ventura iactant praecicere, licentiam eorum irritat & alit. Usque adeo in re mirabili vel voluisse dicere, mirandum ducimus.* 2) Quia apostolus in paradiso edoctus de χρονοις ac καιροις adventus dominici scribere necessarium minime censuit, 1 Thess. V. 1. dubio procul, quia Christus illos χρονους και καιρους indagare vel scire nostrum esse negaverat. Augustinus epist. LXXVIII. ad Hesychium meminit quorumdam, qui ex verbis Christi: *de die illa & hora nemo scit &c.* probare voluerunt *tempora iudicii posse computari, diem vero tantummodo ipsum & horam neminem scire*, quibus Augustinus erudite hoc modo respondet: *omitto dicere, quemadmodum soleant scripturae diem vel horam etiam pro tempore ponere, sed certe illud de ignorantia temporum apertissime dictum est. Nam cum hinc Dominus interrogatus esset a discipulis suis: nemo*, inquit, *potest cognoscere tempora, quae Pater posuit in potestate sua. Non enim dixit, diem vel horam, sed tempora, quae in brevi spatio non solent dici sicut dies vel hora, maxime si Graecum intueamur eloquium, ubi est χρονους και καιρους &c. Tempora ergo computare, hoc est, χρονους, ut sciamus, quando sit finis huius seculi vel adventus Domini nihil aliud mihi videtur, quam scire velle, quod ipse ait neminem scire posse.* 3) Quia Deus hoc voluit nobis esse occultum, soli vero scientiæ suæ reservatum. Zach. XIV. 7. *Erit dies nota Domino.* Matth. XXIV. 36. Marc. XIII. 32. *De die illa vel hora nemo scit, neque angeli cœlorum, neque Filius, nisi solus Pater.* Act. I. 7. *Non est vestrum scire ea, quae Pater posuit in sua propria potestate.* Irenæus libr. II. adverss. hæret. cap. 48. *Si scientiam illius diei Filius non erubuit referre ad Patrem, sed*

sed dixit, quod verum est, quomodo nos non erubescimus, quae sunt in quaestionibus maiora, non reservare Deo? nemo enim supra magistrum est. Athanasius serm. IV. contra Arianum: *refrenavit curiositates nostras, ne scire aut investigare tentemus id, quod angelis est ignotum, scirique non potest.* Plerique veterum illud Marc. XIII. 32. de ἀγνοια Filii sic exponunt, *quod Christus quatenus Dei legatus ad praedicationem verbi missus tempus extremi iudicii se ignorare asserat, quia non erat a Patre missus ut diem iudicii nobis revelaret*, sed ut consilium Dei de salute nostra nobis proponeret, Ioh. XIV. 31. Hilarius libro X. de Trinitate: *professio nescitae diei non est ignorationis infirmitas, sed tacendi dispensatio.* Ambrosius libr. V. de fide cap. 8. *Non dicit se nescire, sed dixit, non est vestrum scire. Ignoravit aliis, non sibi.* Augustinus lib. de Trinitate cap. 12. lib. I. de Genes. contra Manich. cap. 22. & in enarrat. Psalm VI. *Hoc ideo dictum est, quia per Filium homines hoc non discunt, non quod apud seipsum non noverit, sed secundum illam locutionem: tentat vos Dominus, ut sciat, id est, scire vos faciat. Dicit se nescire, quia in eius magisterio non erat, ut a nobis sciretur.* Origenes tract. XXX. in Matth. & Gregorius lib. VIII. epistola XLII. disputant, *Christum loqui non in persona sua, sed in persona ecclesiae, non iuxta hoc, quod caput est, sed iuxta corpus eius, quod nos sumus.* Beda in comm. Act. I. ostendit, *quod ipse sciat, sed non expediat nosse mortalibus.* Epiphanius haeres. LXIX. *Non novit Filius diem iudicii cognitione practica & experimentali, quia iudicium nondum exercuit.* Athanasius in disputat. contra Arcium in concil. Nic. *Neque filius scit adoptatus, videlicet populus christianus.* Confer Bellarminum lib. IV. de Christi anima capite 5. Sed beatus noster Luthe-

rus hisce glossis minime opus esse recte censet. Verum quidem est, Christum diem illum *nobis nescivisse*, interim emphasi textus hoc non satisfacit, quippe in quo diserte adstruitur, Filium Hominis, hoc est, *Christum secundum humanam naturam in statu profundae exinanitionis diem illum non novisse.* Quae enim diei ultimi scientia hominibus & angelis detrahitur, eadem etiam Filio Hominis denegatur & vicissim. Quae diei ultimi scientia hominibus, angelis & Filio Hominis detrahitur in membro priori, eadem in posteriori oppositionis membro patri tribuitur. Iam vero homines & angeli ignorant diem illum non solum aliis, sed etiam sibiipsis. Pater non scivit diem novissimum ad revelandum, cum non revelaverit. Ergo etiam Filius eumdem non aliis duntaxat, sed sibi ignoravit, nec ad revelandum duntaxat aliis nescivit. Bellarminus libr. IV. de Christo capite 1. & Iesuita Armandus in epistola ad Chamierum, *omnes patres huic interpretationi adversari dicunt;* sed exstat apud Nazianzenum oratione II. de Filio: γινωσκει μεν ως θεος, αγνοειν δε φησιν ως ανθρωπος. Confer eiusdem orat. XXXV. & XXXVI. Athanasius orat. IV. contra Arian. *Non verbum quatenus verbum ista dixit, quasi ignoraret, sed quia carnem habuerat ignorationi obnoxiam, carnaliter locutus est.* Item: *homo iam factus haec verba protulit, ne Filium quidem scire, siquidem carne non noverat, quamvis ut Deus horam illam bene cognitam haberet.* Item: *Sicut homo cum hominibus esurit & sitit, & patitur, ita ut homo cum hominibus non novit. De die & hora &c. cum divinitus omnia sciret, carnaliter tamen ob carnem ignorationi obnoxiam dixit eius rei se ignarum esse. Pro hominis ratione ut homo loquebatur, non novi.* Cyrillus libr. IX. the-

thesauri cap. 10. *De seipso ut homine loquens, nec derogans sibiipsi ut Deo, scit enim ut Deus, quod ut homo ignorat.* Item: *sicut voluit tanquam homo fame & siti, caeterisque huiusmodi laborare, sic etiam ut homo diem illum ignorat.* Item: *vere dicit, se ut hominem ignorare, infirmitates omnes nostras accepit.* Eadem est sententia Basilii epistola I. ad Amphilochium. Ambrosius libr. de incarnatione sacrament. capit. 7. *Deus perfectionem suscepit naturae humanae, suscepit sensum hominis, sed non sensu carnis fuit inflatus. Sensu hominis dixit animam conturbatam, sensu hominis esurivit, & rogavit, sensu hominis profecit.* Item: *profectus aetatis & profectus sapientiae non divinae, sed humanae naturae est.* Damascenus libr. III. de orthod. fid. cap. 21. *Humana natura substantialiter non obtinet futurorum cognitionem, Domini autem anima propter ipsum ad verbum unionem & hypostaticam identitatem dives facta est cum reliquis signis etiam futurorum cognitione.* Unde Maldonatus in comm. Matth. XXIV. fatetur, *aliquot veteres hanc interpretationem amplecti.* Quidquid sit, hoc ex verbis Christi manifestum, quod coelestis Pater exactam diei illius notitiam hominibus voluerit denegatam, suae vero scientiae soli relictam, quod expendens Augustinus epistola LXXVIII. ad Hesychium & in enarrat. Psalm. VI. *Ego*, inquit, *de Servatoris adventu, qui exspectatur in fine, tempora dinumerare non audeo, nec aliquem prophetam de hac re numerum annorum existimo praefinivisse. Quod ergo Dominus nos scire noluit, libenter nesciamus. Non adpetamus habere cognitum, quod Deus voluit esse secretum*, ut loquitur Prosper lib. I. de vocatione gent. cap. 8. Isidorus lib. I. de summo bono cap. 30. huc adcommodat dictum propheticum Esaiae LXIII. *dies ultionis in corde meo.* Durandus libr. IV. sentent. distinct. 47. quaest. 1. *Tempus iudicii non potest esse alicui notum per certitudinem, cum dependeat ex mera Dei voluntate, de cuius expressione scriptura nihil loquitur.* 4) Quia nec ipsis angelis tempus illud cognitum, ut ex iisdem Christi verbis liquet. 5) Quia temeritas eorum, qui tempus iudicii exacte determinare voluerunt, subsequente eventu contrario saepiuscule fuit damnata, ut ex antithesi adparebit. 6) Quia sicut mundi principium ab omni aeternitate soli Deo, a quo factus est mundus, fuit notum, sic & finem eius solus Deus novit, cuius potentia mundus destruetur. 7) Tempus primi adventus per hebdomadas Danielis erat patefactum, interim praecise quoad diem & horam nemo illud definire potuit; multo ergo minus tempus secundi adventus exacte quispiam praescire poterit. Augustinus epistola LXXX. ad Hesychium: *voluit Dominus, ut sciremus primum sui adventum, quia illius cognitio & utilis & necessaria nobis erat, alterius vero adventus tempus noluit esse manifestum, quia non expedit nobis.* 8) Ex signis, quae iudicium antegressura a Christo & apostolis praedicta sunt, verisimiliter colligi potest, tempus iudicii in propinquo esse, sed annum & mensem & diem & horam determinare, ab humana intelligentia est remotum, tum quia adventus Christi ad iudicium erit inopinatus & insperatus, Matth. XXIV. 44. Luc. XXI. 35. 1 Thess. V. 3. &c. tum quia dies, qui decurtandi sunt propter electos, in absconditis divinae scientiae thesauris occulti latent. Cum hominem senio gravatum videmus, quod brevi moriturus sit, scimus; quando vero praecise id futurum sit, nescimus: sic mundum interitui adpropinquare videmus, diem autem interitus ignoramus. Distinguendum igitur inter

notitiam *generalem* & *specialem; coniecturalem* & *certam; confusam* & *distinctam;* 9) Quia Deus iustissimis rationibus permotus hunc diem nobis occultum esse voluit, ergo exacta temporis notitia non fuit nobis necessaria, imo nec utilis, quin potius ignoratio illius nobis utilis fuit, nimirum ut in perpetuo Dei timore viveremus; *ideo enim latet dies unus, ut observentur omnes*, nec securitatis pulvinari indormiremus. Hilarius libr. IX. de Trinitate pag. 194. *Ignoratio non ad errorem fuit necessaria, sed ad perseverantiam. Nec negatum, id est ad detrimentum, quod ignoratum tribuit incrementum, ne scientiae securitas negligentiam fidei dissimulatae non exerceret, sed praeparationem irremissam exspectatio indefinita retineret.* Confer eumdem canon. XXVI. in Matth. Ambrosius lib. V. de fid. cap. 8. *Nobis scire non proderat, ut dum certa futuri iudicii momenta nescimus, semper tanquam in excubiis constituti & in quadam virtutis specula collocati peccandi consuetudinem declinemus, ne nos inter vitia dies Domini deprehendat, non enim prodest scire, sed metuere, quod futurum est.* Augustinus epistola LXXX. ad Hesychium col. 35. *Deus noluit praedicari, quod videbat non utiliter sciri.* Item: *certum est tempus carere computo, quod breviandum est a Domino, qui tempora constituit.* Gregorius homil. XIII. in evangel. *Horam ultimam Dominus noster nobis ideirco voluit esse incognitam, ut semper possit esse suspecta, ut dum illam praevidere non possumus, ad illam fine intermissione praeparemur.* Nescire, quae nesciri voluit sciendi summus magister, erudita est insciti a.

Antithesis. §. LXXVII. Antithesis. Quamvis Christus curiositatem apostolorum momenta temporum inquirentium paulo ante suam in coelos adscensionem redarguerit ac represserit, Act. I. 7. omnibus tamen ecclesiae temporibus inventi sunt, qui extremi iudicii & consummationis seculi diem definire voluerint, quorum quidam eiusmodi tempus definiverunt, quod iamdum praeterlapsum vanitatis eorum praedictionem arguit. 1) Circumfertur prophetia sub nomine *Eliae: duo millia annorum erit mundus. Duo millia inane. Duo millia lex. Duo millia dies Messiae. Et propter peccata nostra, quae multiplicata sunt, exierunt ab his, qui exierunt.* Iohan. Lauterbachius eam sic expressit:

Annorum stabit tantum sex millia mundus,
Post totus misso victus ab igne ruet.

Servabunt nullam Domini duo millia legem,
Lex duo praescripta conditione reget.

Messiae solitam tribuent duo caetera laudem,
Sed cursum rumpent ob mala nostra suum.

Sed notandum, quod haec prophetia non sit traditio collegii & domus *Eliae Thesbitae*, qui floruit circa annum mundi 3040. sub rege Achabo annis ante Christum natum circiter 923. sed illius Eliae, qui vixit circiter ducentos annos ante natum Christum, referente Gersone Iudaeo converso in thalmud Iudaico libr. II. cap. 2. Exstat autem haec traditio domus Eliae in libro thalmudico *Sanhedrin* in capite *Helec*, & in libro *Havodazara* in capite *Liphne edehen.* Verba Hebraea adducit Galatinus libro IV. cap. 20. ubi eam vocat *thalmudisticam*, non *autem propheticam traditionem*, & addit,

postrema illa verba: *propter peccata nostra &c.* non esse eiusdem antiquitatis cum ipsa traditione, sed a quodam rabbino Iudaicam perfidiam tegere volente eidem adsuta. Rabbinus Isaac in Gen. I. observavit literam ס quæ cum duabus virgulis suprapositis *millenarii nota*, sexies in primo versiculo bibliorum esse repetitam, qua totidem millenarii durationis mundi insinuentur, cui observationi addè, quod in ultimo bibliorum versiculo 2 Paral. XXXVI. 23. totidem vocibus litera ס repetitur. Quamvis vero non a propheta Elia, ut Flinspachius inscite opinatur, sed a rabbinico quodam doctore hæc traditio prodierit, tamen antiquissimis ecclesiæ patribus fuit probata, qui ex dicto prophetico Psalm XC. 4. & apostolico 2 Petr. III. 8. *Dies unus apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies unus;* probabilitatem quamdam illi conciliare sunt conati. Irenæus libr. V. adversf. hæres. cap. 23. pag. 352. *Quotquot diebus factus est mundus, tot & millenis annis consummatur. Et propter hoc ait scriptura Geneseos:* Et consummata sunt cœlum & terra & omnis ornatus eorum. Et consummavit Deus in die sexto omnia opera sua, quæ fecit &c. *Hoc autem est & antefactorum narratio, quemadmodum facta sunt, & futurorum prophetia. Est enim dies Domini quasi mille anni. In sex autem diebus consummata sunt quae facta sunt. Manifestum est, quoniam consummatio ipsorum sextus millesimus annus est.* Lactantius libr. VII. instit. cap. 14. pag. 416. *Sciant philosophi, nondum sextum millesimum annum esse conclusum, quo numero expleto consummationem fieri necesse est, & humanarum rerum statum in melius reformari, cuius rei argumentum prius est enarrandum, quo ratio elucescat. Mundum Deus & hoc rerum naturae admirabile opus, sicut arcanis sacrae scripturae continetur, sex dierum spatio consummavit, diemque septimum, quo ab operibus suis requieverat, sanxit &c. Ergo quoniam sex diebus cuncta Dei opera perfecta sunt, per secula sex, hoc est, annorum sex millia manere in hoc statu mundum necesse est. Dies enim magnus Dei mille annorum circulo terminatur, sicut indicat propheta, qui dicit: ante oculos tuos Domine mille anni tanquam dies unus.* Iustinus in quæstionibus & responsionibus ad orthod. quæst. 71. pag. 337. *Ex multis scripturae locis conijcere licet, veros esse, qui dicunt, sexies mille annorum esse praesentis mundi status tempora, cum nonnunquam dicit*, extremis hisce diebus locutus est nobis per Filium, *quandoque in quos termini aetatum inciderunt, aliquando*, ubi venit plenitudo temporis, *omnia enim ista dicta in sexto prolata sunt millenario annorum ordine.* Si millia occurrunt apud Hieronymum in enarrat. Psalm LXXXIX. tom. IV. pag. 44. & in commentar. super Mich. IV. Augustinum lib. XII. contra Faustum cap. 8. & Gregorium in comm. 1 Reg. IX. tom. II. colum 1415. quin & fama horum sex mundi millenariorum ad ethnicos dimanavit, unde celebratur versiculus Orphei: εκτη εν γενεη κοσμος καταπαυσετ' αοιδοις, cuius meminit Plato in Philebo. Plutarchus in libro de ει apud Delph. At nec *Mosi* nec *Petro* propositum hexaemeron creationis cum durationis mundi conferre, sed docere, quod apud Deum spatia temporis non sint iisdem momentis metienda, quo apud homines, cum ipsi extra omnem temporis successionem posito omnia sint in simplicissimo τω νυν præsentissima; lubrico igitur fundamento hæc opinio nititur, ac ut primæ originis ratione *thalmudica* est & *rabbinica*, ita quoque christianis merito debet esse suspecta. Ecquis enim nos certos reddet,

det, quod tempus consummationis seculi æstimandum ex creationis hexaemero? si analogiæ aliquid dandum, potius ad durationis quam inchoationis tempus ea nos deducet, quod videlicet sex dierum spatio mundus iterum sit dissolvendus, sicut sex dierum spatio ab initio fuit conditus, cumque in analysi sit primum quod in genesi fuit ultimum, consequens erit primo consummationis seculi die hominem perimendum, qui ultimo hexaemeri die fuit conditus &c. Huic opinioni adsine est, quod Hilarius canon. XVII. in Matth. *sex dies*, quorum evangelistæ ante transfigurationem Christi meminerunt Matthæi XVII. 1. Marc. IX. 2. *in tot millenarios* pro ætate mundi constituenda convertit; quodque Prosper eumdem numerum colligit ex *anno aetatis Noae sexcentesimo*, quo diluvium orbi inundavit, ac denique quod quidam recentiores *duodecim horas laboris* in vinea, Matth. XX. 1. & Ioh. XI. 9. huc adcommodant ea ratione, ut cuilibet horæ anni 500. adsignentur. Quidam huc adcommodant vaticinium *Enochi*, quod realem potius quam verbalem concionem fuisse autumant Iud. v. 14. Ut enim mors corporalis in sex priores ecclesiæ patriarchas, *Adamum* scilicet, *Seth*, *Enos*, *Kenan*, *Mahaleel & Iared* propter peccatum efficaciter dominata est, in septimum vero *Enoch* suam vim ac potentiam exserere non potuit: ita existimant eo ipso significatum, quod per *sex millia annorum*, quibus hic mundus stabit, in omnes homines mors sit dominatura, septimo autem millenario, qui initium æternæ ac cœlestis vitæ futurus sit, amisso aculeo eam prorsus esse abolendam, quo Iudam respexisse censent' quando notanter addit, *Enochum ab Adamo septimum* de extremo iudicio fuisse vaticinatum. Eiusdem rei typum videtur gessisse *Elias propheta*. Ut enim Enoch ab Adamo septimus erat generatione, sic Elias propheta ab Adamo septimus erat ætate. Nam Adam attigit Mathusalah, Mathusalah attigit Sem, Sem attigit Iacob, Iacob attigit Amram, Amram attigit Ahia, Ahia attigit Eliam prophetam. Sicut ergo omnes sex priores ætates, quæ Eliam prophetam præcesserunt, morti fuere obnoxiæ, ipse autem Elias septimus ætate ab Adamo mortem non gustavit, sed curru & equis igneis in cœlum subvectus est: sic mors per sex millenarios in genus humanum grassabitur, in septimo autem millenario rapiemur in nubibus in occursum Domino &c. Insuper & alios quosdam typos veteris testamenti ad hosce sex mundi millenarios adcommodant. Agri *sex annis* colebantur, septimo autem inculti quasi feriabantur, Exod. XXIII. 10. Levit. XXV. 3. (*) Servitus Iudaica *sex annis* terminabatur, septimo autem recuperabatur libertas pristina, Exod. XXI. 2. Deut. XV. 12. *Septimo quoque die* erat sabbathum, quo ab operibus œconomicis cessabant divino cultui unice vacantes, Exod. XX. 10. Anno iubilæo, hoc est, septies septimo tubæ clangore significabatur, præsto esse exoptatum illud tempus, quo ad pristinas suas possessiones quisque redibat, Lev. XXV. 8. sic septimo mundi millenario bonorum amissorum perfectam restitutionem, libertatem cœlestem, quietem sempiternam, sabbathum ex sabbatho secuturum spe-

(*) Moses, per quem Deus iubilæum instituit, 120. annos vitæ complevit Deut. XXXIV. 7. iam vero 120. iubilæi conficiunt annos 6000. Moses post exitum Israelitarum ex Ægypto, qui fuit typus spiritualis liberationis per Christum præstitæ vixit 40. annos: iam vero 40. iubilæi conficiunt annos 2000. qui respondent annis a Christo nato usque ad iudicium.

sperant. Ios. VI. 20. *septimo die* circuitus a populo Israelitico instituti urbs Iericho concidit. Et in libro Apocrypho 4. Esdræ VII. 31. notanter dicitur: *erit post dies septem, & excitabitur, quod nondum vigilat seculum.* Sed Ambrosius libro VII. comment. in Luc. traditionem illam de sex mundi millenariis ideo minus probari adserit, quod *iamdum suo tempore ab exordio mundi plusquam sex annorum millia sint exacta*, falsa chronologia procul dubio deceptus. Augustinus in enarrat. Psalm LXXXIX. *eamdem scripturae minus congruam censet*, quippe quæ neget tempus consummationis seculi ab angelis, nedum ab hominibus præsciri posse. Beda etiam in libro de ratione temporum cap. 65 & in comm Psalm. VI. eamdem libere contemnit. *Quidam erronei* (inquit) *diem iudicii octavum vocarunt &c.* Ambrosius Ansbertus itidem se opposuit iis, qui *sex aetates*, hoc est, sex millenarios annorum usque ad consummationem seculi computabant. Cent. Magdeburg. cent. X. colum. 653. II) Aliam Iudæorum traditionem ex eodem libro thalmudico *Sanhedrin* cap. *Helec.* recenset Galatinus dict. loco: *dixit Elias magistro Iudae: non erit, id est, non durabit mundus minus quam octoginta quinque iubilaeis, & in ultimo iubilaeo filius David veniet*, ubi rabbini Salomonis glossa addit: *hi iubilaei continent annos quater mille ducentos & quinquaginta*, nimirum si pro quolibet iubilæo 50. anni computentur. Sed totidem anni a creatione mundi iamdudum effluxere. III) Esdras sacerdos, qui olympiade LXXX. hoc est, circa annum mundi 4740. floruit, libro IV. cap. 14. divinitus sibi revelatum testatur, *mundi aevum in duodecim partes distribui, suaque aetate partes decem iam esse praeterlapsas, partisque decimae dimidium, superesse autem quantum eius est post dimidium decimae partis.* Instituto autem illo annorum chronologismo ab ætate Esdræ ad nostram, liquido adparebit, longiora quam ab eo determinata fuere, præterlapsa esse tempora, nec interim finem mundi adventasse.

§. LXXVIII. In ipsis christianæ ecclesiæ incunabulis tempore apostoli Pauli in ecclesia Thessalonicensi quidam fanatici certum ac proxime instans tempus adventus Domini ad iudicium definire voluerunt, ac ut maiorem doctrinæ suæ auctoritatem conciliarent, 1) iactarunt *spiritum*, hoc est, peculiares quasdam revelationes, 2) protulerunt *ratiocinationes* & coniecturas, 3) depravarunt non tantum genuinas *epistolas* Pauli, sed etiam suppositititias ac falsas sub ipsius nomine ecclesiis obtruserunt, qua triplici via eos fuisse usos, colligitur ex 2 Thess. II. 2. *Non cito moveamini a vestro sensu, neque terreamini neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tanquam per nos &c.* Sed huic pseudodoctorum seductioni magno conatu apostolus se opponit docens, *non venturum diem Domini nisi prius venerit discessio ac reveletur homo peccati*, hoc est, antichristus vers. 3. Ibidem apostolus tres enumerat curiosarum illarum prædictionum effectus, qui sunt σαλευθηναι, θροεισθαι και εξαπαταν. Verbum σαλευθηναι ad *inconstantiam* & *periculum* respicit. Naves enim in salo semper nutant modo in hanc, modo in illam partem inclinantes, deinde salo oppressæ in syrtibus ab iisdem circumgyrantur & absorbentur. Θροεισθαι est *ad terrorem loqui*, *terrorem hominum animis incutere*, qui, cum sit intempestivus & verbo Dei adversus, in desperationem quandoque desinit; εξαπαταν *seductionis* manifestam significationem habet. Sed enim

enim non obstante præmonitione apostolica longe plurimi tempus adventus determinare ausi fuere. Cyprianus in principio libri de exhortatione martyrii ad Fortunatum p. 244. sic loqnitur: *Sex millia annorum plene complentur, ex quo diabolus hominem impugnat.* Fuit ergo tempore Cypriani pervulgata opinio, sextum mundi millenarium compleri cœpisse, ac proinde finem seculi instare. Philastrius de hæres. fol. 51. meminit quorumdam, qui ex Esai. LXI. 1. colligere voluerunt, *inter primum adventum Christi in carnem & alterum ad iudicium fore 365. annos.* Augustinus lib. XVIII. de civit. Dei cap. LIII. memorat, quosdam fuisse, qui annos *quadringentos*, quosdam *quingentos*, alios qui *mille annos* ab adscensione Domini usque ad eius ultimum adventum numerarint. *Quemadmodum autem quisque eorum* (ait) *adstruat opinionem suam, longum est demonstrare & non necessarium. Coniecturis quippe utuntur humanis, non ab eis certum aliquid de scripturae canonicae auctoritate profertur.* Idem epistola LXXVIII. ad Hesychium refert, *Hieronymum cuiusdam ανωνυμε opinionem temeritatis accusasse, quod ausus fuerit, Danielis hebdomadas de adventu Christi futuro, non praeterito exponere.* Quicunque igitur is fuerit, existimavit post septuaginta hebdomadas, hoc est, anno a nativitate Christi quadringentesimo nonagesimo extremum iudicium futurum. Lactantius lib. VII. div. instit. cap. XXV. pag. 436. *Quando compleatur haec summa annorum sex millium, docent ii, qui de temporibus scripserunt colligentes ea ex literis sanctis & ex variis historiis, quantus sit numerus annorum ab exordio mundi, qui licet varient, & aliquantum numeri eorum summa dissentiat, omnis tamen exspectatio non amplius quam ducentorum videtur annorum.* Sic ergo iuxta Lactantium circa annum Christi quingentesimum decimum octavum extremum debuisset institui iudicium, vixit enim Lactantius circa annum Christi trecentesimum decimum octavum, ac fuit Crispi, cæsaris Constantini magni filii Præceptor, cui computationi eventum haudquaquam respondisse in propatulo est; unde Xystus Betuleius Lactantii commentator eam sic refellit: *Fingamus Lactantium haec scripsisse anno a nato Christo trecentesimo vigesimo septimo. Nam tunc Constantinus soluta Maximini & Lycinii adversus Christianos Tyrannide solus imperii gubernacula tenuit. Quibus si ducentos Lactantii annos addideris, invenies diem iudicii triennium ante Iustiniani imperium fuisse oportere, id est, ab hinc annis mille octodecim.* Anno Christi octingentesimo quadragesimo octavo mulier quædam Suevica, nomine Theoda, circa Moguntiæ & Constantiæ fines vaticinata est, *per adparitionem angeli sibi revelatum fuisse, eo ipso anno adfuturum extremum mundi diem.* Aventinus libr. I. annal. Boiorum memorat, regnante Henrico IV. circa annum Christi millesimum sexagesimum secundum *constantem fuisse famam, imminere excidii fatum terrarum orbi.* Abbas Ioachimus ex Calabria diei novissimi constituit annum Christi millesimum ducentesimum quinquagesimum octavum. Prædixit enim Urbano III. pontifici venturum diem novissimum post duas generationes, hoc est post annos 70. Papa vero 1188. mortuus est, quibus duæ generationes sive anni 70 additi conficiunt annos 1258. Chrysostomus tempus nov. testam. adæquat cum duratione vet. testam. quam quia computat annis 1343. ideo etiam tot annos durationi ecclesiæ nov. testam. existimat esse tribuendos. Arnoldus de Villa nova prædixit, *anno salutis 1345.*

Antichriſtum & mundi finem adfuturum eſſe. (Nicolaus Eymericus de hoc Arnoldo memorat, quod annum ſalutis 1335. fini huius mundi præſtituerit part. II. quæſt. 11.) Bernhardinus de Buſto part. II. roſarii ſerm. 12. circa annum Chriſti 1495. literarum monumentis prodidit, *creditum tunc eſſe, mundi finem adventurum anno Chriſti 1500. idque concionatorem quemdam paſſim dictaſſe.* Heerbrandus in loc. theolog. cap. de conſummat. ſeculi ſcribit, *quoſdam interitui mundi praefixiſſe annum a nato Chriſto 1530.* Lutherus tom. IX. German. Witteberg. anno 1530. in præfat. ſuper Danielem mentionem facit eorum, *quibus viſum fuit ſtatim poſt annum 1530. exſpectandum mundi finem.* Circa annum. 1526. Thomas Scykerus Enthuſiaſta in urbe ſancti Galli Helvetiorum, conſulem ibidem agente Ioachimo Vadiano, per urbem currens ac horrendis geſtibus utens clamabat, *diem Domini adeſſe, diem Domini venire*, referente Bullingero libr. II. contra Anabaptiſt. cap. 1. Huſitis Anabaptiſtis circa annum 1530. tam certum erat, *extremum diem praeſentem eſſe, ut aliqui ipſorum omnes ſuas opes & facultates prodigerent, ea opinione, ut putarent ſe eas vix abſumere poſſe, tam brevi enim temporis ſpatio ſe ſatis opum habere;* libr. eiusdem cap. 6. Camerarius lib. I. oper. ſubciſ. cap. XLI. pag. 192. *Notum apud nos eſt, quibus rationibus noſtra memoria quidam parochus, alioquin non indoctus & arithmeticus inſignis, ſuis auditoribus inter concionandum, non ut arbitror doloſe, ſed nimium fidens tum dicto evangeliſtae propter numerum annorum:* VIdebVnt In qVeM pVpVgerVnt, *perſuadere conatus fuit, finem mundi adeſſe, diemque certum & horam huius indicavit.* Iuxta illius hypotheſin conſummatio ſeculi incidiſſet in annum 1532. Bucholzenus in chronol. ann. 1533. ſic adnotat: *Hoc anno quidam inepte vaticinatus eſt de extremi iudicii die, qui venturus eſſe menſe Octobri, idque ſupputavit ex his verbis:* IesVs NazarenVs reX IVDæorVM. *Item:* VIDebVnt In qVeM transfIXerVnt, *quorum prius ſi literas colligas, continet numerum anni 1532. poſterius vero annum 1533.* Intelligit autem Michaelem Stifelium, paſtorem eccleſiæ in Lochovv, ſub ditione electoris Saxonici, qui in hanc devenit opinationem, *ſe eſſe ſeptimum angelum apocalypticum, qui per divinam revelationem noviſſimum diem antegrediatur, ſeque habere tubam ſeptimi angeli.* Scripſit itaque librum & comprehendit opinionem ſuam XXII. articulis de extremo die, voluitque demonſtrare extremum diem præciſe cadere in annum Chriſti 1533. menſem 10. hebdomadam 42. in diem Lucæ evangeliſtæ circa horam octavam, qua prædictione ruſticos ſic dementavit, ut nec ararent, nec ſementem facerent, ſed genio indulgerent, ac res ſuas compotationibus prius abſumerent, antequam dies extremus ingrueret. Vide Lutherum in comm. XXXII. Gen. & in coll. menſal. cap. 43. Melchior Hoffmannus anno Chriſti 1534. mundi finem exſpectandum eſſe prædixit. Enthuſiaſtarum quidam ita temerarii fuerunt, ut circa annum 1539. etiam tempus ac diem ipſum, quo Dominus venturus eſſet, deſignarent. Hi deinde tanquam furioſi circumcurrebant & per plateas clamabant: *dies Domini, dies Domini, adnunciamus vobis diem dominicam.* Bullingerus d. l. cap. 1. Andreas Muſculus anno 1571. ſcriptum edidit ſub hoc titulo: *an ille puer, qui diem ſupremum ſupervicturus ſit, calceos modo induerit?* id ſi quis adfirmet, addit illis Chriſti annis longævitatem unius hominis 70. aut 80.

anno-

annorum, qua ratione adventus Christi incidet in annum 1541. vel 1551. Aretius in problem. loc. CLXXXIII. de adventu Christi secundo refert quosdam hac computatione usos fuisse: in verbis aDVentVs DoMInI, collegerunt *literas arithmeticas*, quæ conficiunt 2012. de quo numero subtraxerunt eum, quem collegerunt ex verbis DIes abbreVIabVntVr, hoc est 517. & restabant 1495 illis addiderunt numerum literarum *aents*, hoc est quinquaginta sex, quem numerum dant literæ *aents* naturali positione in dictione *adventus*, & emergunt anni 1551. hisce addiderunt adhuc 27. hoc est, numerum literarum in dictione *Domini*, & exit annus 1578. Quidam annis 1495. ex verbis *adventus Domini & dies abbreviantur* dicta ratione collectis addiderunt annos 150. ex verbis *propter eLeCtos* erutos, qui confecerunt annum 1645. a quo numero abstulerunt *aents*, hoc est, 56. quem dant hæ literæ in dictione *adventus*, & emergit annus 1587. initium anni 1588. de quo iam olim sic cecinerunt:

Mille annis verum, huiusmodi non fuit cœlum.
Veteres dudum dixere, hoc anno omnia lugere,
Si mundi finem non habebis, permutationem magnam videbis

Wenn man schreibt 1588.
Das ist das Jahr, so wol betracht.
Gehet dann die Welt nicht unter,
So geschicht doch sonst gros Wunder.

Tribuuntur autem hi versiculi & hæc ipsa opinio *Iohanni Regiomontano mathematico*, qui ob maximam coniunctionem trium superiorum planetarum Saturni, Iovis, Martis, & non finalem, tamen insignem quamdam mutationem mundo imminere præsagiebat. Caspar Bruschius hos rythmos sic vertit:

Post mille expletos a partu virginis annos,
Et post quingentos rursus ab orbe datos,
Octogesimus octavus mirabilis annus
Ingruet, is secum tristia multa trahet.
Si non hoc anno totus malus occidet orbis,
Si non in nihilum terra fretumque ruent;
Cuncta tamen mundi sursum ibunt atque deorsum
Imperia, & luctus undique grandis erit.

Alii ex alio principio hunc numerum eliciunt. Ut enim ab emigratione Israelitarum ex Ægypto ad natum Christum præterierunt anni 1516. sic a nato Christo ad reformationem ecclesiarum a Luthero in Germania factam totidem annos recensent, hisce addunt annos, qui a Christi nativitate ad illius baptismum numerantur videlicet 30. & 42. annos, qui inde usque ad Hierosolymæ excidium numerantur, qui simul collecti exhibent annum Christi 1588. Iohannes Erasmi Arianus in libro de antichristo hac ratione progreditur: sumit annum Christi 328. in quem incidit concilium Nicenum, quod ipsi videtur impium & in Deum contumeliosum, in eo statuit initium *regni bestiae* sive *antichristi*, quibus annis ex Dan. XII. 11. addit annos bestiæ 1260 qui duo numeri iuncti constituunt annum Christi 1588. in quem dicit cadere finem regni bestiæ & initium instare restaurationis ecclesiæ & novi mundi chiliastici ac phantastici. Sed hanc blasphemiam infernali igne Deus

aliquando in ipso vindicabit, & ipse eventus hoc somnium falsitatis convicit. Cyprianus Leovitius & alii mathematici propter coniunctionem omnium planetarum in ariete, qualis olim circa Christi nativitatem fuit, rationes quasdam in prognosticis suis anni 1583. allegarunt, diem Domini præsenti ætati adpropinquare. Bodinus lib. I. de dæmonom. cap. 5. Circa finem seculi proxime elapsi editum est scriptum aliquod sub ficto nomine *Adelberti Thermopedii*, qui definivit extremo diei annum 1599. 3. Aprilis. Quidam hunc numerum collegerunt hac ratione, ut quantitatem decurtationis, quæ debet fieri propter electos a sex mille annis facerent circiter 400. annos, ut hac ratione exiret annus 1600. vel 1612. Inventi fuere, qui Christi reditum exspectandum dixerunt, quando numerus annorum congruet *ad quinque vulnera Christi* in cruce pendentis, anno scilicet mundi 5555. hac ratione expectandus fuisset mundi finis anno Christi 1605. Quidam ex verbo IVDICIVM, in quo omnes literæ sunt numerales, collegerunt anno 1613. extremum iudicium instituendum.

§. LXXIX. Sed horum omnium calculos eventus contrarius plane conturbavit, quod ipsum metuendum illis, qui certum aliquem currentis centenarii annum extremo iudicio præcise adsignant. Eustachus Poysselius in libro Germanico de mutatione temporum has profert coniecturas: anno 40. post primum Pascha interiit Iericho, anno 40. post Nicenum concilium, in quo pascha tertium respectu festivitatis celebrandæ constitutum est, urbs Niceæ terræ motu eversa est, anno 40. Post calendarium Gregorianum anno 1481. editum, quo iterum alius terminus paschalis positus est, interibit totus mundus, sic ergo finis mundi iuxta hunc auctorem incidet in annum iam currentem 1621. Quidam computant annos a Mose usque ad Christum, qui in diebus carnis suæ totum cultum Mosaicum abrogavit, qui fuere 1590. illis addunt annos 40. quibus Israelitæ vagati fuere in deserto, unde emergit annus 1630. quo finem mundi exspectandum censent. Quidam annum Christi 1636. mundi fatalem & exsequialem fore incertis coniecturis persuasi arbitrantur. Quidam referente Chytræo in comm. Genes. VI. hypotheseos loco in sua computatione adsumunt dictum Christi Matth. XXIV. 37. Luc. XVII. 26. *Sicut erat in diebus Noae, ita & erit adventus Filii hominis* & quia a mundi creatione usque ad diluvium intervenerunt anni 1656. ideo totidem annos a primo Christi adventu usque ad secundum ipsius adventum intercessuros arbitrantur. Eidem principio insistit Nicolaus Cusanus in lib. de coniectur. noviss. diei. Sed quilibet videt Christum loqui non de numero annorum, sed de conformitate vitæ ac morum. Iobus Fintzelius & Casparus *Goldwurm* in catalogo prodigiorum memorant, anno 1556. in Transylvania cœlo sudo comparuisse has literas & hæc verba: INRI. MDLVI. IAHR EIN ENDE DIESES REICHS. Ex illis colligit Adamus Nachenmoserus diem iudicii venturum anno 1656. Sic autem progreditur: Quemadmodum indicta pœna diluvii Deus ad pœnitentiam agendam peccatoribus annos 120. dedit: ita haud præter rationem erit, si dixerimus, hoc prodigio diem novissimum prænunciari, & ideo etiam 120. superesse annos, quibus sit pœnitentia hominibus agenda. Quemadmodum autem seculo Noæ ad centum solummodo annos pœnam

nam Deus distulit: ita coniicio, tempus ultimum similiter annis tantum 20. abbreviatum iri, ut hac ratione non absurdum sit, si finem mundi constituamus in anno Domini 1656. In meletemate chronologico Gryphisvv. anno 1607. edito auctor libri huic computationi probabilitatem quamdam conciliare conatur ex eo, quod prædictus numerus in iubilæos redactus producat 33. cum 6. partibus, qui numerus est annorum ætatis Christi, ut scilicet totidem iubilæos lucretur ecclesia Christiana, quot annos singulos Christus in terris vixit; sed Cramerus, theologus eximius, amicus noster singularis, in exegem. de regno Christi cap. 4. (in quo superiores computationes plerasque omnes recenset & refellit) p. 268. recte monet, negligi in hoc calculo 6. partes, hoc est, sex annos, qui si adderentur, prodiret annus 1662. ac si ætatem Christi respiciamus, in ea superesse annum dimidium, qui exæquat dimidium iubilæum, id est, annos 25. qui superioribus additi producerent annum Christi 1682. Hiltenius, monachus Isennacensis, cuius mentio fit in apol. conf. august. quod reformationem Lutheri prædixerit, finem mundi constituit in anno 1660. ac addit, *prius dominaturos Gog & Magog*, prius etiam fore inclinationem regni illius Turcici, postquam Germaniam oppressserunt. Philippus Nicolai in lib. II. de regno Christi cap. VIII. confert invicem annos vitae Christi in his terris exactæ & ecclesiæ Christianæ utpote corporis ipsius mystici iubilæos, ac subductis rationibus omnibus tandem concludit: *Annus Christi 1670. finis erit septiduorum mille sexcentorum, Apoc. XIV. finis dierum mille trecentorum & triginta quinque Dan. XII. finis diei mystici septemque mensium & septem annorum in unam periodum coniunctorum, Ezech. XXXVIII. & XXXIX. finis mensium quadraginta dierum. Apoc. XIII. finis temporis diei mystici & trium horarum, Apoc. XVIII. finis temporum & dimidii temporis, Dan. XII. finis dierum mille ducentorum sexaginta & semiquatuor, horaeque unius mysticae, Apoc. XI. finis temporum novi Adami cum veteris Adae temporibus collatorum ac denique finis temporum ecclesiae iubilaeorum.* Interim modeste addit cap. 1. pag. 22. *Protestor, nolle me de arcanis soli Deo reservatis quidquam scire quidquam adfirmare vel quidquam negare, & abstit ab omnibus Deum ex animo timentibus tam curiosae, impiae & prohibitae speculationis temeritas. Fieri enim potest, ut gloriosus ille extremi iudicii dies anno 1670. se ostendat, quod ut adfirmare non possum, sic nec obstinate inficiabor ac fieri quoque potest, ut propter electorum fidelium adsiduis gemitibus votisque hunc diem exspectantium calamitates & aerumnas, quibus a mundo & satan obruuntur: citius allabatur, temporibusque omnibus finem imponat, nec minus fieri potest, ut post annum 1670. anno quodam alio nobis incognito, cum minus exspectatur, derepente illucescat, & nostra opinione tardius ex insigni Dei μακροθυμια exspectantis omnium hominum conversionem adveniat.* Nicolaus Raimerus Ursus Dithmarsus, mathematicus cæsareus, superioribus annis scriptum edidit, in quo conatur demonstrare, quod ab anno Christi 1606. usque ad diem extremum supersint duntaxat anni 67. qua ratione finis mundi incideret in annum Christi 1673. nititur autem hac hypothesi, de qua dictum est superius, quod periodus mundi non sit excessura sex millenarios annorum, ac nova chronologica supputatione ostendit illa sex millia annorum usque ad modicum residuum

67 annorum esse elapsa. Heerbrandus d. l. memorat quosdam suspicari, quod annus Christi 1675. finem mundo sit adlaturus, Philippus Melanchthon in post dom. II. advent. scribit: *Ego vidi veterem Prophetiam, quod annus 1980. futurus sit mundi ultimus.* Quidam reditum Christi ad iudicium reiiciunt in annum 1668. *ob trigonum igneum*, quem mundo fatalem futurum statuunt. Andreas Osiander definivit annum 1689. libr. edit. Norinb. anno 1544. Chytræus in comm. Apoc. II. memorat, quosdam prædixisse anno 1695. futurum mundi finem. Iohannes Napier Scotus scripsit patefactionem mysteriorum apocalypseos, in qua propos. XIV. vult demonstrare, *& debere & posse sciri mundi finem* ac statuit diem iudicii inter annum 1688. secundum apocalypsin & annum 1700. iuxta Danielem esse futurum. Existimat enim in fine capitis 14. Apoc. poni numerum, qui videatur ultimi diei terminus futurus *per mille sexcenta stadia* seu cursus, quæ debeant ad annorum designationem adplicari. Sed ergo numerentur 1600. anni a tempore, quando Iohannes scripsit, puta annum Christi 97. secundum Eusebium, vel annum Christum 99. secundum Irenæum, finis computationis incidet in annum fere 1609. constitutum inter anni 1688. & anni 1700. terminum. Selneccerus in pædagog. recenset eos, qui anno Christi 1688. mundi finem exspectandum esse statuerint. Nicolaus Cusanus adsignavit annum 1700. Adamus Conzen. Iesuita, defensioni Bellarmini contra Paræum editæ adiunxit considerationem *utrum annus 1711. futurus sit mundo ultimus.* Iohan. Picus Mirandulanus in 900, conclusionibus: *Si qua est de novissimis temporibus coniectura humana, investigare possumus per secretissimam viam cabalae futuram esse consummationem seculi hinc ad annos 515. & dies 25.* Cardanus lib. II. de rer. variet. annum 1800. determinat. Quidam obscuritatibus suas prædictiones involvunt, ut eo securius mentiantur. Franciscus Hildesheimius io epist. 1586. edita refert tale cuiusdam dicterium: *Qui sciverit, quid sit denarius in arithmetica formali, & cognoverit naturam primi numeri sphaerici, sciet fundamentum seculi magni iubilaei, sciet pariter secretum 50. portarum intelligentiae & millesimae generationis & regni omnium seculorum.* Sed hi ac similes prophetastri, uti recte monet Cramerus dicto loco, nec in *conclusione*, nec in *praemissis* conveniunt, alii enim alium annum mundo fatalem fore statuunt; ac alii nituntur *occultis revelationibus*, alii *rabbinorum traditionibus*, alii *astrologorum computationibus*, alii *litteris arithmeticis*, alii *chronologicis coniecturis* & temporum epilogismis, in quibus proprio arbitrio certum aliquem terminum eligant, a quo numerandi initium faciunt. Quin & multæ impostura in eiusmodi auguriis concurunt quibus simpliciorum animis illuditur. Iohan. Trithemius in chron. memorat anno Christi 847. quamdam mulierem finxisse, quod *angelus Domini sibi adparuerit, qui novissimum diem iudicii mox instare pronunciasset*, qua ratione multos tam ex clero, quam ex populo per diœcesin Moguntinam deceperit. Tandem vero per Rabanum archiepiscopum comprehensa, confessa est, *fuisse se per consilium cuiusdam presbyteri ad hoc quaestus gratia inductam.* Vide cent. Magdeb. IX. col. 224. Martinus Crusius in Turco-Græcia memorat, monachum quemdam Græcum ante annos plusculos Hierosolymis Constantinopolin venisse, ac ante templa in magno hominum concursu, ut pecuniam col-

colligeret, dixisse, *non procul Hierosolymis lapidem cœlitus cecidisse, cui inscriptum, paucos post dies mundum interiturum*, idque literis probabat, quas se ab Alexandrino patriarcha habere aiebat, in illis promittebantur peccatorum indulgentiæ omnibus, qui eas pecunia compararent, sed paulo post prudentia patriarchæ Constantinopolitani detecta impostura, & monachus & ii, qui tales ab eo indulgentias emerant, excommunicati sunt. Qui impostura confessus, amareque flens, exire e templo, nisi a patriarcha in gremium ecclesiæ receptus, noluit, id quod factum est, cum serio iocoque reprehensus prodromus avari papæ adpellatus fuisset. Nostro seculo quidam fanaticus nomine Burghans revelationes quasdam de tempore iudicii iactitavit, sed quas ipsa temporum experientia elusit.

§. LXXX. Ad classem curiosorum ac scrupulosorum calculatorum, qui extremo iudicio certum ac determinatum diem præfigunt, accedunt etiam *pontificii*, qui utopicum suum antichristum ex tribu Dan adhuc nasciturum exspectant, quem tres annos cum dimidio in terris regnaturum, ac die post mortem eius quadragesimo quinto iudicium secuturum esse somniant, ac certo velut ex tripode pronunciant, qua ratione per tres annos integros iudicium proxime anteceſſuros definitum eiusdem tempus ab omnibus præsciri posse præsupponunt. Gregorius de Valentia tom. IV. commentar. disputat. XI. quæst. II. pag. 2273. *Dicendum, inter antichristi mortem & Christi adventum ad iudicium, adeoque mundi consummationem, brevissimum temporis intervallum futurum, nempe quadraginta quinque dierum. Quod autem non diutius, sed statim post exiguum illud temporis intervallum a morte antichristi iudicium futurum sit & mundi consummatio, patet ex Dan. VII. ubi postquam dixit de antichristo, quod sanctos Altissimi conteret, & quod tradentur in manus eius usque ad tempus & tempora & dimidium temporis, mox adiunxit: & iudicium sedebit. Item ex Iohanne Apoc. XX. qui similiter postquam dixit, oportere draconem solvi modico tempore, addit: & vidi sedes, & sederunt super illas, & iudicium datum est eis.* Blasius de Viegas in comment. Apoc. pag. 767. ex verbis Danielis XII. *a tempore, cum ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta, beatus qui exspectat, & pervenit ad dies mille trecentos triginta quinque*, sic ratiocinatur: *Antichristi persecutio durabit tribus annis cum dimidio, & praeterea decem aut duodecim diebus, sed beatus, qui mortuo antichristo, supervixerit quadraginta quinque dies, hoc est, pervenerit ad dies 1335. quare significatur quadraginta quinque dies futuros a morte antichristi usque ad diem iudicii.* Bellarminus libr. III. de Romano pontifice cap. 8. *Antichristus non regnabit nisi annos tres cum dimidio.* Cap. 9. *Die quadragesimo quinto post mortem antichristi Dominus veniet ad iudicium, & coronas iustitiae victoribus reddet.* Cap. 17. *Post antichristi mortem non futuri sunt nisi quadraginta quinque dies usque ad finem mundi.* Caspar Schioppius ab adventu antichristi usque ad iudicium præcise numerat mille trecentos triginta quinque dies. Similia occurrunt apud Pererium libr. XV. comment. in Daniel pag. 915. Iosephum a Costa libr. III. de novissimis temporibus cap. 18. pag. 563. Atqui hæc opinio 1) pugnat cum *effato Christi*, quo diem extremi iudicii a quoquam hominum præsciri posse negat, Matth. XXIV. 36. Marc. XIII. 32. Act. I. 7. cuius veri-

ritatem comprobat ipse Bellarminus sibi contradicens libr. IV. de Christo cap. 5. *Mundi finis non potest sciri.* 2) *Securitati fovendae oblique inservit.* Cum enim ex pontificiorum hypothesi antichristus nondum venerit, ideo mundus interea cum servo nequam dicere poterit: *moram facit Dominus meus venire;* Matth. XXIV. 48. Non est, quod quis regerat, *etiam apostolum praemonuisse diem Domini non esse venturum, antequam antichristus reveletur*, 2 Thess. II. 3. *nec ullam de suppeditato securitatis fomento dicam ipsi propterea scribi potuisse;* est enim ratio maxime dispar, quia tempore apostoli antichristus nondum venerat, quem hoc nostro tempore revelatum ex scriptura & experientia constat. 3) *Adversatur oraculo apostolico*, quod Dominus glorioso suo adventu antichristum e medio sit sublaturus, 2 Thess. II. 8. utique ergo non morietur 45. diebus ante Christi adventum. 4) *Confundit dies angelicos & propheticos cum vulgaribus*, Ezech. IV. 6. *diem pro anno dedi tibi.* Docet apostolus 2 Thess. II. 7. antichristum iamtum suo tempore *mysterium iniquitatis operari* coepisse. Iohannes 1 epist. IV. 3. *antichristum iam venisse* adserit, ac res ipsa ostendit, non potuisse tantam antichristi potentiam tam brevi tempore colligi, ut nihil dicamus de testimoniis martyrum, qui iamdudum in ecclesia antichristum regnasse superioribus seculis conquesti sunt, ut alibi plenius docebitur. Ex quibus omnibus colligimus, in propheticis illis de duratione regni antichristiani oraculis non vulgares intelligendos esse annos, sed angelicos & propheticos, quorum quilibet tot annos complectitur, quot alioquin dies vulgaris annus habet, nimirum 365. Summa ergo trium annorum angelicorum cum dimidio conficit annos 1260. Instituimus etiam talem vaticiniorum propheticorum collationem. Duratio regni Turcici (de eo enim non de antichristo specifice sic dicto ibi agitur) Dan. VII. definitur per *tempus, tempora & dimidium temporis.* Duratio regni antichristiani Dan. XII. itidem sic describitur, quod per *tempus, tempora & dimidium temporis* sit mansurum. Apoc. XIII. 5. bestiae datur potestas bellum faciendi adversus sanctos *menses quadraginta duos*, qui annos tres cum dimidio absolvunt Apoc. XII. 4. mulier illa, quae ecclesiam repraesentat, fugiens Draconis saevitiam cum filio suo alitur in deserto *per tempus, tempora & dimidium temporis*, quod spatium versu proxime praecedente resolvitur in dies 1260. Denique duo testes veritatis Apoc. XI. 3. obductantur antichristo dies 1260. quae omnia ad unum & eumdem collimant scopum, quod scilicet antichristi tyrannis tamdiu sit duratura. Iam vero constat, Turcicum imperium diutius quam per tres annos vulgares cum dimidio durasse, ideo etiam duratio regni antichristiani non est ad mensuram vulgarium annorum exigendum. Nec est, quod quis regerat, *antichristo adsignari tempus modicum;* Apoc. XII. 12. brevitas enim illa accipienda est non *απλως* sed *συγκριτικως*, non *absolute* sed *comparate;* breve enim erit dominium antichristi respectu *Dei*, in cuius oculis *mille anni sunt instar hesternae diei*, Psalm XC. 4. 2 Petr. III. 8. respectu *ecclesiae*, cuius regnum antichristiano longe antiquius & durabilius, respectu *decurtationis divinae*, quia dies *abbreviabuntur propter electos*, Matth. XXIV. 21. respectu *phraseos* in scripturis receptae, quae spatium aliquot seculorum vocat *horam novissimam*, quia novissimorum temporum & horae novissimae adpellatione complectitur totum illud

lud tempus, quod a primo Christi adventu usque ad secundum eius adventum ac seculi consummationem protenditur, 1 Cor. X. 11. 1 Ioh. II. 18.

§. LXXXI. Præstat igitur singulis *diebus*, imo *horis*, imo *momentis* Christi ad iudicium adventum, in vero Dei timore exspectare, quam momentum temporis, quo ad iudicium redituru sit scrupulose contra ipsius prohibitionem indagare. Quod alii tribuunt curiosæ temporis indagationi, illud rectius a nobis impenditur piæ ad hunc diem præparationi, quem in propinquo esse colligitur non modo ex *manifestis scripturae dictis*, 1 Pet. IV. 7. Iac. V. 8. 1 Ioh. II. 18. &c. sed etiam ex *signis a Christo & apostolis praedictis*, de quibus infra plenius. Servus nequam sic describitur, quod *in corde suo dicat: moram facit dominus meus venire*, Matth. XXIV. 48. Luc. XII. 45. impectarum sunt hæ voces: *ubi est promissio adventus eius?* 2 Per. III. 4. quibus Mahumetes in suo alcorano frigidam suffundit, quando azoara LXXX. adferit, *finem mundi quinquaginta millium annorum spatio adhuc abesse* (quamvis sibi contradicens azoara LVII. eumdem brevi adfuturum adferat;) sed vere pii ac Spiritum Christi habentes sic describuntur, quod *parati sint ac vigilent, cum nesciant, qua hora sit venturus ipsorum dominus*, Matth. XXIV. 42. & 44 Marc. XIII. 33. 35. & 37. quod *sint lumbi ipsorum praecincti & lucernae ardentes*, Luc. XII. 35. quod *sint similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis, ut cum venerit & pulsaverit, confestim ei aperiant*, v. 36. quod *vigilent omni tempore orantes, ut digni reddantur fugere ista omnia, quae futura sunt, & stare ante Filium hominis*, Luc. XXI. 36. quod *non dormiant sicut caeteri, sed vigilent & sobrii sint*. 1 Thess. V. 6. quod *quotidie exspectent & properent in adventum huius diei*, 2 Petr. III. 12. quod *vigilent & custodiant vestimenta sua, ne nudi ambulent, & conspiciatur nuditas ipsarum*, Apoc. XVI. 15. quod *ex Spiritu cum sponsa Christi quotidie ingemiscant: veni Domine Iesu, veni*, Apoc. XXII. 17. & 20. Hoc animæ nostræ longe salubrius ac fructuosius, quam incertis computationibus tempus pœnitentiæ & bonis operibus præstitutum inutiliter conterere. Non quidem improbamus pium eorum studium, qui vaticinia in scriptis propheticis & apostolicis proposita cum ipso eventu, optimo vaticiniorum interprete, prudenter conferunt, ac diem ultimum in propinquo esse ex illo recte colligunt. Sic Chunmannus Flinspachius Tabernæmontanus circa annum Christi 1559. librum edidit sub titulo: *coniecturae extremorum temporum;* in quo decem coniecturas recenset, quæ testentur diem novissimum proxime præ foribus esse. 1) Quia quatuor monarchiæ Dan. II. & VII. præfiguratæ præterierunt, atque in summo fastigio regni Turcici post quartæ monarchiæ labefactationem exorti vivimus. 2) Antichristus est revelatus & doctrinæ reformatio divino beneficio præcessit iuxta vaticinia 2 Thess. II. & Apoc. XIV. 3) Vivimus in sexto millenario, qui finem mundo adferet, ut ex vaticinio Enochi colligitur. 4) Sex dies creationis sex mundi ætates hoc tempore ferme exactas designant, quas æternum insequetur sabbathum. 5) Trigesimus tertius ecclesiæ iubilæus respondens 33. annis vitæ Christi in his terris actæ fere præterlapsus est. 6) Exacto seculo ηγεμονικῷ ac θυμοειδῆ iam dominatur επιθυμητικοῦ, impietas & securitas ubique invaluere. 7) Apostoli *novissimam horam* vocant tempus primo

& secundo Christi adventui interiectum, necesse igitur est, brevius illud esse, quam fuit ætas, quæ præcessit. 8) Dies ab angelo Dan. XII. *definiti*, id est, anni 2625. ab ætate Danielis fere effluxerunt. 9) Tempus ætatem Esdræ antegressum ac tempus eamdem secuturum talem dicuntur ab angelo habere proportionem, qualis est inter *ignem magnum & exiguum*, inter *pluviam magnam & exiguam*; 4 Esdr. VI. iam vero ultra mille annos ab ætate Esdræ usque ad nostra tempora præterierunt. 10) Tertia mundi ætas in dicto Eliæ præfinita Messiæ fini iam adpropinquat. Has, inquam, & similes coniecturas non omnino repudiamus, interim eas, utpote ex apocryphis libris & magnam partem ex incertis principiis deductas, apodicticas & immotas esse negamus, ac serio prohibemus, ne quis ad καθεκαστα descendat, ac annum vel diem iudicii præcise determinare adnitatur. Atque hæc dicta sint de tempore, quo iudicium novissimum inchoabitur, de *durationis tempore* in quæstionibus de forma iudicii dictum fuit superius, transitum ergo facimus ad quæstiones.

Quaeritur I) An Christus nocte media paschatos festum antecedente sit venturus.

§. LXXXII. Quæritur hoc loco: I) *quid de coniectura quorumdam statuendum, qua Christum nocte media paschatos festum antegrediente ad iudicium redituruum credunt?* Quosdam illa nacta est ex antiquitate patronos. Lactantius lib. VII. div. institut. cep. 19. in princ. *Tunc aperietur cælum medium intempesta & tenebrosa nocte, ut in orbe toto lumen descendentis Dei tanqnam fulgur adpareat, quod Sibylla his versibus locuta est:* οπποτ' αν ελθη, πυρ εσαι σκοτος εν τη μεσῃ νυκτι μελαινη, *hoc est nox, quae nobis propter adventum regis ac Dei nostri pervigilio celebratur, cuius noctis duplex ratio est, quod in ea & vitam tum recepit, rum passus est, & postea orbis terrae regnum recepturus est.* Idem in epit. divin. instit. cap. 8. circa medium: *Tunc cœlum intempesta nocte patefiet, & descendet Christus in virtute magna, & antecedet eum claritas ignea & virtus inaestimabilis angelorum.* Hieronymus in comment. Matth. XXV. in explicatione verborum: *media nocte clamor factus est: ecce sponsus venit. Dicamus aliquid, quod forsitan lectori utile est. Traditio Iudaeorum est, Christum media nocte venturum in similitudinem Ægyptii temporis, quando pascha celebratum est, & exterminator venit, & Dominus super tabernacula transiit, & sanguine agni postes nostrarum frontium consecrati sunt; unde reor, & traditionem apostolicam permansisse, ut in die vigiliarum paschae ante noctis dimidium, populos dimittere non liceat, exspectantes adventum Christi, & postquam illud tempus transierit, securitate praesumta festum cunctos agere diem, unde & psalmista dicebat: media nocte surgebam ad confitendum tibi super iudicia iustificationis tuae.* Confer Cassiodorum in Psalm CXVIII. Albertus Patavinus communi suffragio christianorum hoc receptum esse tradit. Conantur autem huic opinioni probabilitatem quamdam conciliare, I) ex *parabolis & similitudinibus Christi.* 1) De *fure irrumpente*, Matth. XXIV. 43. Luc. XII. 39. *Si sciret paterfamilias, qua vigilia fur venturus esset, vigilaret utique & non fineret perfodi domum suam, ideo & vos estote parati, quia qua non putatis hora Filius hominis venturus est.* Apoc. XVI. 15. *Ecce venio ficut fur*, quod imitatus apostolus 1 Thess. V. 2. *Scitis exacte, quod dies Domini ficut fur in nocte, ita veniet.* Iam vero fures noctu hominibus stertentibus

in

in ædes irrumpere solent alienas. 2) De *sponso ad nuptias veniente*. Matth. XXV. 6. *Media nocte factus est clamor: ecce sponsus venit.* Moris erat apud Iudæos, ut sponsus comitatus adolescentum societate accederet sponsæ suæ ædes celebraturus cum ea nuptias, actum e sponsæ domo virgines quædam sponsæ adsidentes, ipsamet domi remanente & sponsi adventum exspectante prodiret obviam sponso, deducturæ illum cum lampadibus in domum sponsæ & nuptialibus gaudiis cum ipsa perfruituræ. Hoc vero omne in magnificis nuptiis ad multam usque noctem protrahi solebat. 3) De *patrefamilias domum ex itinere redeunte*. Marc. XIII. 34. *Sicut homo, qui peregre profectus reliquit domum suam, & dedit servis suis potestatem cuiusque operis, & ianitori praecepit, ut vigilet.* v. 35. *Vigilate ergo, quia nescitis quando dominus domus veniet, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane.* 4) De *hero ex nuptiis reverteute*. Luc. XII. 36. *Estote similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertetur a nuptiis, ut cum venerit & pulsaverit, confestim aperiant ei.* v. 38. *Si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & invenerit servos vigilantes, beati erunt servi illi.* Iam vero ex nuptiis sub multam noctem convivæ domum reverti consueverunt. 5) De *duobus in lecto*, quorum unus adsumitur, alter relinquitur, Luc. XVII. 34. II) Ex *typo paschatis Iudaici*. Quemadmodum angelus Domini *nocte media* pascha Iudaicum proxime antegressa percussit omne primogenitum in Ægypto, Exod. XII. quod fuit iudicium Dei particulare adversus Ægyptios: sic verisimile adparet, Christum eodem tempore aduniversale iudicium, cuius præludium in eo præcessit, esse rediturum. III) Ex *cognatione corporis mystici*. Quemadmodum Christus, ecclesiæ caput, nocte pascha christianum immediate præcedente ex mortuis resurrexit: sic probabile videtur, eodem tempore Christum corporis sui mystici membra ex mortuis excitaturum, ac ad tribunal suum evocaturum. Cornelius Iansenius in harmon. evang. c. CXXIV. p. 856. *Creditur a quibusdam non improbabiliter, resurrectionem omnium fore in crepusculo sole existente in oriente & luna in occidente, quia in tali dispositione sol & luna creduntur esse creata, ut sic eorum circulatio compleatur penitus per reditum ad idem punctum, unde de Christo creditur, quod illa hora resurrexerit.* Sed enim 1) est haec traditio *Iudaica*, teste Hieronymo dicto loco, proinde etiam suspecta. 2) Est ἀγραφος, ac proinde certum fidei fundamentum exhibere nequit. Parabolæ & similitudines adductæ non *tempus* sed *qualitatem* glorioſi illius adventus determinant, quod videlicet futurus sit subitus & inopinatus. Christus nequaquam dicitur *venturus nocte, sicut fur*, sed dicitur *venturus, sicut fur nocte venit*, proinde προσδιορισμος εν νυκτι non ad Christi sed ad furis adventum proprie pertinet. Addi potest, *noctis* nomine etiam hoc significari, quod tempore illius ultimi adventus tristis omnium rerum facies sit futura. Ex typis argumenta apodictica elici nequeunt, nisi ipsa scriptura monstret adplicationem. Analogia capitis & membrorum in corpore Christi mystico certis includenda est limitibus, neque quidvis ex ea temere inferendum. 3) Si morose urgeatur, & velut certa obtrudatur, erit αντιγραφος, quia Christus expresse adserit, *se venturum ea hora, qua non putetur.* Et quomodo nocte media certo ac determinate adventus Christi exspectari potest, cum diserte testatus sit, *nesciri, an rediturus*

turus sit vesperi, an medio noctis, an gallicinio, an crepusculo. Marc. XIII. 35. 4) Repugnat physicis principiis, sicque est ἀντιφυσικη. Neque enim in omni terrarum climate uno eodemque tempore media nox est, sed quando sol nobis occidit, & sub nostrum horizontem descendit, tunc antipodibus oritur & in ipsorum horizonte adscendit, ex quo circulari solis motu accidit, ut quando sol a nostro zenith, sive puncto verticali, longissime distans mediam noctem efficit, tunc ad antipodum zenith, sive punctum verticale, proxime accedens mediam diem ipsis efficiat. Palæstina igitur, in qua Christus docuit, non autem vel Germaniæ vel aliarum provinciarum, in quibus christiani degunt, respectu accipiendum foret, Christum media nocte ad iudicium rediturum. At hac ratione respectu nostri non media nocte, sed interdiu vel diluculo adventus eius exspectandus esset. 5) Rabanus libr. V. de universo contrariam traditionem recenset. *Christus*, inquit, *eadem hora, qua resurrexit, ad iudicium venturus est.* Ostendimus autem in harmon. de resurrectione cap. 1. Christum non media nocte, sed diluculo ex mortuis surrexisse. Scotus lib. IV. sent. distinct. 43. quæst. 5. *Ea forte hora in comparatione ad illam regionem redibit ad iudicium, & mortui resuscitabuntur, qua ipse resurrexit; vel ea hora, qua morti adiudicatus est a Pilato, vel ea, qua exspiravit in cruce. Siquidem de hoc certum non habemus ex scripturis, & quodcunque illorum ponatur, exponendum est illud* media nocte *pro incertitudine.*

Quaeritur II) Quo anni tempore Christus rediturus?

§. LXXXIII. Quæritur II) *An praesciri possit, quo anni tempore Christus ad iudicium sit rediturus?* Quidam existimant, *tempore verno* adventum Christi esse exspectandum. 1) Quia eodem tempore mundus conditus, ut ex Exod. XII. 2. & rationibus quibusdam probabiliter colligit Ambrosius lib. I. hexaëm. cap. 4. 2) Quia etiam alia Dei opera maxima & singularia verno tempore facta, ut eversio Sodomorum, Israëlitarum ex Ægypto liberatio & transitus per mare rubrum, redemtio humani generis per passionem Christi &c. 3) Christus Luc. XXI. 29. utitur similitudine ficus gemmas protrudentis, cui signa novissimi diei comparat. Constat autem ficus veris tempore progerminare. 4) Ver novam mundi faciem nobis exhibet, herbæ emortuæ revivisount, cœli temperies fit blandior &c. verisimile igitur est etiam illo tempore ossa nostra instar graminis in resurrectione progerminatura. Esai. LXVI. 14. Sed verisimiliter hæc cogitari, certo autem & apodictice adfirmari nequeunt. Ut enim de *die & hora* adventus nemo novit: ita quoque de *anni tempore* in scripturis nihil revelatum exstat.

Quaestio III) Lutherus propterea pro pseudopropheta habendus sit, & fides doctrinae eius in universum deroganda, quod praedixerit diem novissimum esse in propinquo, qui tamen nondum advenerit?

§. LXXXIV. Quæritur III) *An Lutherus propterea pro pseudopropheta habendus sit, & fides doctrinae eius in universum deroganda, quod praedixerit diem novissimum esse in propinquo, qui tamen nondum advenerit?* In colloq. mensal. tom. I. f. 48. *In apocalypsi usque ad equum album mundus pervenit, non diu stabit mundus, non ultra centum annos.* Pontificii & cumprimis Tannerus in anat. Augusst. conf. part. I. demonstr. IV. adfirmant argumenti loco adducentes legem divinam Deut. XVIII. 22. *Quod propheta in nomine Domini praedixerit, & non evenerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confinxit,*

xit, & ideirco non timebis eum. Resp. 1) Lutherus nunquam & nuspiam certum aliquem annum vel diem adventui Christi novissimo præfinivit, sed ab hac curiositate Stifelium & alios serio dehortatus est. Neander in theol. Christ. p. 695. de ipso commemorat, quod *tum antea saepe, tum paulo ante obitum suum crebro usurpaverit hanc vocem: Ich wil den iüngsten Tag nicht erleben, aber meine Kinder sollen ihn erleben.* Verum in postill. eccles. dom. II. advent. mentem suam sic exponit: *Ich will niemand zwingen noch dringen mir zu gleuben, ich wil mirs auch wiederum niemand nehmen lassen, daß ich halte, der iüngste Tag sey nicht fern.* In comment. Genes. XI. tom. II. fol. 2. *Si conicio, Deum certo suo consilio in Abrahamo 60. annos voluisse intercidere, ne ex annorum mundi certa ratione quisquam de fine mundi certi aliquid praedicere praesumeret. Ostendit quidem signa novissimi diei, & ea exstare & conspici vult, sed hanc diem non vult sciri, imo ne quidem annum, ut pii perpetuo in exspectatione huius gravissimae lucis exercerent fidem & timorem erga Deum.* 2) Neque ex spiritu prophetico vel enthusiasticis revelationibus prædictionem de die novissimo proxime instante sese proferte iactitavit, sed ex signis extremi iudicii in verbo adnotatis. 3) Distiguenda igitur sunt omina a propheticis vaticiniis. Illa sunt duntaxat quædam præsagia, quibus non indubitato ac perpetuo respondet eventus; hæc vero, nisi conditionem aliquam adnexam habeant, semper implentur. Lutheri de die novissimo prædictiones prioris, sed non posterioris generis sunt censendæ. 4) Vaticinium de die novissimo proxime instante non pertinet ad capita religionis, quæ ex certo & immoto Dei verbo unice demonstranda esse, constanter docuit Lutherus; sed ad probabiles coniecturas, quæ ex signis antegressis petuntur, ut ad pœnitentiam & timorem Dei auditores eo magis iisdem excitentur. 5) Sicut Christus dicit, *ab breviandos esse dies propter electos*, Matth. XXIV. 22. ita Petrus adserit, *Deum μακροθυμειν, cum nolit aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti*, 2 epist III. 9. ergo si vel maxime Deus ex *μακροθυμια* diem extremi iudicii differat, ut plures convertantur & salventur, nihil tamen ex eo prædictionibus de propinquitate huius diei decedit. 6) Non omnis, qui venturas mundo pœnas denunciat, quæ postmodum non sequuntur, pseudoprophetæ loco habendus est, alias etiam Ionas foret pseudopropheta, qui Ninivitis excidium Dei iussu prædixit, confer Ierem. XVIII. 7. Luc. XIII. 3. sed is demum pseudopropheta censendus, qui ad confirmationem novi cuiusdam dogmatis extra & præter verbum excogitati vaticinium profert, cui eventus non respondet, quod a Luthero factum esse, nunquam demonstrabunt pontificii.

§. LXXXV. III) *Antecedentia* iudicii sunt signa diem novissimum antegressura. Quemadmodum enim mors hominis, qui est עולם קטן, ut eum vocat rabbinus David Kimchi in comment. Zach. II. 1. ac *μικροκοσμος*, ut eum adpellat philosophus lib. VIII. physic. text. 17. & certis quibusdam prognosticis ab Hippocrate & Galeno enumeratis prænosci potest: sic ultimam mundi panoletriam certa quædam signa præcessura esse, Christus & apostoli docuerunt. Ea vero in duas dispesci possunt classes. Quædam enim sunt *remota* ac *communia*, quædam vero *propinqua* ac *propria*. Re-

III) Antecedentia iudicii sunt signa. 1) remota.

mota ac *communia* voco, quæ tum excidii Hierosolymitani, tum consummationis seculi fuere prævia. Ea vero sunt

1) *Haeresium multiplicatio.*

1) *Haeresium multiplicatio.* Matth. XXIV. 5. *Multi venient in nomine meo dicentes: ego sum Christus, & multos seducent.* v. 11. *Multi pseudoprophetae surgent, & seducent multos.* v. 23. *Tunc si quis dixerit vobis: ecce hic est Christus, ecce illic; nolite credere.* v. 24. *Surgent enim pseudochristi & pseudoprophetae, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri posset, etiam electi.* Confer. Marc. XIII. 6. 21. & 22. Luc. XXI. 8. Quæ erant apostoli coniunctim, *quando illa sint futura*, quæ de eversione templi prædixerat, *& quodnam signum adventus eius & consummationis seculi sit futurum?* Matth. XXIV. 3. Marc. XIII. 4. Luc. XXI. 7. Existimabant enim in secundo demum Christi ad iudicium adventu destruendam esse Hierosolymam & templum, ac cum ea totum mundum, adeoque omnium rerum finem futurum, ac tum demum omnibus innovatis Messiam novum suum regnum auspicaturum. Christus igitur ad utrumque quæstionis membrum distincte respondet, ac primo quidem de Hierosolymæ vastatione concionatur, deinde vero de suo adventu, eo ipso significans, hæc non eiusdem temporis sed diversorum fore. Quamvis ergo ea, quæ in priori responsi parte a Christo proferuntur, ad tempora excidium Hierosolymæ præcedentia proprie ac principaliter pertineant, ut ex serie textus recte observavit Chrysostomus; tamen quæ de adventu pseudoprophetarum ac reliquis malis Hierosolymæ devastationem antegressuris ibidem prædicuntur, secundario & consequenter ad statum temporum, quæ iudicium extremum præcedunt, commode referri possunt. 1) Quia excidium Hierosolymæ fuit typus universalis excidii universo orbi destinati. Unde etiam ea, quæ de temporibus Hierosolymæ excidium antegressuris hic a Christo dicuntur, in aliis scripturæ locis ad tempora finem mundi anteceſſura accommodantur. Confer Dan. XII. 1. *erit tempus tribulationis, quale non fuit &c.* cum Matth. XXIV. 21. & 2 Petr. III. 9. cum Matth. XXIV. 22. Quemadmodum igitur referente Gamaliele, Act. V. 36. & 37. Iosepho, lib. II. de bell. Iudaico cap. 7. 12. & 17. lib. V. cap. 7. lib. XVII. antiquit. cap. 1. & 2. lib. XX. c. 4. 11. & 14. Eusebio lib. IV. hist. cap. 6. Galatino lib. IV. de arcanis cap. 21. Weidnero in præfat. tradit. de præcipuis fidei artic. Christ. Gersone in talm. cap. 9. &c. ante Hierosolymæ παυολεθριαν plurimi pseudoprophetæ surrexerunt, & veluti continuata quadam serie sibi succesſerunt - Theudas, Iudas Gallilæus, pseudopropheta Ægyptius, Ben Chuziba & alii, qui se *populi liberatores ac Salvatores* fore polliciti sunt, ac vaticinium Christi Ioh. V. 42. editum affatim impleverunt: sic ante seculi finem copiosa erit pseudoprophetarum seductoribus αιτιολογικως subiungitur: *Nolite illis credere. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & adparet usque in occidentem, ita & erit adventus Filii hominis*, Matth. XXIV. 27. quæ verba quamvis de spirituali Christi adventu per prædicationem evangelii ac instaurationem doctrinæ cœlestis non immerito accipiantur, tamen ad ultimum etiam Christi adventum adcommodari posse, evidenter colligitur ex v. 28. Luc. XVII. 24. diserte additur: *sic erit adventus Filii hominis in die sua.* Iam vero dies novissimus peculiariter dicitur *dies Christi.* 3) Multi inter-

terpretes haud improbabiliter consent in v. 23. *Tunc si quis dixerit vobis &c.* Christum non amplius de signis excidium Hierosolymitanum antegressuris, sed de futuro ante diem extremum statu proprie & principaliter agere cum prophetia ex Daniele citata v. 15. & subiecta Christi sententia transitum quemdam ad novissima tempora contineat, cumque immediate subiungat Dominus v. 29. εὐθεως *statim post tribulationem dierum illarum sol obscurabitur*, ut sic remotis extremi iudicii signis proxima subiungantur, ac miseria illa spiritualis, quae futura erat invalescentibus erroribus antichristi, his verbis praedici innuatur. Hieronymus in comment. Matth. XXV. *Tunc secundum quosdam denotat tempus devastati nis Hierosolymae, nam multi tempore captivitatis Iudaicae principes exstitere, qui Christos se esse dicerent, sed melius de consummatione seculi intelligitur.* 4) Quia de copia pseudoctorum mundi finem antegressura similia exstant in scripturis vaticinia. Dan. 11. 38. *Faciet rex iuxta voluntatem suam, Deum patrum suorum non reputabit, Deum autem Mausim ipsius loco venerabitur &c.* hoc Paulus 2. Thess. II. sic exponit: *Antichristus, qui adversatur & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, in templo Dei sedebit, ostendens se, quod sit Deus,* Luc. XVIII. 8. *Filius hominis veniens, num putas inveniet fidem in terra?* Quidam accipiunt de *candore & fidelitate*, sed series textus ostendit rectius accipi de *fide salvifica*, quae est precum anima. Postquam enim ad constantiam ac προσκαρτερησιν in precibus Christus exemplo viduae nos fuerat exhortatus, subiungit querelam de paucitate vere credentium circa mundi finem, cuius causa non potest dari alia, quam varietas & multitudo corruptelarum ac haeresium diluvii instar in ecclesiam inundantium. 2. Thess. II. 10) *Quia caritatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent*, v. 11. *mittet illis Deus efficaciam errorum.* 1 Tim. IV. 1. *Spiritus manifeste dicit, quod in novissimis temporibus descendent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis, daemoniorum &c.* 2 Tim. IV. 3. *Erit tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt sed iuxta desideria sua coacervabunt sibi doctores prurientes auribus* 1. Ioh. II. 18. *Novissima hora est, & sicut audivistis quod Antichristus venit, nunc Antichristi multi facti sunt, inde scimus, quia novissima hora est.* 2 Petr. II. 1. *Erunt magistri mendaces, qui introducent haereses perditionis;* v. 2. *& multi sequenter eorum luxurias*, ubi notandum conferri ab apostolo tempora excidium Hierosolymae antegressa cum temporibus finem seculi praecessuris. *Fuerunt* (inquit) *& pseudoprophetae in populo,* (Iudaico) *sicut & in vobis erunt* ψευδοδιδασκαλοι. Apoc. XIII. 8. *Adoraverunt bestiam omnes, qui inhabitabant terram.* v. 14. *Seducit habitantes in terra propter signa, quae data sunt illi facere.* XIV. 8. *Babylon vino fornicationis suae potavit omnes gentes.* XVI. 13. *De ore draconis & de ore bestiae & de ore pseudoprophetae procedunt spiritus immundi;* v. 15. subiungitur vaticinium de ultimo Christi adventu. XVII. 2. *Cum meretrice magna fornicati sunt reges terrae.* v. 15. *Aquae, quas vidisti, ubi meretrix sedet, populi sunt & gentes & linguae.* XVIII. 3. *De vino fornicationis eius biberunt omnes gentes, & reges terrae cum illa fornicati sunt* XIX. 2. *Meretrix illa magna corrupit terram in praestitutione sua.* Haec omnia praenunciant quamdam universalem pene seductionem ab antichristo & haereticis ante diem novissimum metuendam. 5) Idem demonstrat novissimorum temporum conditio. Praedictum

est

est a Christo & apostolis, circa finem mundi supinam quamdam & *pene universalem securitatem atque impietatem* invalituram, ut postea demonstrabimus. At qui hanc securitatem & impietatem Deus ea ratione punire consuevit, ut corruptelis & hæresibus liberum grassandi spatium relinquat, Matth. XIII. 25. 2. Thess. II. 11. &c. Circa vesperam lux solaris obscurior redditur, sic circa mundi vesperam lux doctrinæ cœlestis obscurabitur Augustinus tract. XXV. in Iohan. *Quoniam accedit finis mundi, crescunt errores, crescit iniquitas & infidelitas.* Gerson. in lib. contra sect. se flagell. *Mundus senescens patitur phantasias variorum errorum ac falsorum miraculorum, non secus ac senex variis deluditur somniis.*

LXXXVI. 2) *Totius orbis per bella, seditiones, pestilentias & terrae motus conturbatio.* Matth. XXIV. 6. *Audituri estis bella & rumores bellorum. videte ne turbemini, oportet enim haec fieri, sed nondum est finis.* v. 7. *Consurget enim gens adversus gentem & regnum adversus regnum, & erunt pestilentiae & fames & terrae motus per loca.* v. 8. *Haec autem omnia initia sunt dolorum.* Cpnfer Marc. XIII. 7. & 8. Luc. XXI. 9. 10. & 11. Proprie, principaliter & κατα ρητον itidem hoc loco Christus agit de temporibus ante Hierosolymitanum excidium, ac prædicit mala Iudæis ante vastationem eventura, cuius prophetiæ complementum Iosephus libr. II. de bell. Iud. cap. 11. & seqq. lib. XX. antiquit. cap. 6. & Eusebius lib. III. histor. cap. 8. late describunt; interim ad statum novissimorum temporum hoc ipsum referri posse, iisdem argumentis, quibus in priore signo usi sumus, demonstrari potest. Si quis enim recte attendat, Christus in prædictione huius signi ita loquitur, ut ad tempora extremum iudicium antegressura digitum intendat. Neque enim *specialiter* duntaxat ac *determinate* de iudaico populo loquitur, quod sit in varias sectas & factiones dividendus, sed *generaliter & absolute* pronunciat: *consurgens adversus gentem & regnum contra regnum;* id quod de angustis Palæstinæ limitibus non satis commode accipi potest, quippe in quibus nec plures gentes nec plura regna locum habuere. Constat quidem ante Hierosolymitanum excidium Cæsareæ, Scythopoli, Ptolemaidi, Alexandriæ, Damasci, adeoque in tota Syria & vicinis regnis varias seditiones, tumultus & bella exstitisse, sed generalis Christi locutio a typo ad antitypum nos revocare videtur. Eodem sensu accipi potest, quod apud Lucam XXI. 11. additur *terrores & signa magna a cœlo erunt.* Notum est ex Iosepho lib. VII. de bell. Iud. cap. 12. & Eusebio lib. III. cap. 8. Cometam & alia signa in cœlo ante Hierosolymæ devastationem adparuisse; sed cum apud Lucam in eodem cap. v. 25. inter propria diei novissimi signa referantur *prodigia in sole, luna & stellis*, ideo hæc ipsa collatio ostendit, signa Hierosolymæ excidium antegressa tanquam typum signorum diem novissimum præcedentium considerari non immerito posse.

2) *Totius orbis conturbatio.*

§. LXXXVII. III) *Horribilis piorum persecutio.* Matth. XXIV. 9. *Tradent vos in tribulationem, & occident vos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.* v. 10. *Et tunc scandalizabuntur multi, & invicem tradent, & odio habebunt invicem.* Marc. XIII. 9. *Videte vosipsos, tradent e-*

3) *Horribilis piorum persecutio*

enim vos in concilia, & in synagogis, vapulabitis, & coram praesidibus ac regibus statuemini propter me in testimonium illis. v. 12. *Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & consurgent filii adversus parentes, & morte eos adficient.* v. 13. *Et eritis odio omnibus propter nomen meum.* Confer Luc. XXI. 12. 13. 16. & 17. Christus postquam prædixerat mala Iudæis in genere ante vastationem obventura, iam in specie adloquitur apostolos, ac piis prædicit persecutiones & adversa ab ipsis Iudæis metuenda; sperabant illi regnum, divitias, honores & gloriam in mundano quodam regno, sed Christus eorum loco prædicit ipsis persecutionem, crucem, ignominiam, scandala ob multorum a fide deficientium apostasiam oborta & omnis generis pericula. Proprie igitur & principaliter ad apostolos a Iudæis & gentibus varias persecutiones ante & post Hierosolymæ excidium passos hæc verba Christi pertinent; interim recte adcommodari possunt ad statum ecclesiæ, qualis est in hoc mundo omnibus fere temporibus, maxime vero novissimis, finem mundi antegressuris. De antichristi enim *occidentalis* ante novissimum diem longe lateque dominaturi tyrannide prædictum Dan. XI. 44. *Veniet cum indignatione magna, ut deleat & interficiat plurimos.* Apoc. XI. 7. *Bestia, quae adscendit de abysso, faciet adversus prophetas bellum, & vincet eos, & occidet eos.* XII. 4. & 13. *Draco persecutus est mulierem*, quæ ecclesiæ typum gerit. XIII. 7. *Datum est bestiae bellum facere cum sanctis, & vincere eos.* XVII. 6. *Vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum & de sanguine martyrum Iesu.* XVIII. 24. *Sanguis prophetarum & sanctorum inventus est in civitate illa magna.* XIX. 2. *Vindicavit Deus sanguinem servorum suorum de manibus eius* (meretricis illius magnæ.) XX. 4. *Vidi animas decollatorum propter testimonium Iesu & propter verbum Dei.* De *orientalis* antichristi tyrannide & persecutione sub nomine *Gog* & *Magog* vaticinatur propheta Ezechiel cap. XXXVIII. & XXXIX. Nimirum diabolus est *mendax & homicida*, Ioh. VIII. 44. ideo etiam circa finem mundi *parum temporis adhuc superesse* sciens Apoc. XII. 12. multiplicabit & hæreses & persecutiones, ut quos blanditiis hæresium inescare nequeat, eos terrore persecutionum frangat. Augustinus in enarrat. Psalm IX. *Prima persecutio ecclesiae violenta fuit, cum proscriptionibus, tormentis, caedibus christiani ad sacrificium cogerentur. Altera persecutio fraudulenta est, quae nunc per haereticos & falsos fratres agitur. Tertia supereſt per antichristum ventura, qua nihil perniciosius, quoniam & violenta & fraudulenta erit, vim habebit in imperio, dolum in miraculis.*

§. LXXXVIII.

Supinae securitatis & proiectae impietatis inundatio, atque extrema morum conscleratio. Matth. XXIV. 12. *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum.* Quidam specialiter accipiunt de caritate, quæ in Deum fertur, ut significetur, plerosque propter invalescentem pseudoprophetarum & persecutorum iniquitatem defecturos a caritate Dei, quem per fidem diligere cœperant; additur enim: *qui autem perseveraverit usque ad finem, salvus erit.* Sed potest in genere accipi de caritate Dei & proximi, quæ *refrigescet*, hoc est, exstinguetur vel certe diminuetur, quia caritas est ignis spiritualis divinitus in corde accensus, quando illius calor refrigescit, tunc caritas exstinguitur, contra vero ἀνομία eidem opposita, id est, omnis

4) *Supinae securitatis inundatio.*

omnis generis delicta ubique invalescent. Et sane in Iudæis, de quibus peculiariter & principaliter Christus hic loquitur, abunde illud fuit completum, quia de Hierosolyma Egesippus & Eusebius testantur, quod ante devastationem fuerit *sentina omnium flagitiorum.* Ut autem superiora vaticinii membra ad statum novissimorum temporum secundario & consequenter adcommodari possunt, ita quoque de hoc ipso oraculo statuendum. Duo igitur novissimis temporibus eventura prædicit Salvator, quæ invicem eo modo connexa sunt, ut posterius ex priore sequatur. Prius spectat *malorum operum incrementum*, quia per ἀνομιαν, quæ prædicitur, multiplicanda ac dilatanda omnis generis atrocia delicta contra primam & secundam decalogi tabulam commissa, intelliguntur, 1 Ioh. III. 4. Posterius concernit *bonorum operum & omnis pietatis decrementum*, quia caritas, cui frigus obventurum prædicitur, est legis impletio, Matth. XXII 40. Rom. XIII. 8. 1 Tim. I. 5. caritatis ergo frigus est pietatis & bonorum operum diminutio. Similia vaticinia de impietate & securitate consummationem seculi antegressura in aliis Christi & apostolorum concionibus occurrunt. 1) Matth. XXIV. 37. *Sicut erat in diebus Noae, ita & erit adventus Filii hominis.* v. 38. *Sicut enim erant in diebus ante diluvium, comedentes & bibentes, nubentes & nuptum dantes ad eum usque diem, quo ingressus est Noa in arcam*, v. 39. *& non cognoverunt, donec venit diluvium, & tulit omnes: ita & erit adventus Filii hominis.* Confer Luc. XVII. 26. & 27. Nimirum sicut Deus flagrantes libidinis flammas diluvii aquis exstinxit, sic refrigescentem & pene exstinctam circa finem mundi caritatem igne cœlesti succendet, 2 Petr. III. 10. 2) Luc. XVII. 28. *Sicut erat in diebus Loth, edebant & bibebant, emebant & vendebant, plantabant & aedificabant.* v. 29. *Qua die autem exiit Loth e Sodomis, pluit ignem & sulphur de cœlo, & perdidit omnes.* v. 30. *Secundum haec erit, qua die Filius hominis revelabitur.* In Græco verba ηθιον, επινον, εγαμων, εξεγαμιζοντο, ηγοραζον, επωλων, εφυτευον, ωκ δομων, ασυνδετως posita sunt, ut supinam hominum ante diluvianorum & Sodomitarum securitatem pressius arguant. 3) Luc. XVIII. 8. *Veruntamen Filius hominis veniens num putas inveniet fidem in terra?* Loquitur Salvator, ut superius monuimus, de vera & salvifica fide, quæ oblata in verbo evangelii beneficia fiducialiter amplexa per seriam orationem, sinceram caritatem, & omnis generis bona opera sese exserit, Gal. V. 6. Iac. II. 18. eius circa finem mundi ante ultimum suum adventum magnam in terris prædicit fore penuriam; ac proinde etiam pietatis studium diminutum iri, quia deficiente fonte rivuli solent exsiccari. 4) 2 Thess. II. 7. apostolus antichristo per adparitionem adventus Christi destruendo tribuit, quod *operetur mysterium* της ανομιας, ac v. 8. ipsum vocat ανομον, non doctrinæ tantum, sed etiam vitæ respectu, tum quia ipse prorsus exlex esse volet, Dan. XI. 36. omnis ανομιας & αταξιας in mundo auctor erit. 5) 2 Tim. III. 1. homines circa finem mundi in terris victuri graphicis coloribus depinguntur: *scito, quod in novissimis temporibus insistent tempora periculosa.* v. 2. *Erunt enim homines* φιλαυτοι, φιλαργυροι, *proprii honoris & divitiarum cupidi, iactabundi, superbi, blasphemi, parentibus inobedientes, ingrati, scelesti*, v. 3. ασοργοι, ασπονδοι, *calumniatores, incontinentes, immites*, αφιλαγαθοι, v. 4. *proditores, protervi, inflati*, φιληδονοι μαλ-

μαλλον, η φιλοθεοι, v. 5. *habentes formam aliquam pietatis, sed virtutem eius abnegantes.* Dicti huius apostolici explicationem vide disp. a de studio pietatis §. 6. 6) Petrus 2 epist. III. 3. homines extremis mundi temporibus victuros sic describit: *venient in novissimis diebus empaectae iuxta proprias concupiscentias ambulantes*, v. 4. *ac dicentes, ubi nunc promissio adventus eius?* 7) Et quid crebræ illæ Christi & apostolorum exhortationes ad vigilantiam aliud innuunt, quam quod supinus quidam carnalis securitatis carus ac lethargus totum pene mundum ante finale eius excidium sit oppressurus, quod ipsum clarissime ex sequentibus etiam vaticiniis colligitur. Matth. XXIV. 44. *Qua hora non putatis, Filius hominis venturus est.* XXV. 5. *Moram faciente sponso dormitaverunt omnes, & dormierunt.* Marc. XIII. 33. *Nescitis, quando tempus sit.* Luc. XXI. 35. *Tanquam laqueus superveniet dies illa in omnes, qui sedent super faciem omnis terrae.* 1 Thess. V. 3. *Cum dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, & non effugient.* 8) Idipsum repetunt scriptores ecclesiastici. Lactantius lib. VII. institut. cap. 15. pag. 419. *Ita iustitia rarescet, ita impietas & avaritia invalescet, ita cupiditas & libido crebrescent, ut, si qui tum forte fuerint boni, praedae sint sceleratis, ac divexentur undique ab iniustis, soli autem mali opulenti sint, boni vero in omnibus contumeliis atque in egestate iactentur. Confundetur omne ius, & leges interibunt. Nihil quidquam tunc habebit, nisi aut quaesitum aut defensum manu, audacia & vis omnia possidebunt. Non fides in hominibus, non pax, non humanitas, non pudor, non veritas erit, atque ita neque requies a malis ulla.* in epit. div. institut. cap. 11. *Cum cœperit mundi finis ultimus adpropinquare, malitia invalescet, omnia vitiorum & fraudum genera crebescent, iustitia interibit, fides, pax, misericordia, veritas non erit.* Auctor imperf. operis in Matth. hom. I. *Cum sanctus perit de terra, perire debebit & mundus, quia sancti homines medulla sunt mundi. Sicut enim arbor paulatim marcescendo siccatur, cum in illa medulla deficit, aut sana non est, sic & mundus praesens casurus est, cum sancti homines in illo deficere cœperint.* Chrysostomus hom. XXXIII. in Joh. IV. *Non longe a fine absumus, sed iam mundus properat &c. hoc exstincta caritas significat.* Theophylactus in comment. Matth. XXIV. *Quia multiplicabitur iniquitas per impostoras antichristi, exasperabuntur & efferri erunt homines, ita ut nec cum familiarissimis ullum servent caritatis vinculum, sed mutuo sese tradant.* (*) Vincentius Ferrarius de Valentia in opusc. de fine mundi statuam Danielis cap. 2. ad statum ecclesiæ accommodat. *Caput statuae*, inquit, *quod erat auri puri, significat principium ecclesiae, id est, tempus apostolorum & martyrum, quoniam tunc ecclesia erat de auro puro, id est, quod christianitas erat in perfecta vita spirituali & in ardore devotionis & supernae caritatis. Nam sicut aurum excellit omnia metalla, sic vita spiritualis perfecta omnes vitas &c. Istud tempus durat quadringentos annos, & postea descendit christianitas de auro ad argentum, quod minus valet. Tunc enim surrexerunt Ariani & alii haeretici in ecclesia, qui loquebantur errores & falsas opiniones circa fidem, ita quod per eos fere totus mundus fuit corruptus huiusmodi erroribus &c.*

(*) Wernerus in *fasciculo temporum*, secundum millenarium Christi vocat tempus effœminatum, in quo fides christiana

 Il-

cœpit deficere & declinare a pristina virilitate. GERHARDUS.

Illud tempus duravit ultra quingentos annos. Et post illud tempus statua, id est, ecclesia descendit de argento ad ventrem & femora, quae sunt aerea, & minus valent. Nam ut aes volvitur & revolvitur ad quamcunque partem, & male sonat: sic tunc christianitas volvebatur modo a parte dextra contra fidem per falsos errores, modo a parte sinistra, contra virtutes per turpissimos mores, & turpe sonuerat, quia verbum Dei non praedicabatur, & tunc erat Mahumetus, qui corrupit totam Barbariam &c. Hodie vero statua, id est, ecclesia descendit de aere ad tibias ferreas. Et istud est tempus, in quo sumus modo. Nam ut ferrum est durum, asperum, implicabile & rigidum per se, & non potest mutari nisi per ignem & malleorum percussionem: sic est ad praesens christianitas. Nemo enim est; qui se emendare velit de vita sua mala, nec per praedicationes, nec per exempla, nec per miracula, nec per prodigia, nec per tormenta &c. Itaque implicabiles sunt nunc christiani, quod non videntur homines, sed daemones insani. Etenim sunt asperi sibi invicem sine ulla pietate & benignitate, crudeles sine misericordia, usurarii & avari sine ulla largitate, duri sine ulla devotione, amatores huius seculi sine ullo Dei timore, & sic sunt asperiores & implicabiliores & duriores ferro christiani isthoc tempore. Lutherus in exposit. Psalm. CI. tom. VI. Ienens. German. fol. 156. *Es ist eine alte Weissagung unter den Bildern vom Endechrist, die sagt, daß am Ende der Welt, wenn des Endechrists Triegerey entdecket seyn wird, werden die Leute wild und rohe werden, von allem Glauben fallen und sagen, es sey kein Gott mehr, und also leben in allem Muthwillen nach eigenen Lüsten, solche alte Bilder bewegen mich warlich sehr, und treffen zumal gleich zu &c.* Post obitum b. Lutheri in bibliotheca ipsius ab illis, qui ad inquirendam eam ab electore Saxoniae missi fuerant, inventum est tale vaticinium propria Lutheri exaratum: *adest tempus olim praedictum, quod post revelatum antichristum essent homines futuri, qui sine Deo viverent, unusquisque secundum suas concupiscentias & illusiones. Nam papa quidem fuit supra Deum, nunc sine Deo omnes agere volunt. Et cum nostri a legibus papae liberi sint, volunt etiam a lege Dei liberi esse, nihil nisi politica sequi. Sed dum non fingimus, illos abesse longius, de quibus talia praedicta sint, nos ipsi sumus, qui talia facimus. Sicut Iudaei finxerunt & fingunt, longe alios esse, qui Christum suum promissum repudient.* Refert Wolfius cent. XVI. memorabilium pag. 78. Iohan. Wilhelmus Stuckius in lib. antiquit. conviv. *Mundi immundissimi & ad occasum interitumque suum adpropinquantis decrepita atque delira senectus talis est, ut videamus avaritiae, ambitioni, crapulae & ebrietati, etiam cultui divino consecratos addictos ac mancipatos esse, ac licet in fide & religione semper fere dissentiant, conspicimus tamen in Cereris, Bacchi & Pluti cultu concordissimos esse.* Causam illius universalis quasi securitatis & extremae impietatis circa mundi finem invalescentis in disp. I. de studio pietatis §. 8. exposuimus quadruplicem, quarum duae priores sunt remotae, duae posteriores propinquae. Prima est *iusta divini iudicii executio*, 2 Thess. II. 12. Altera est *satanae rabies & seductio*, Apoc. XII. 12. Tertia *mundi senescentis conditio & extrema humanae naturae corruptio*, 1 Cor. X. 11. Quarta *variorum haeresium & corruptelarum introductio.*

§. LXXXIX. 5) *Universalis per totum terrarum orbem evangelii praedicatio.* Matth. XXIV. 14. *Et praedicabitur hoc evangelium re-*

1) *Universalis per totum orbem evangelii praedicatio.*

gn

gni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio. Marc. XIII. 10. *In omnes gentes oportet primum praedicari evangelium.* Postquam mala plurima & gravissima Hierosolymæ eversionem antecessura Christus enumerasset, subiungit hoc bonum eamdem præcessurum, videlicet quod evangelium *universo orbi*, id est, per *synechdochen* scripturæ usitatam maximæ orbis parti, omnibus gentibus cognitis & in circuitu Ierusalem quaqua versum habitantibus sit prædicandum, Act. I. 8. ac proinde quod Deus novum sibi populum ex omnibus gentibus per evangelii prædicationem collecturus sit, antequam veterem, Iudaicum puta, in ultimo illo excidio abdicasset, quod ipsum etiam ad maiorem fidei christianæ confirmationem faciebat, quia propter repudiatum Messiam & eius evangelium tantæ cladi gentem Iudaicam subiici ab apostolis docebatur. Quod autem de excidio Hierosolymitano dictum, antegressuram illud esse universalem evangelii in omnes gentes prædicationem, illud etiam ad consummationem seculi adcommodari potest, eam ipsam quoque præcessuram esse quamdam doctrinæ cœlestis repurgationem ac generalem quamdam per lucem evangelii ex antichristianis tenebris erumpentis, & incredibili celeritate totum mundum collustrantis visitationem. Id enim colligitur 1) ex *vaticiniis propheticis*, Dan. XI. 44. *turbabit antichristum fama ab oriente*, id est, sincera evangelii prædicatio, quæ Christum *iustitiae solem*, Malach. IV. 2. *ex alto orientem*, Luc. I. 78. mundo illucescere faciet, & *ab aquilone*, id est, illi, qui sub regis aquilonis antichristi potestate fuerunt, evangelii doctrinam spargent. Quidam literaliter accipiunt de *ecclesiis orientalibus*, quæ tyrannidi papali semper contradixerunt, & de luce evangelicæ doctrinæ ex locis septentrionalibus postremo mundi tempore emicante, sed res eodem redit. Confer Gesnerum in comment. Dan. XII. Zach. XIV. 6. *Et erit in die illa, non erit lux, sed frigus & gelu, neque dies, neque nox, & in tempore vespertino erit lux.* Sub regno papali non erat lux veræ cognitionis Christi, obscurata erat doctrina evangelii, deerat viva & solida consolatio, caritas in cordibus refrixerat, regnabat confusio philosophiæ cum theologia, ut vere nec dies nec nox adpareret, donec per Dei gratiam sub vespera mundi lux doctrinæ evangelicæ iterum est exorta. Confer Balduinum in comment. Zach. XIV. 2) Ex *verbis Christi* Matth. XXIV. 27. Luc. XVII. 24. *Sicut fulgur exit ab oriente, & adparet usque in occidentem, sic erit etiam adventus Filii hominis.* Quamvis enim hoc vaticinium ad ultimum Christi adventum, qui & lucidus, id est, gloriosus & inopinatus ac subitus erit, adcommodari possit, tamen haud immerito etiam de spirituali Christi adventu per evangelii prædicationem accipi potest, quia apud evangelistas præcedit: *Si dixerint vobis, ecce in deserto est, nolite credere, dicent vobis, ecce hic aut ecce illic, nolite ire, nec sectemini. Nam sicut fulgur exit &c.* id est, non credite falsis prophetis, regnum meum certo loco adligantibus, quia regnum meum non est corporale aut mundanum, nec certo loco inclusum, sed sicut fulgur coruscans ab una regione, quæ sub cœlo est, in alteram collustrat omnia, quæ sub cœlo sunt, sic regnum meum spirituale per totum terrarum orbem dilatabitur per evangelii prædicationem, quod est vera lux omnes errorem tenebras dispellens. Promittitur igitur instauratio doctrinæ cœlestis incredibili

celeritate ante mundi finem prædicatione verbi perficienda. 3) Ex *oraculo apostoli* 2 Thess. II. §. *Tunc revelabitur ille ανομος, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet eum illustratione adventus sui*, id est, Christus armis spiritualibus, gladio scilicet verbi, antichristum interficiet, Esa. XI. 4. excitabit viros pios & doctos, qui corruptelas doctrinæ per ipsum introductas ex verbo Dei pure prædicato refellant, tandem vero in die novissimo eum penitus destruet. 4) Idem colligi potest ex ipsis huius oraculi verbis: *praedicabitur evangelium regni, donec veniat το τελος*, ubi absolute de consummatione Christus loquitur, nec addit in specie ac determinate huius vel illius; innuit ergo, ante ultimam totius mundi consummationem eamdem evangelii prædicationem in omnes gentes exspectandam. Confer Hilarium can. in Matth. XXV. Cyrillum catech. XV. & Theodorum 2 Thess. II.

§. XC. Pontificii inter cætera epicheremata, quibus antichristum nondum venisse probare satagunt, etiam hoc proferunt, quod *signum illud novissimi diei a Christo praedictum nondum sit impletum, cum evangelium nondum sit in toto orbe praedicatum.* Bellarminus lib III. de pont. Rom. c. 4. *Prima demonstratio, quod antichristus nondum venerit, sumitur ex eo, quod scripturae testentur, in toto mundo praedicatum iri evangelium, antequam veniat ultima persecutio, quae excitabitur ab antichristo. Iam vero etiam nostro tempore non esse praedicatum evangelium in toto mundo docet experientia. Inventae enim sunt in oriente & occidente regiones vastissimae, in quibus nulla exstat memoria evangelii.* Resp. 1) Opponimus Bellarmino Iansenium, episcopum Gandav. Salmeronem & Barradium, Iesuitas. Iansenius in concord. ev. c. 122. p. 834. in h. l. sic commentatur: *plerique existimant, Dominum hic locutum de malis consummationem seculi praecessuris. Sed Chrysostomus refert ad tempora apostolorum & consummationem Hierosolymae propter connexionem cum praecedentibus & quia in sequentibus Dominus subiungit:* cum ergo videritis abominationem desolationis; *per quam desolatio Hierosolymitana intelligenda &c. Ante vastationem Hierosolymae evangelium in toto orbe praedicatum esse, probat Chrysostomus ex Paulo* Rom. X. 18. Col. I. 6. *Erit igitur synecdoche scripturae usitata, omnibus gentibus, id est, bonae parti gentium &c. Marcus habet:* & in omnes gentes oportet primum prædicari evangelium; *ubi dictio primum non potest commode referri nisi ad consummationem Hierosolymae; siquidem Marcus non commemorat, apostolos quaesivisse de consummatione seculi, sed tantum quando futura essent, quae Dominus praedixit de templo & Hierusalem, & quod esset signum, quando illa essent consummanda.* Barradius tom. III. conc. ev. lib. IX. cap. 2. p. 558. *Haec quoque verba:* prædicabitur evangelium in universo orbe; *pertinent ad tempus praecedens excidium Hierosolymorum. Praedixerat Dominus gravem in discipulos persecutionem, ea vero non obstante nunc docet, evangelium toto orbe ab illis praedicandum, post praedicationem autem evangelii consummationem, id est, finem fore & eversionem Solymorum, quae est sententia Chrysostomi, Theophylacti, Euthymii & Hilarii.* Hæc Iansenius & Barradius, quibus similia occurrunt apud Salmeronium, cum quibus Bellarminus prius transigat. 2) *Proprie & principaliter* Christus de tempore excidium Hierosolymitanum antegressuro loquitur, quo iamdum ad omnes gentes evangelii prædicatio per apostolos

los propagata erat. Matth. XXVIII. 19. *Docete omnes gentes.* Marc. XVI. 15. *Praedicate evangelium omni creaturae;* cui mandato ipsos obsequentes fuisse adparet ex Rom. X. 18. *Numquid non audiverunt? imo in omnem terram exivit sonus eorum.* Col. I. 6. *Verbum evangelii pervenit ad vos, sicut & in universo mundo est & fructificat, sicut in vobis.* v. 23. *Evangelium, quod audivistis, praedicatum est in universa creatura, quae sub cœlo est.* Paulus Rom. XV. 19. de se solo testatur, quod *ab Ierusalem & circumiacentibus regionibus usque ad Illyricum omnia evangelio impleverit;* ac v. 24. *etiam in Hispaniam excurrere* gestit. Quod *si unus tanta orbis parte praedicavit*, ait Chrysostomus d. l. *cogita quid a reliquis apostolis factum fuerit.* Iustinus in dial. cum Tryphone p. 270. *Ne unum quidem est genus mortalium, sive barbarorum sive graecorum, sive etiam aliorum omnium, quocunque adpellentur nomine, vel Hamaxobiorum vel Nomadum domo carentium vel in tentoriis viventium & pecoribus vitam tolerantium, inter quos per nomen crucifixi Iesu supplicationes & gratiarum actiones Patri fabricatori rerum omnium non fiant.* Irenæus lib. II. adv. hær. c. 2. p. 35. *Ecclesia per universum orbem usque ad fines terrae seminata & ab apostolis & a discipulis eorum accepit eam fidem &c.* Cap. 3. pag. 37. *Hanc fidem ecclesia & quidem in universum mundum disseminata diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans &c. Neque hae, quae in Germania fundatae sunt, ecclesiae aliter credunt, neque hae, quae in Hiberis sunt, neque hae, quae in oriente, neque hae, quae in Ægypto, neque hae, quae in Lybia, neque hae quae in medio mundi sunt constitutae &c.* Tertullianus lib. adv. Iudæos c. 7. p. 96. *In quem alium universae gentes crediderunt nisi in Christum? cui enim & aliae gentes crediderunt? Parthi, Medi, Elamitae, & qui inhabitant Mesopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam & incolentes Pontum & Asiam & Pamphyliam, immorantes Ægyptum, & regionem Africae, quae est trans Cyrenem inhabitantes, Romani & incolae, tunc & in Hierusalem Iudaei & caeterae gentes, ut iam Getulorum varietates & Maurorum multi fines Hispaniarum omnes termini & Galliarum diversae nationes & Brittanorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita & Sarmatarum & Dacorum & Germanorum & Scytharum & abditarum multarum gentium & provinciarum & insularum multarum nobis ignotarum, & quae enumerare minus possumus? in quibus omnibus locis Christi nomen, qui iam venit, regnat.* Ambrosius in comm. Rom. X. *Ubique audita est & in omnem locum pervenit praedicatio nominis Christi. Ubi enim praedicantis hominis praesentia defuit, sonus tamen & fama pervenit.* Hieronymus in c. 24. Matth. *Non puto aliquam remansisse gentem, quae Christi nomen ignoret. Et quamquam non habuerit praedicatorem, tamen ex vicinis nationibus opinionem fidei non potest ignorare.* Similia habet Chrysostomus hom. LXXVI. in Mat. hom. XVIII. ad Rom. & hom. IV. ad Col. 3) Consequenter & secundario ad statum novissimorum temporum vaticinium Christi referri potest. Iam vero constat, lucem doctrinæ evangelicæ a pontificiis & antichristianis tenebris reformatæ superiori seculo longe lateque sparsam, quod agnoscit ipse Bellarminus præf. tom. I. contr. & in orat. tom. IV. cont. præfixa. Vide tract. de eccl. §. 189. 4) Nuspiam vero Christus vel apostoli docuerunt, ante adventum utopici illius antichristi, quem pontificii adhuc exspectant, eumdemque singularem aliquam personam ex tribu Dan nasciturum statuunt, per universum ter-

rarum orbem evangelium esse prædicandum, & hanc evangelii prædicationem fore signum antichristi proxime adventantis, qua de re alibi plenius agitur.

§. XCI. *Propinqua* & propria diei novissimi signa sunt: 1) *Insignis quartae monarchiae labefactatio.* Dan. II. 31. regi Babylonico sub figura statuæ ostenditur successio quatuor monarchiarum, quarum ultima duratura sit usque ad novissimum Christi adventum, in quo omnia huius mundi regna destruentur. De tibiis illius statuæ v. 33. dicitur, quod *pedum quaedam pars futura sit ferrea, quaedam fictilis*; illud Daniel v. 41. sic exponit: *regnum divisum erit, & tamen de plantatione ferri erit in eo, secundum quod vidisti ferrum mistum testae ex luto.* v. 42. *Et digitos pedum ex parte ferreos, ex parte figiles, circa finem regnum illud erit ex parte validum, & ex parte fragile.* v. 43. *Quod autem vidisti ferrum mistum testae ex luto, commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhaerebunt sibi, sicut ferrum non potest misceri testae.* Sensus est, quod circa finem mundi posterior huius monarchiæ pars multo infirmior sit futura priore, quodque imperatores iuncturi sint adfinitates cum regibus, qui non amplius imperio Romano adhærent, sperantes se hoc modo pristinam imperii maiestatem reparaturos, sed adfinitates illas non futuras esse firmas, verum maioribus odiis & simultatibus occasionem daturas. Dan. VII. 8. quarta monarchia depingitur sub imagine *bestiae terribilis & fortis habentis cornua decem*, id est, decem provincias, quarum quælibet regnum constituet, sed ex medio illorum *cornu parvulum, quod tria ex illis decem cornibus evellit*, qnia Turca ab exiguis initiis ad tantam potentiam progressus Asiam, Græciam & Ægyptum, quæ Romano imperio olim subiectæ fuerunt, in suam potestatem redigit. Sed statim subiungit propheta v. 9. *adspiciebam, donec throni positi sunt, & Antiquus dierum sedit*; id est, inter imperii labefactationem per tyrannidem Turciam & extremum iudicium nulla insignis rerum mutatio in imperio continget, sed Christus novissimo suo adventu Turcicam tyrannidem delebit. 2 Thess. II. 3. *Non venit Dies Domini, nisi prius venerit ἀποστασια.* Quidam, ut Irenæus lib. V. adversus hæres. pag. 328. Augustinus lib. XX. de civ. Dei cap. 19. Damascenus lib. IV. orthod. fid. cap. 27. Lyranus in comm. 2 Thess. II. Adrichomus in chron. pag. 285. hanc defectionem exponunt sensu *ecclesiastico* de quadam horribili & pene universali *defectione a fide*, 1 Tim. IV. 1. quæ in oriente per Mahometicas blasphemias, in occidente per papisticas corruptelas contigit, sed Tertullianus in apol. cap. 32. Lactantius lib. VII. institut. cap. 15. & 25. Cyrillus Hierosolymitanus catech. XI. Ambrosius, Chrysostomus, Theophylactus in comm. illius loci Hieronymus in q. 11. ad Algas. Nicolaus Grem. in orat. coram Urbano V. pontifice & cardin. anno 1364. habita, & alii complures accipiunt in sensu *politico* de insigni imperii diminutione, quam iamdum secutam esse, postea monstrabitur. Sic enim videtur apostolus ipse v. 7. declarare: *mysterium iam peragitur iniquitatis tantum, qui nunc obstat, obstabit usque dum e medio sublatus fuerit*; ubi de imperio Romano tanquam de uno homine loquitur, sicut etiam regnum antichristianum sub nomine unius hominis denotaverat. Quamdiu impera-

2) *Propinqua & propria.* 1) *Insignis quartae monarchiae labefactatio.*

rator Romanus priſtinam imperii maieſtatem ac potentiam retinuit, & in urbe Roma ſedem habuit, nec orientalis nec occidentalis antichriſtus eccleſiam invadere potuit. Proinde terror, potentia & magnitudo Romani imperii e medio erat tollenda, ac imperator Romanus ex Roma & Italia occultis artibus removendus, & in alium locum transferendus, in qua ſignificatione phraſis ἐκ τοῦ μέσου γένεσθαι uſurpatur Act. XXIII. 10. 1 Cor. V. 2. 2 Cor. VI. 17. Quidam συνεκδοχικῶς exponunt, *e medio auferetur imperium Romanum*, id eſt, ita minuetur, ut, reſpectu prioris potentiæ ac maieſtatis pene ſublatum videatur, vel ut Iohannes exponit Apoc. XIII. 3. *lethaliter vulnerabitur*, non tamen penitus exſtinguetur; ita premetur, ut videatur non eſſe, & tamen adhuc ſit. Eam imperii diminutionem & labefactationem iamdum factam eſſe, hiſtoriæ & experientia teſtantur. Sub Phoca defectio illa cœpit, & ſequentibus ſeculis continuata eſt. Ita namque de eo ſcribunt Eutropius lib. XVII. hiſtor. Otto Friſingenſis lib. V. cap. 8. & Nauclerus referente Wolffio tom. I. memorab. p. 63. *Imperatoris deſidia hoſtes Romani imperii potentiores ſunt facti, Etenim in parte occidentali Germaniam cum inſulis, Galliam, Hiſpaniam & bonam Italiae partem, ſed & Pannonias & Myſiam tum abſtulere cum bona Africae parte. In oriente Iberos, Armenos, Arabes & Dardanos & mediterranea Macedoniae & Graciae Cacanus Thrax rex Hunnorum pervagabatur. Aſſyriam vero totam fere Perſae occuparunt. Ægyptum Saraceni vaſtarunt. Proh dedecus! noſtrae vires adeo defecerunt per luxum & avaritiam libidinemque, ut imperium Romanum ſolo tantum nomine conſtaret*, quæ omnia ſunt Naucleri verba. Atque hic eſt ille Phocas imperatoricida, qui epiſcopo Romano titulum œcumenici epiſcopi conceſſit, quo quisquis utitur, *eum in elatione ſua antichriſtum percurrere*, Gregorius lib. VI. epiſt. 30. adſerit. Sub Heraclio Phocæ ſucceſſore plenius fuit continuatum, quod ſub Phoca erat cœptum. Saraceni enim omnia longe lateque occuparunt ab Ægypto uſque ad Euphratem, referente Eutropio lib. XVIII. Seculis ſuccedentibus defectio illa eo modo crevit, ut de priſtina Romani imperii maieſtate vix *magni nominis umbra* manſerit reliqua. Aventinus lib. VII. annal. *Romani maieſtas populi, qua olim orbis regebatur, ſublata eſt de terris.* Cum olim ſub poteſtate urbis orbis imperium remanſiſſet, ut loquitur Oroſius libr. I. hiſt. cap. 1. hodie *vix tenuis quaedam umbra magni nominis reſtat.* Sleidanus in lib. de quat. Monarch. Quid quod ipſe Thomas in comment. 2. Theſſ. 2. *imperium vere Romanum de temporali in ſpirituale commutatum eſſe*, id eſt, in papam antichriſtum translatum eſſe, adſerit. Dominicus a Soto lib. IV. ſent. diſt. 46. q. 1. art. 1. *Diſceſſio ab imperio civili & temporali iam facta eſt, quia in poteſtatem ſedis Romanae temporale illud imperium fuit commutatum, ut autor eſt Leo papa ſerm. de apoſtolis.*

XCII. 2) *Antichriſti revelatio.* Cum enim per pſeudo-apoſtolos in eccleſia Theſſalonicenſium ſub doctrinæ apoſtolicæ nomine ac prætextu ſparſa eſſet fama, quod dies noviſſimus proxime inſtet, monet Paulus Theſſalonicenſes, ne falſæ iſti opinioni fidem habeant, nondum enim prius eſſe antichriſtum, antequam veniat dies Domini 2. Theſſ. II. 3. *Ne quis ſeducat vos ullo modo, quoniam niſi venerit primum apoſtaſia & reveletur homo peccati* (id

2) *Antichriſti revelatio.*

(id est, antichristus) *non veniet dies Domini*, v. 8. *quem Dominus interficiet Spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui.* De hac antichristi revelatione & expugnatione per prædicationem evangelii agunt etiam alia scripturæ oracula, Dan. VIII. 25. XI. 44. Ier. LI. 58. Malach. IV. 5. Apoc. XIV. 6. XVIII. 2. quorum explicationem & adcommodationem vide tract. de eccles. §. 291. Iunilius Africanus in Genesin: *Sextae diei* (inquit) *vesperam iam nunc adpropinquare cernimus, & cum abundante per omnia iniquitate refrigescet caritas multorum, adveniet autem multo tenebricosior caeteris, cum adparente homine peccati filio iniquitatis* (qui extollitur atque elevatur super omne, quod dicitur Deus aut quod colitur) tanta fuerit tribulatio, ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi. *Et subsequente statim hora universalis iudicii, de qua scriptum*: Veruntamen Filius hominis veniens putas inveniet fidem in terra? *perseverabit inde sabbatismus animarum sanctarum usque ad finem seculi, & cum ultima aetas seculi post vesperam suam, de qua praefati sumus, finem interfecto per Dominum nostrum Iesum antichristo perceperit.* Quemadmodum autem signa Hierosolymitanum excidium ante gressa tanquam typi signorum ultimum iudicium praecedentium considerari possunt, ut superius ostendimus; ita quoque inter propria & proxima excidii illius signa aliquod habetur, quod fuit typus proprii huius & proximi signi diem novissimum anteceßuri. Illud vero est *abominatio desolationis stans in loco sancto*, Dan. XI. 27. Matth. XXIV. 15. Marc. XIII. 14. Quidquid enim tandem per omnem abominationem desolationis intelligatur, cum diversæ de ea exstent interpretum sententiæ, illud tamen certum est, τυπικως eamdem ad antichristi tyrannidem ante finem mundi in ecclesia invalescentem adcommodari posse, quia Apostolus verbis ex oraculis Danielis prophetæ & Christi quasi petitis de antichristo sic loquitur 2 Thess. II. 4. *Sedens in templo Dei, ostendit seipsum, quod sit Deus.* Unde Irenæus lib. V. adverß. hæres. cap. 21. per hanc abominationem intelligit ipsum *antichristum*, cuius explicationis meminit etiam Hieronymus in comm. sed distinguendum erat inter expositionem huius oraculi *literalem*, qua ad statuam aliquam templo a Romanis illatam, quæ erat desolationis proxime instantis signum, verba Christi referri debebant, & adcommodationem eiusdem *mysticam* ac *typicam*, qua ad antichristi regnum non iniuria eadem adcommodari possunt.

§. XCIII. 3) *Variorum signorum in omnibus totius universi partibus observatio.* Matth. XXIV. 29. *Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellae de cœlo cadent, & virtutes cœlorum movebuntur.* v. 30. *Et tunc adparebit signum Filii hominis in cœlo, & tunc plangent omnes tribus terrae.* Marc. XIII 24. *Sed in illis diebus post tribulationem illam sol contenebrabitur, & luna non dabit splendorem suum.* v. 25. *Et stellae cœli erunt decidentes, & virtutes, quae in cœlis sunt, movebuntur.* Luc. XXI. 25. *Et erunt signa in sole & luna & stellis, & in terris pressura gentium per dubitationem, sonitus maris & fluctuum.* v. 26 *Extabescentibus hominibus prae timore & exspectatione eorum, quae supervenient universo orbi, nam virtutes cœlorum movebuntur.* Quod Christus in his verbis de propriis & proximis diei novissimi signis a communibus & remotis illis, de

3) *Variorum signorum observatio.*

de quibus hactenus egerat, distinctis loquatur, illud colligitur tum ex *antecedentibus*, tum ex *consequentibus*. Antecedentia sunt ευθεως μετα την θλιψιν των ημερων εκεινων, ut habet Matthæus, vel εν εκειναις ταις ημεραις μετα την θλιψιν εκεινην, ut habet Marcus. Quidam *per hosce dies & tribulationem horum dierum* intelligunt urbis vastationem & excidium gentis Iudaicæ; quidam vero, inter quos etiam est Chrysostomus, revelationem antichristi, ut sic per tribulationem illorum dierum accipiatur totum illud tempus, quo antichristiana tyrannis ecclesiam oppressit. Qui priorem sententiam amplectuntur, verba præcedentia: *tunc si quis dixerit vobis, ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere;* ad tempora vastationem Hierosolymæ antegressa in sensu literali referunt; qui posteriorem, eadem ad descriptionem status ecclesiæ sub antichristi regno adplicant, quippe in quo Christus cum suo merito & cultu ad claustra monachorum & eremitarum fuit adligatus. Priori expositioni obstare videtur particula ευθεως apud Matthæum, neque enim *statim* post excidium Herosolymitanum contigerunt signa iudicium proxime antegressura; sed huic difficultati triplici ratione occurri potest. Primo quidem ex *Christi scopo & intentione*, quod scilicet Christus data opera de re procul adhuc distante quasi iamdum proxime imminente vaticinatus fuerit, ut vere pios in perpetua vigilantia contineret, & novissimum illum adventum quotidie exspectandum esse doceret. Secundo ex *comparatione ad calculum divinum*, quod illud ευθεως non sit metiendum iuxta nostrum computum, quo illud ευθεως dicimus fieri, quod paucis mensibus aut diebus aut horis interiectis perficitur, sed iuxta computum divinum, in quo *mille anni sunt instar unius diei*, Psalm XC. 4. 2 Pet. III. 8. Tertio ex *loquendi consuetudine in scripturis recepta*, qua totum illud tempus, quod a passione Christi & primo eius adventu usque ad secundum se extendit, vocatur *ultimum*, imo *novissima hora*, 1 Cor. X. 11. Phil. IV. 5. 2 Thess. II. 7. Heb. X. 37. Iac. V. 8. 1 Ioh. II. 18. quia nulla insignis rerum mutatio intercessit. Sed hæ duæ interpretationes non pugnant invicem, utrumque enim verissimum est, quod post devastationem Hierosolymitanam & tribulationem antichristianam signa illa novissimi diei sint secutura, ac ostendimus superius, vaticinium de pseudochristis & pseudoprophetis non tantum ad tempora Hierosolymæ excidium antegressa, sed etiam ad novissima tempora iudicium extremum præcessura rectissime referri posse. Quamcunque igitur verborum illorum interpretationem quis amplectatur, illud evidenter ex eis colligitur, quod Christus non amplius agat de signis communibus ac de statu temporum ante Hierosolymæ excidium, sed iam incipiat agere de signis extremi iudicii propriis ac de statu temporum Hierosolymæ devastationem secutorum, quia expresse dicit *post tribulationem illam*, sive *post tribulationem illorum dierum*, de qua scilicet hactenus egerat. Idem adparet ex *consequentibus*, quia post enumerationem signorum ac prodigiorum in cœlo, terra, marique futurorum immediate subiungit: *& tunc videbunt Filium Hominis venientem in nubibus cœli cum virtute & gloria magna*, quæ verba de secundo ipsius adventu agere nemini dubium esse potest. Quod enim Augustinus epistola LXXX. ea de *spirituali Christi adventu* accipi posse arbitratur, omni prorsus probabilitate caret.

§. XCIV. Certum igitur esto, Christum de *propriis & proximis extremi iudicii signis* hic agere; certum etiam illud, quod *in omnibus totius universi partibus* signa illa eventura prædicantur, quia totum universum sic describitur, quod complectatur *cœlum, terram, mare & omnia, quae sunt in eis*, Exod. XX. 11. Nehem. IX. 6. Psalm. CXXXV. 6. &c. iam vero Christus in cœlo, terra & mari eiusmodi signa futura prædicit. Sed quæ & qualia illa signa sint futura, de eo plurimum variant interpretum sententiæ, quas in certas distribuemus classes. 1) Quidam existimant, hæc signa *immediate* consummationem seculi anteceßura, adeoque *illo ipso demum momento*, quo Christus ad iudicium veniet, eventura. Cum enim destructio cœli ac terræ, in die novissimo secutura, a Petro sic describatur 2. epist. III. 10. *Cœli magno cum impetu transibunt, elementa vero aestuantia solventur, terraque & quae in ea sunt opera, exurentur.* 12. *Cœli igne incensi solventur, & elementa aestuantia liquescent;* ideo statuunt initium huius conflagrationis & destructionis in hisce signis in cœlo, terra marique eventuris proponi. Origenes suspicatur, *nubes fumi ex mundi extremo incendio excitatas hanc caliginem in sole & luna effecturas.* Sensus igitur verborum Christi foret eiusmodi: Frustra cogitant homines, se in ipso die novissimo pœnitentiam adhuc posse agere, tunc enim ita erunt exanimati & consternati, ut de pœnitentia cogitare neutiqnam possint; omnia namque tunc erunt funesta & terribilia, cœli transibunt, elementa colliquescent, terra igne exuretur &c. Hæc interpretatio probari posset a) ex *vaticiniis prophetarum*, in quibus iisdem fere verbis, quibus Christus hoc loco utitur, dies novissimus describitur: Esaiæ XXIV. 23. *Erubescet luna, & confundetur sol, cum regnaverit Dominus exercituum in monte Sion &c.* XXXIV. 4. *Tabescet omnis militia cœlorum, & complicabuntur sicut liber cœli, & omnis militia eorum defluet sicut defluit folium de vinea & de ficu.* Ioel III. 3. *Dabo prodigia in cœlo & in terra, sanguinem & ignem & vaporem fumi.* v. 4. *Sol convertetur in tenebras, & luna in sanguinem, ante veniat dies domini magnus & horribilis.* v. 19. *Iuxta est dies Domini in valle concisionis, sol & luna obtenebrabuntur, & stellae retrahent splendorem suum.* b) Ex *ipsis Christi verbis.* Dicuntur enim *stellae de cœlo casurae*, Matth. XXIV. 29. Marc. XIII. 25. iam vero quando stellæ ab orbibus cœlestibus removebuntur, tunc cœli terræque ruina immediate erit coniuncta. Dicuntur *commovendae cœlorum virtutes;* iam vero quando cœlum loco movebitur, id est, quando *magno cum impetu transibit*, ut Petrus interpretatur, tunc omnia necesse est conturbari ac commoveri, quia cœlum sua virtute omnia elementa in suo ordine continet. In ovo vitellus concluditur albumine & testa, fracta autem testa omnia diffluunt; ita quoque cœlis transeuntibus ac igne dissolutis, nec terra nec mare suum amplius obtinebunt locum. Quod apud Lucam dicuntur *homines exanimandi prae timore & exspectatione eorum, quae supervenient universo orbi;* id apud Matthæum sic exponitur; *tunc adparebit signum Filii hominis in cœlo, & tunc plangent omnes tribus terrae;* iam vero in ipso adventus Christo momento hic planctus vel maxime audietur. Apoc. I. 7. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui pupugerunt eum, & planget se super eum omnis tribus terrae.* Addi potest illud, quod immediate cum his signis adventus Christi ad iudicium vi-

videtur coniungi: και τοτε, *& tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli*; quodque apud Lucam dicitur: *His fieri incipientibus, attollite capita vestra, quia adpropinquat redemtio.* c) Ex *interpretatione apocalypseos.* Iohannes Apoc. VI. 13. & seqq. videtur signa a Christo hic prædicta ad ipsum novissimum diem adplicare. Postquam enim apertum fuisset *sigillum sextum*, vidit, quod *sol factus fuerit niger, tanquam saccus cilicinus, & luna tota sicut sanguis*, quod *stellae ceciderint super terram, sicut ficus emittit grossos suos, cum a vento magno movetur*; mox vero immediate secuta fuit cœli terræque destructio, *quia cœlum recessit sicut liber involutus, & omnis mons & insulae de locis suis motae sunt.* Huic explicationi adfinis est expositio Hieronymi, Chrysostomi, Theophylacti, Euthymii & Bedæ in comm. XXV. Matth. qui verba Christi accipiunt *comparate*, quod Christi ad iudicium adventus tantam lucem sit adlaturus, *ut solis ac lunae splendor ea quodammodo obscuretur*, quia maius lumen obscurat minus. Augustinus serm. CXXX. temp. *Tanta erit eminentia splendoris in Christo, ut etiam clarissima cœli luminaria prae fulgore luminis divini abscondantur.* Agnoscimus sane, non omnino nullum in hisce argumentis esse robur, proinde etiam non negamus, *quaedam ex his signis* immediate cum ipso Christo ad iudicium adventu coniuncta fore; interim tamen iudicamus, si non omnia, tamen quædam ex his signis paulo ante iudicium extremum, paucis scilicet annis ac diebus illud præcedentibus eventura. 1) Ut enim signa excidii Hierosolymitani in priore responsi parte a Christo proposita non fuere omnia immediate cum ipso excidio coniuncta, sed aliquot annis ac diebus illud præcesserunt; ita veri simile est, in posteriore responsionis parte eiusmodi signa diei novissimi enumerari, quæ proxime quidem, non tamen immediate illud antecedant. 2) Christus dicit, *his signis incipientibus* εγγυζειν, *adpropinquare nostram redemtionem ac regnum Dei*, Luc. XXI. 28. & 31. id quod non eo accipiendum esse sensu, quasi immediate cum illis signis nostra απολυτρωσις & adventus regni gloriæ futurus sit coniunctus, colligitur ex similitudine ducta *a ficu* ramos, folia & grossos proferente, quia inter folia & flores huius arboris ac inter æstatem, quam prope adesse nunciat, temporis aliquod spatium est interiectum. 3) Lucas dicit, quod signis illis in sole & luna existentibus & mari fluctibusque sonantibus *homines arescent prae timore & exspectatione eorum*, quæ sint επεργομενα τη οικουμενη, illis ergo præsentibus nondum completus erit Domini adventus. 4) Ioel. III. 4. expresse dicitur, quod *sol convertendus sit in tenebras, ac prodigia illa in cœlo conspicienda, antequam veniat dies Domini magnus & terribilis*, ad quem locum propheticum Christus videtur adlusisse. 5) Scopus Christi est, prædicatione horum signorum hominibus excutere veternum securitatis, & exhortari eos ad pœnitentiam, preces & vigilantiam, ut constat ex subiecta παραινεσει, Matth. XXIV. 42. Marc. XIII. 37. Luc. XXI. 36. itemque consolationem efficacem suppeditare adflictis, ut sciant, in propinquo esse tempus finalis ac plenariæ redemtionis, Luc. XXI. 28. Atqui in ipso adventus momento nullus amplius relictus erit exhortationi ad pœnitentiam ac vigilantiam locus, nec indigebunt pii consolatione, quando iamdum in nubibus iudex advenit, quia *in momento in ictu oculi immutabuntur*, & corpora glorifi-

cata accipient, 1. Cor. XV. 52. 6) Consummatio seculi, id est, cœli terræque destructio iudicium extremum sequetur, ut superius ostendimus, iam vero signa a Christo prædicta iudicium præcedent. Ergo illa non sunt ipsum consummationis initium. Unde b. Lutherus in post. domest. opinionem illorum, qui non alia putant describi signa, quam quæ cum mundi interitu immediate cohærent, manifeste improbat.

§. CXV. 2) Quidam ergo hæc signa statuunt *ante diem novissimum* adparitura, quod tum *supra nos* in sole, luna & stellis creaturis cœlestibus, tum *intra nos* in creaturis rationalibus, tum *infra nos* in elementaribus certa quædam novissimi diei adpropinquantis signa sint exspectanda. *Quemadmodum enim impulsae ad casum arbores fragores motusque praemittere solent indicia: sic termino adpropinquante quasi paventia nutant ac tremunt Elementa;* quæ est similitudo Bedæ in comm. Lucæ 21. Sed in eorum explicatione iterum in diversas abeunt sententias. a) Quidam enim hæc signa exponunt ρητως και κυριως *proprie & literaliter.* b) Quidam vero τροπικως, & horum quidem 1) aliqui accipiunt μεταφορικως, 2) aliqui vero αλληγορικως. Qui *metaphorica* interpretatione delectantur, progrediuntur hoc modo: Mos est in scripturis sacris per *obscurationem solis lunae ac stellarum*, & similia, quæ a Christo hic prædicuntur, μεταφορικως significari divinæ iræ ac ultionis tempestates atque ex his ortas animorum humanorum confusiones, ut docet Gregorius in comm. XVIII. Iobi Sic Esa. XIII. 10. de *Babylonis onere* sive ultione ac pœna inter cætera sic dicitur: *Stellae cæli & splendor earum non expandent lumen suum, obtenebratus est, sol in ortu suo, & luna non splendebit in lumine suo;* in quæ verba sic commentatur Hieronymus: *Sensus est, quod cum dies Domini advenerit, & furor eius universa vastaverit. quod timoris magnitudine mortalibus cuncta tenebrescant, ut soli ipsi, luna astraque rutilantia suum videantur negare fulgorem, unde & cælum sacco induitur, quod scilicet tenebrae cuncta operiant, & prementibus malis nihil aliud sentiant homines, nisi quod mens videre compellit.* Ezech. XXXII. 8. de ultione Pharaonis his verbis propheta Dei nomine vaticinatur: *Operiam, cum extinctus fueris, cælos, & nigrescere faciam stellas eius, solem nube tegam, & luna non dabit lumen suum.* v. 8. *Omnia luminaria cæli mœrore faciam super te & dabo tenebras super terram tuam.* Pœna gravissima, quæ Iudæos manebat a prophetis sic describitur: Ier. IV. 23. *Adspexi terram, & ecce vacua erat & nihili, & cœlos, & non erat lux in eis.* XV. 9. *Infirmata est, quae peperit septem, defecit anima eius, occidit ei sol, cum adhuc esset dies.* Ioel. II. 10. *A facie eius conturbata est terra, moti sunt cæli, sol & luna obtenebrati sunt, & stellae retraxerunt splendorem suum.* Amos. VIII. 9. *Erit in die illa, dicit Dominus Deus, occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis, & convertam festivitates vestras in luctum.* De pœna pseudoprophetarum Mich. III. 6. dicitur: *Occumbet sol super prophetas, & obtenebrabitur super eos dies.* Hæc omnia non possunt accipi ρητως sed explicanda sunt μεταφορικως. quod sol illis obscuretur, non αληθως sed φαινομενως, non ουτως, sed οιομενως, non *physice ac realiter*, sed *metaphorice ac spiritualiter.* Qui enim in summa angustia constituti sunt, illis sol videtur obscurari, luna esse sanguinea, stellæ lucem suam retrahere, terra tremere, mare fremere, totus mundus perturbari, & omnia ruinam mi-

minitari nnn quod revera sic accidat, sed quod hominibus anxiis & coangustatis ita videatur, ac si illa omnia acciderent. Confer omnino Chrysostomum homil. II. ad popul. Antioch. ubi in magna civitatis mœstitia iisdem metaphoris Propheticis utitur. Cum ergo particularia illa Dei iudicia, quæ adversus Babylonios, Ægyptos & ipsos Iudæos exercuit, fuerint specimina & præludia extremi iudicii, ideo existimant, iisdem verbis *metaphorice* acceptis, quibus particularia illa iudicia a Prophetis fuere descripta, universale & ultimum iudicium a Christo hoc loco describi.

§. CXIV. *Allegoricam* horum signorum explicationem quidam ex veteribus sectantur. Ambrosius lib. X. in Luc. pag. 151. *Tunc sol obscurabitur &c. Plurimis enim a religione deficientibus, clara fides obscurabitur nube perfidiae, quia mihi sol ille cœlestis mea fide vel minuitur vel augetur. Quemadmodum si plurimi radios mundani solis adspiciant, pro capta videntis aut pallidior sol videtur, aut clarior: ita pro devotione credentis unicuique spirituale lumen infunditur. Et quemadmodum menstruis cursibus lunae vel terrae oppositu, cum fuerit e regione solis, vanescit, sic & sancta ecclesia, cum lumini cœlesti vitia carnis obsistunt, fulgorem divini luminis de Christi radiis non potest mutuari. Namque in persecutionibus lucem Dei solus plerumque amor vitae huius excludit Cadent stellae, illi utique resurrectionis gloria iam micantes, illi viri sicut luminaria in seculo verbum vitae continentes, illi viri, de quibus Abrahae dictum est*: quia sicut cœlum fulget & stellae, sic & semen eius. *Excident ergo hominibus patriarchae, excident prophetae, si persecutionis acerbitas convalescat &c. Ergo varii animorum aestus ita graves erunt, ut delictorum multitudine male conscii futuri iudicii metu sacri in nobis ros fontis arescat, aret enim perfidia, fides rorat &c. sunt virtutes cœlorum, quae enarrant gloriam Dei, & quae pleniore Christi infusione moveantur, virtutes spirituales, quae vident Christum.* Chrisostomus homil. XXXIV. oper imperf. *In duodecima hora sumus, unde putas, quia candor iustitiae iam recessit de mundo; & sol radios gratiarum suarum in se retolligens revocaverit, & totam terram nigredo iniquitatum ac mendaciorum quasi nox fusca cooperuit, nisi quia iam & ipsa duodecima hora finiatur &c.* Augustinus epist. LXXX. ad Hesych. circa medium: *Haec signa in ecclesia melius existimo intelligi, ne Dominus Iesus adpropinquante secundo adventu suo ea pro magno praedixisse videatur, quae huic mundo & ante primum eius adventum consueverant evenire, & irrideamur ab eis, qui haec quae velut novissima & omnium maxima horrescimus, plura in historia gentium & multo maiora legerunt. Ecclesia est enim sol & luna & stellae, cui dictum est:* Speciosa sicut luna, electa sicut sol, ab hac adoratur Ioseph noster in hoc mundo velut in Ægypto ex humillimo sublimatus &c. *Quando enim sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellae cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commovebuntur, sicut ab aliis duobus evangelistis hic locus commemoratus est, ecclesia non adparebit, impiis tunc persecutoribus ultra modum saevientibus & remoto timore tanquam arridente mundi felicitate dicentibus pax & securitas. Tunc stellae cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commovebuntur, quoniam multi, quia gratia fulgere videbantur, persequentibus cedent & cadent, & quidam fideles firmissimi turbabuntur.* lib. XX. de civ. Dei c. 24. pronunciat veri similius esse, quod *tropica*

pica fit locutio, qua ſtellae cælo dicuntur caſurae. Similia occurrunt apud Origenem tract. XXVIII. in Matth. Poſſet huic allegoricæ interpretationi robur aliquod conciliari ex eo, quod Chriſtus vocatur *ſol iuſtitiae*, Mal. IV. 2. Luc. I. v. 78. eccleſia confertur *lunae* Cant. VI. 9. eccleſiæ doctores *ſtellis*, Apoc. I. 16. &c. ideoque etiam non ſimpliciter repudiamus; interim propriam & literalem horum ſignorum explicationem per eam minime excludi debere dicimus, 1) quia ut ſigna Hieroſolymitani excidii ſermone proprio Chriſtus prædixerat, ita eodem ſermonis genere in percenſendis noviſſimi diei ſignis ipſum fuiſſe uſum, haud iniuria credimus. 2) abſque cogente neceſſitate a litera non eſt diſcedendum. Iuxta metaphoricam interpretationem nullum plane *in ſole & luna* erit iudicii ſignum, quia utrumque luminare fulgorem ſuum retinebit, dicuntur autem obſcurari, quia hominibus omnia tenebricoſa & mœſta videbuntur. At Chriſtus expreſſe dicit: *erunt ſigna in ſole & luna*, ac hominum angorem ab illis ſignis diſtinguit. 3) Prophetæ & apoſtoli verbis propriis cum Chriſti concionem magnam adfinitatem habentibus, & ſigna diei noviſſimi & ipſum diem noviſſimum deſcribunt, Pſal. LXXV. 3. & 4. Hagg. II. 7. (confer Hebr. XII 16.) Ioel. III. 20. 2 Pet. III. 10. & 12. &c. 4) Allegorica illa veterum interpretatio pro myſtica huius loci expoſitione accipi poteſt, non autem eſt propria, genuina & præcipua. Lucas enim dicit, *& in cælis & in terra* quædam futura ſigna. Cumque dixiſſet, *homines exanimatum iri prae timore & exſpectatione* eorum, quæ *orbi ſuperventura*, *αιτιολογικως* ſubiicit: *nam & virtutes cælorum movebuntur;* ſignificans commotionem virtutum cœleſtium cauſam fore illius angoris, ac *gentes* dicit propter *mirabilem maris commotionem fore anxias.* 5) Veri ſimile eſt, non in eccleſia ſolum myſtice & ſpiritualiter, ſed in tota rerum univerſitate proprie & literaliter ſigna illa fore complenda. Quemadmodum enim *veſtimentum* prius veteraſcit, antequam penitus diſſuatur; ſic veri ſimile eſt totam rerum univerſitatem inſigne decrementum prius accepturam, antequam ultimo igne penitus deflagret. Pſal. CII. 27. *Cæli peribunt, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent*, v. 18. *ſicut indumentum mutabit eos, & mutabuntur.* Quemadmodum in *ſenio hominis* omnia prius fiunt languida, antequam homo moriatur, oculi caligant, aures obſurdeſcunt, manus ac pedes tremunt, vires deficiunt, animus mœret, Eccl. XII. 2. & ſeqq. ſic adpropinquante mundi interitu tota cœli terræque machina ob vetuſtatem, quam contraxit, movebitur ac mutabitur, luminaria cœleſtia obſcurabuntur, virtutes cœlorum movebuntur, erunt crebri terræ motus, homines præ angore ac triſtitia deficient. Ambroſius in Luc. XXI. *In occaſu ſeculi ſumus, praecedunt quaedam aegritudines mundi, aegritudo mundi eſt fames, aegritudo mundi eſt peſtilentia, aegritudo mundi eſt perſecutio.* Confer Chryſoſtomum homil. XXXIII. in Iohan. Quemadmodum *patrefamilias irato* omnes domeſtici lugent, ac omnia ſunt in domo turbata ac triſtitia, ſic quando in propinquo eſt, ut cœli paterfamilias *exſurgat ad loquendum cum eccleſiae hoſtibus in ira ſua, & in furore ſuo illos conturbandos*, Pſal. II. 5. tunc totus mundus, qui eſt Dei domus, conturbabitur, creaturæ omnes lugebunt, cœli luminaria pullis veſtibus amicientur, ac omnia erunt dira ac triſtitia.

Au-

Auctor oper. imperf. homil. XLIX. in Matth. *Patrefamilias moriente tota eius domus turbatur, omnis familia plangit, & conscissis tunicis suis nigris se cooperiunt vestimentis: sic humano genere circa exitum constituto totus contristatur mundus, universa cœli ministeria lugent, & candore depositio luctuosis tenebris vestiuntur.* 6) Matth. XXIV. 29. dicit Christus: *Statim post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur*, ubi inter tribulationem & signa illa discrimen facit. Ergo per obscurationem solis & lunæ non potest μεταφορικως tantum tribulatio intelligi.

§. XCVII. Qui τω ρητω verborum insistunt, iterum in duas abeunt classes: 1) quidam enim signa a Christo prædicta accipiunt de *prodigiis* quibusdam prorsus *hyperphysicis* & *antiphysicis* ante novissimum diem adhuc exspectandis. Cum enim astronomi causas naturalium eclipsium ex scientiæ suæ principiis arcessant, cumque iam inde a mundi primordiis solis & lunæ eclipses non minus, quam hoc nostro tempore frequentes fuerint, ideo existimant, eclipses illas, quæ inter signa diei novissimi a Christo referuntur, non posse de vulgaribus, ordinariis & naturalibus solis ac lunæ defectibus accipi, sed exspectandas esse quasdam singulares & supernaturales eclipses cum die novissimo proxime cohærentes, ut quia peculiaris earum debeat esse significatio, ideo etiam peculiaris earum statuatur natura & generatio. Et sane non magnopere refragabimur, quo minus prodigia quædam hyperphysica & antiphysica, ac proinde etiam quædam inusitatæ, præternaturales & prorsus prodigiosæ eclipses diem novissimum proxime antegressuræ statuantur; cum experientia superiorum temporum ostenderit, anno 1572. prorsus novam stellam in ipsa regione ætherea in signo Cassiopeæ conspectam fuisse. Interim cum in futuro eventu, adeoque in occultis divinæ omniscientiæ thesauris illud adhuc lateat reconditum, an talia prodigia & tales eclipses prorsus antiphysicæ & extraordinariæ certo adhuc sperandæ vel potius metuendæ sunt; ideo 2) b. Lutherus in post. domest. nequaquam absurdum censeri debere adserit, si signa novissimi diei, quæ hoc loco enumerantur, ita comparata statuantur, ut si non omnia, tamen *quaedam* ex ipsis causas videantur habere naturales, quo nomine etiam ab impiis & empæctis contemnantur, qui nullam signandi vim illis inesse iudicabunt, ac proinde etiam sine ullo iudicii divini metu in securitate & improbitate sua pergent. a) Quemadmodum enim *iris*, quamvis causas naturales habeat, nihilo tamen minus propter divinam ordinationem est *signum fœderis* & gratiæ divinæ, Genes. IX. 15. ita quoque eclipses *& gemitus creaturarum* tam επιφανιων quam υπηφανιων possunt esse signa adventantis diei novissimi & iræ divinæ adversus impios, quamvis ex causis naturalibus originem ducere videantur. Quemadmodum *morbi corporis* sunt signa mortis suo tempore secuturæ, etiamsi infans, puer, adolescens &c. ex morbo interdum convalescat, neque immediate morbos mors consequatur: sic eclipses & alia signa a Christo commemorata non desinunt esse signa consummationis seculi, quamvis illis toties iam conspectis mundus nondum finem habeat. b) Inter *signa extidii* Hierosolymitani, quæ typum gerunt signorum diem novissimum præcedentium numerantur etiam ea, quæ causas habent morales ac naturales, ut persecutiones, bella, pestilentiæ, fames &c. c) *Sonitus*

tus maris, qui inter signa iudicii a Christo connumeratur, non minus quam fluxus ac refluxus maris causas naturales habere, a physicis creditur. d) Christus prævia illa signa non vocat τερατα sed σημεια, quod est nomen generale. e) Non unicum duntaxat signum per se & absolute, sed omnia simul sumta erunt συντελειας τȣ κοσμȣ signa. Ergo non procedit argumentum: eclipses naturales non possunt esse diei novissimæ signa, quia iam olim fuerunt. Hanc Lutheri & aliorum sententiam, utut non improbabilem iudicemus, nihil tamen præiudicatum volumus vel futuro eventui, vel aliorum interpretationibus fidei analogiæ congruis.

§. XCVIII. I) De signis *supra nos* in creaturis cœlestibus Christus sic loquitur: 1) *erunt signa in sole & luna* Luc. XXI. 25. id reliqui evangelistæ sic exponunt: *Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum*, Matth. XXIV. 29. Marc. XIII. 24. Primum igitur signum est *solis ac lunae defectus.* a) Quidam accipiunt de *eclipsi una vel pluribus prorsus prodigiosis & praeternaturalibus;* cum naturales eclipses nec ratione frequentiæ, nec ratione ordinationis divinæ signa iudicii extremi esse possint. Non prius, cum naturalium eclipsium omnium sit eadem & æqualis ratio, ut astronomi demonstrant. Non posterius, quia iam inde a mundi exordio tales eclipses contigerunt, cum tamen Christo propositum sit, talia extremi iudicii signa proponere, quæ illud proxime antecedant. Quemadmodum igitur ante eductionem populi Israelitici ex servitute Ægyptiaca præcesserunt *horribiles & miraculosae tenebrae*, Exod. X. 22. ita finalem piorum ex Ægypto huius mundi liberationem eclipses quædam præternaturales videntur anteceſſuræ. Antequam Israelitæ ex Ægypto educerentur, superliminaria sanguine tingebantur, Exod. XII. 22. sic ante finalem piorum liberationem *luna fiet, sicut sanguis*, Apoc. IV. 12. Luc. XXI. 25. Quemadmodum Hierosolymitanum excidium eclypsis solis prorsus miraculosa & prodigiosa in passione Christi anteceſſit, ut ostendimus in harmonia evangelica cap. XVI. pag. 767. ita finale totius mundi excidium una vel plures eclipses prorsus miraculosæ & præternaturales præceſſuræ videntur. Alphonsus Salmeronius tract. XL. tom. IV. pag. 672. *Ante iudicium Deus miruculose subtrahet soli lumen, atque ita obscurabitur interiectione corporum inter cælum & nos a Deo facta, ut in passione factum nonnulli putant, & per tres vel quatuor horas ut in passione, non multo plus, ne omnia viventia pereant, nec minus, quia non intrarent per motum luminaria omnium haemisphaeria &c.* Gregorius de Valentia tom. IV. comm. pag. 2304. *Haec obtenebratio non est futura per eclipsin aliquam, cum haec non possit contingere simul in sole & luna, ideo dicamus divina virtute privatum iri suo lumine solem & lunam vel obscurutum iri, ne illustret aerem & nos, vel quod aliqua densissima nubes oppositа soli & lunae omnimodas tenebras oculis mortalium offusura sit in toto orbe &c.* Similia occurrunt apud Barradium lib. IX. cap. 10. pag. 587. & Osorium tom. conc. ad Luc. 21. Sed quid de hac hypotesi statuendum, iam ante exposuimus. b) Quidam ergo *de naturalibus eclipsibus* Christi vaticinium accipiunt. Quamvis enim tales eclipses habeant causas suas naturales, unde astronomi certum earum tempus prædicere possunt, nihilo tamen minus possunt esse

I) Supra nos. 1) in sole & luna.

esse signa iræ divinæ & adventantis extremi iudicii, *Primo*: quia eclipses pugnant cum natura & proprietate luminarium illorum cœlestium, quippe quæ divinitus hoc fine condita sunt, *ut luceant in firmamento cœli & illuminent terram*, Genes. I. 15. quando ergo lux eorum mundo intercipitur, tunc aliquid præternaturale quasi ipsis obtingit. Unde poeta de illis sic canit:

Defectus solis varios, lunaeque labores.

Secundo: quia experientia comprobatum est, quod eclipses multa & magna mala in teris sequantur, unde versiculi:

ὁδεμι εκλειψις και ὁδεις εφικομητης,
ος μη ανθρωποις αλγεα πολλα φερει.

Tertio: quia sol & luna sunt instar cuiusdam speculi, in quo & hominum improbitas & futuræ pœnæ relucent, quemadmodnm Genes. XVIII. 20. *clamor Sodomiticorum peccatorum in cœlum ad scendisse* dicitur. c) Quidam exponunt *mystice* & *allegorice* de luce doctrinæ in ecclesia per corruptelas obscurata. Christus enim est sol iustitiæ, lætitiæ & vitæ; a qua ecclesia quæ est luna, omnem splendorem ac lucem accipit, obscurata igitur cœlestis doctriuæ luce per traditionum humanarum & corruptelarum hæreticarum tenebras spirituales eclipses in ecclesia sequi necesse est. Sol obscuratur, quando luna inter ipsum & oculos hominum interponitur; sic inordinatus amor rerum terrenarum, quæ instar lunæ sunt mutabiles, lucem interioris agnitionis in cordibus hominum intercludit. Luna obscuratur, quando terræ interpositione lumen solis ipsi adimitur, sic anima, cum lumini cœlesti vitia terrenæ carnis obsistunt, fulgorem divini luminis de Christi radiis non potest participare. Ioel III. 4. prædictum, quod ante magnum & horribilem diem domini *luna convertenda sit in sanguinem*, id allegorice ad sanguinolentas ecclesiæ persecutiones adcommodari potest. d) Ad solis & lunæ eclipses a quibus referuntur *parelii* ac *paraselenae*, quando plures soles, ac plures lunæ conspiciuntur, quando hæc luminaria adparent sanguinolenta, quando *soles nocturni* conspiciuntur; interim ea, quæ ex causis prorsus naturalibus oriuntur, & significationes duntaxat naturales obtinent, Matth. XVI. 2. a propriis diei novissimi signis prudenter sunt discernenda.

§. CXIX. 2) Erunt signa *in stellis*, Luc. XIX. 25. 2) *In Stellis* id a reliquis evangelistis sic exponitur: *stellae de cœlo cadent*, Matth. XXIV. 29. Marc. XIII. 29. a) Qui signa Christi ad iudicium adventum *immediate* anteceſſura, adeoque in ipsa iudicii hora demum eventura hic prædici statuunt, illi hanc stellarum πτωσιν κατα ρητον & proprie accipiunt, quod stellæ ab orbibus suis movebuntur, & Christo iudici in nubibus venienti quasi cedent. Chrysostomus hom. ad Neoph. tom. V. *Quid sibi vult, sicut cadunt folia de ficu, stellae cadent de cœlo? sicut vires cum uvarum fructibus praegravantur, foliorum exposcunt auxilium neneceſſarium, ut protegantur, cum autem deposuerint fructum, necesse est, ut foliis nudentur: sic se habet hoc seculum, quamdiu habuerit in se humanum genus, tenebit & cœlum stellas, sicut & vitis folia. Nam nocte pereunte sine dubio stellarum utilitas simul cum nocte deficiet.* b) Qui *allegorias* sectantur, accipiunt de magnorum ecclesiæ doctorum & aliorum etiam

christianorum, qui prius *velut luminaria* per veræ doctrinæ confessionem & & sanctam vitæ conversationem fulserant, Phil. III. 15. multiplici apostasia, Apoc. VIII. 10. *Cecidit de cœlo stella magna ardens tanquam facula*, v. 12. *tertia pars stellarum fuit obscurata.* 12. 4. *Cauda draconis trahebat tertiam partem stellarum cœli.* Dan. VIII. 10. de Antiocho ecclesiæ persecutore, antichristi typo, dicitur: *Deiecit de exercitu cœli & de stellis & conculcavit eas;* in quem locum sic commentatur Gregorius lib. XXX. moral. c. 12. *Nonnullos & luce iustitiae resplendentes & virtute operis robustos antichristus franget.* c) Augustinus lib. XX. de civ. Dei cap. 24. accipit de *exhalationibus* in aere accensis, & post conflagrationem decidentibus. *Quod scriptum est*, inquit, *stellas de cœlo esse casuras, praeterquam quod potest multo probabilius & aliter intelligi*, (quam proprie de stellis in firmamento cœli fulgentibus) *magis ostendit mansuros esse cœlos, si tamen stellae inde casurae sunt, vel cum tropica fit locutio, quod est credibilius, vel in isto imo cœlo futurus sit, utique mirabilius, quam nunc fit, unde & illa Vergiliana stella facem ducens multa cum luce cucurrit, & Idaea se condidit sylva*; in quem locum sic commentatur Ludovicus Vives: *Aristoteles* lib. I. *meteor. has stellas gigni dicit ex halitu in media aeris regione a superiore igne accenso, qui si longitudinem tantum habeant, δαλοι dicuntur, id est, lampades. Eaedem sunt faces. Plinio libr. II. Emicant, inquit, & faces non nisi, cum decidunt visae, qualis Germanico caesare gladiatorum spectaculum edente praeter ora populi meridiano transcurrit. Duo genera earum, lampades vocant plane facis, alterum bolidas, quale Mutinensibus malis visum est. Dicant, quod faces vestigia longa faciant, priore ardente parte, bolis vero perpetua ardens longiorem trahit limitem.* Cadent ergo stellæ, id est, videbuntur cadere; vel cometæ in aerea regione accensi decident. Angeli eiaculabuntur tot fulgura & ignitas exhalationes stellarum formam referentes, ut stellæ ipsæ ruere videantur. d) Qui *prodigiosa* prorsus & *portentosa* in stellis signa adhuc exspectant, splendorem earum imminuendum ac debilitandum, quin a quibusdam plane abolendum ante diem novissimum exspectant, Ioel. III. 20. *stellae retrahent splendorem.* Cadent ergo de cœlo non ratrahent, ut quasi e cœlo cecidisse, non amplius in eo esse videantur. e) Quidam *figurate* & *comparate* accipiunt, hoc sensu: tanta erit totius machinæ cœlestis concussio, ut stellæ ipsæ e cœlo cadere putentur. Eventus ac dies Domini omnium optime illa explicabit.

§. C. 3) *Virtutes cœlorum*, sive quæ in cœlis sunt, *movebuntur*, Matth. XXIV. 29. Marc. XIII. 25. Lucæ XXI. 26. Tertium igitur signum erit *virtutum cœlestium motus.* In Græco est σαλευθησονται, quod proprie significat *concutientur, conquassabuntur* instar maris a fluctibus conturbati, ac *concutiendo periclitabuntur.* Usurpatur enim de *calamo a ventis quassato*, Matth. XI. 7. Lucæ VII. 24. de *mensura concussa*, Luc. VI. 38. de *fundamentis aedium motis*, v. 48. Act. IV. 31. XVI. 26. ac metaphorice de *rerum instabilium abolitione ac mutatione*, Hebr. XII. 26. & 27. ut & de *animi conturbatione*, Act. II. 25. 2. Thess. II. 2. Hanc virtutum cœlestium commotionem ad concussionem varie exponunt interpretes a) Qui ad signa iudicium immediate antecedentia vaticinium Christi referunt, hanc commotionem sic exponunt,

3) *In cœlis.*

nunt, quod ipsum firmamentum cœleste ex suis cardinibus revellendum in die novissimo sit transiturum. b) Qui ad signa iudicium antecessura illud referunt, eorum quidam κατα ρητον & proprie id accipiunt, quidam vero metaphoras & allegorias sectantur. Ex *priori* classe quidam de *virium cœlestium decremento* accipiunt. Quemadmodum enim vestis a prima sua integritate paulatim mutatur, ac quotidiano usu & vetustate deteritur; ita quoque *cœli instar vestimenti* veteraſcentes, Psalm. CII. 27. viribus suis, quas in sublunaria obtinent, deficient. Testatur enim experientia, superiorum corporum cœlestium efficaciam in hæc inferiora non esse tantam, quanta fuit superioribus seculis. c) Quidam per virtutes cœlorum ipsum firmamentum ac stellas, omnem cœli militiam, planetas omnes, adeoque ipsos cœlos fortes ac robustos intelligunt, ut *virtutes cœlorum* sint per hypallagen hebræam cœli virtutum, id est, virtutibus pollentes seu firmissimi, quos dicunt *commovendos*, id est, e superiore & naturali loco demittendos; existimant enim machinam cœli aliquot milliaribus hodie inferiorem esse, quam fuerit tempore Ptolomæi. Tradunt quidam matthematici, eccentricitatem solis, id est, terra distat, minorem esse fere quarta parte quam fuerit. Ptolomæi seculo, ex quo colligunt, solem hodie nobis viciniorem esse 9976. milliaribus Germanicis. d) Quidam per *virtutes cœlorum* intelligunt stellas in certo ordine ac cursu dispositas virtutem suam in hæc inferiora exserit, ac stellæ progrediuntur in sua virtute, sicut homo libere in terris obambulans. Quando destituitur homo virtute, tum concidit, ita quoque quando virtutes cœlorum infirmabuntur, tunc stellæ de cœlo cadent. e) Hieronymus, Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus in comm. Augustinus serm. CXXX. de temp. per *virtutes cœlorum* intelligunt angelos, qui Hebræis dicuntur צבאי השמים hi ergo *commovebuntur*, id est, admiratione & horrore concutientur, cum videbunt, maximam naturæ mutationem fieri. Sicut filius tremit, quando patrem iratum in servos animadvertere videt. Lombardus lib. IV. sentent. dist. 48. Sed quia Lucas pro causa anxiæ trepidationis & exspectationis hominum subiicit: *nam virtutes cœlorum commovebuntur*; ideo angelorum invisibilium invisibilis admiratio vix potest intelligi, adde quod commotio illa virtutum diem iudicii sit præcessura, angeli autem in ipso iudicio dicuntur terrore commovendi. f) Quidam angelorum commotionem sic exponunt, quod *ad iudicium sese comparabunt*, cum Christus venturus sit in gloria cum omnibus angelis. Sed Christo propositum est visibilia novissimi diei signa tradere. g) Bessæus conc. II. de extremo iudicio: *Virtutes cœlorum commovebuntur, id est, motores angeli cœlos deferent, errareque finent.* Similiter Barradius dicto loco. Sed hypothesis de intelligentiis orbium cœlestium motricibus nondum est demonstrata. h) Cum per *cœlum naturae* a cœlo gratiæ & gloriæ distinctum in scripturis intelligatur tota regio aerea & ætheria, quæ ab aquis & terra usque ad lunæ orbem sese exporrigit, ideo per *commotionem virtutum cœlestium*, id est, cœlorum firmissimorum, quidam intelligunt insignem aliquam in cœlo æthereo & aereo mutationem & mirabilem eius faciem, ut sic denotentur inusitata chasmata, cœmetæ turbines, ventorum grandines, pluviæ san-

guineæ, horribiles tempestates, novæ stellæ, infausti & horrendi adspectus, adeoque omnia, quæ in ætherea & aerea regione extraordinaria, insolita ac præternaturalia contingunt. i) Qui *allegorias* sectantur, virtutum spiritualium in cœlo gratiæ, id est in ecclesia motionem intelligunt. Confer Ambrosium lib. X. in Luc. pag. 151. Secundam & octavam expositionem reliquis probabiliorem esse iudicamus.

4) *Signum Filii hominis.*

§. CI. 4) *Et tunc adparebit signum Filii hominis in cœlo*, Matth. XXIV. 30. Quartum igitur σημειον erit *signi Filii hominis in cœlo conspectus.* a) Quidam per *signum Filii hominis* intelligunt ipsum Filium hominis, tanquam signum certissimum adventus eius ad iudicium, sicut Abraham dicitur accepisse *signum circumcisionis*, id est, ipsam circumcisionem, Rom. IV. 11. cui interpretationi probabilitatem quærunt ex eo, quod loco huius signi apud reliquos evangelistas Marc. XIII. 26. Luc. XXI. 27. dicitur: *Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube;* ac quod in scripturis novum non sit, Christum vocari *signum*, Esai. VII. 14. Luc. II. 34. Origenes tract. XXX. in Matth. *ipsam Christi redeuntis maiestatem & gloriam signi loco futuram* arbitratur. b) Quidam per *signum Filii hominis* intelligunt & ipsum Filium hominis, sed phrasin aliter explicant: *Adparebit signum Filii hominis*, id est, Filius hominis signatus, corpus Christi vulneribus signatum, adparebunt signa passionis, videlicet cicatrices vulnerum in latere, manibus, pedibus glorificati Christi corporis, *videbunt enim eum, quem pupugerunt*, Zach. XII. 10. Apoc. I. 7. Confer auctorem imperf. operis in Matth. hom. XLIX. Sed Matthæus distincte dicit: *Adparebit signum Filii hominis in cœlo, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli.* c) Quidam accipiunt de speciali quadam claritate ac radio quodam igneo, qui immediate Christi adventum præcedet, & in momento per universum orbem sese extendet. Hieronymus in comment. Matth. XXIV. ait, fore *aliquod vexillum victoriae triumphantis*, cui adfinis est sententia Chrysostomi homil. de cruce & latrone, quæ Augustino tribuitur & est sermo CXXX. de temp. *sicut imperatorem* (ait) *regalis pompa praecedit, & militaris ordo praeeundo vexilla humeris portare consueverunt, & his eius declaratur adventus: sic Domino de cœlo veniente angelorum cœtus & archangelorum multitudo illud signum portant humeris excelsis, & regalem nobis adventum nunciant.* d) Quidam signum accipiunt pro significatione, ut sit sensus, fideles hisce prodigiis esse excitandos & admonendos, ut Filium hominis e cœlo reducem exspectent. Sed Christus aliquod distinctum a prioribus signum exponere videtur. e) Quidam hoc sensu accipiunt, quod *Christus denunciet, se ultimo illo adventu palam emersurum, ut cœlesti potentia praeditus quasi signo in sublime erecto ad se convertat totius mundi intuitum, sicut principes seculi in pugnam egressuri signa proferunt, ad quae milites spectant.* Sed hæc expositio quoad sensum coincidit cum prima & secunda. f) Plerique veterum hoc accipiunt de *signo crucis*, quod cum summa claritate sole & luna obscuratis in cœlo adpariturum statuunt, tum *in consolationem fidelium*, quia agnoscent signum victoriæ, quo sunt redemti; tum in *condemnationem infidelium*, ut agnoscant iniuste se Christum crucifixum reiecisse. Hippolytus martyra in orat. de con-

consummat. mundi & antichristo, Methodius in orat. de mund. consumm. Cyrillus Hierosolymit catech XV. Chrysostomus homil. LXXVII. in Matth. Hilarius, Hieronymus, Theophilactus, Euthymius & Beda in comm. Matth. XXIV. quin & Ephremus peculiarem orationem scripsit de *adparitione crucis tempore iudicii*, ac Sibylla libr. VI. oracul. ita canit:

O lignum felix, in quo Deus ipse pependit,
Nec te terra capit, sed cæli tecta videbis,
Cum renovata Dei facies ignita micabit.

Chrysostomus d. l. *Crucem secum habet, ut peccatum Iudaeorum fine accusatore condemnetur. Veluti si quis lapide percussus ipsum lapidem vel cruentas vestes in testimonium ostendat.* Thomas in comm. Matth. XXIV. addit, *crucem ideo in iudicio conspiciendam, ut significetur iudiciariam potestatem per crucem esse comparatam, & ut indicetur, eum esse iudicem, qui a Iudaeis crucifixus est.* Nec iniuria quis cogitare possit, crucem adparituram tanquam fontem omnis gloriæ, quæ in die iudicii piis obtinget, quia Christi in cruce passio & ignominia est summa piorum gloria. g) Quidam de *nova & insolita stella* adventus dominici prænuncia hoc intelligunt. *Si scrutemur*, ait Hunnius in comm. Matth XXIV. *quodnam fuerit signum Filii hominis in primo adventu eius, cum Filius Dei fieret hominis filius, certe stellam fuisse omnino fatendum est, quae in aetherea regione fulgens humanae ipsius nativitatis fuit nuncia. Cum ergo hoc fuerit signum Filii hominis in primo adventu, a vero non alienum est statuere, quod secundi adventus signum itidem futurum sit miraculosa quaedam stella. Eiusmodi vero nova stella anno 1572. & 1573. in sidere Cassiopeae adparuit, ac copia sui luminis omnes firmamenti stellas superavit, quod tantum fuit miraculum, quantum a mundi inde exordio in aetherea regione vix fuit conspectum.*

§. CII. II) De signis *intra nos* Christus sic loquitur: *Erit in terris pressura gentium prae stupore*, Luc. XXI. 25. *exanimatis hominibus prae timore & exspectatione eorum quae orbi superventura*, v. 26. Συνοχη proprie est, *coarctatio, angustia & anxietas*, απο τε συνεχειν quod est *constringere, continere, coarctare.* 2 Cor. II. 4. Θλιψις και συνοχη καρδιας coniunguntur. Verbum συνεχεσθαι usurpatur de *adflictione corporis* per morbos. Matth. IV. 24. Luc. IV. 38. Act. XXVIII. 8. de *coangustatione urbis* per obsidionem undique cinctæ, Ier. LII. 4. Luc. XIX. 43. de *custodia captivorum*, Luc. XX. 63. & de *angustia & anxietate animi*, Luc. VIII. 37. XII. 50. Phil. I. 23. sensus igitur est, quod talis futura sit hominum anxietas, qualis est eorum, qui arcta obsidione cinguntur, ut non pateat fugæ locus, qui in carcere conclusi a custodibus diligenter observantur, ne fuga sibi consulant, qui febrium calore æstuantes in lectulo se circumvolvunt &c. In mœstitia cor quasi constringitur ac comprimitur, ideo ingens animi consternatio συνοχη hoc loco adpellatur. Nonnulli codices pro συνοχη legunt αναγκη, quod necessitatem ac vim illatam denotat. Syrus reddidit per אולצנא *angustia, molestia*, ab radice אלץ *constrinxit, adflixit, molestavit, cruciavit*, ac paraphrastice addidit *complosionem manuum.* Απορια proprie significat *perplexi-* *II) Intra nos.*

plexitatem, *consilii penuriam*, *dubitationem ac desperationem*. Syrus reddidit per *stuporem ac terrorem*. Quidam ad sequentia referunt εναπορια ηχησης θαλασσης, ut sit sensus præ *desperatione resonante mari & fluctu & arescentibus hominibus*, qua ratione per quamdam prosopopæiam απορια mari tribueretur. Sed præstat referre ad præcedentia, ex illa enim συνοχη, qua homines ante noviſſimum diem opprimentur, orietur απορια, ut nesciant quo se vertere, quidve agere debeant. Αποψυχειν proprie est *exanimari*, ac semel tantum in tota scriptura hoc loco usurpatur, ut peculiaris anxietas significetur. Thucydides libr. I. histor. de Pausania: και μελλοντα αυτα αποψυχειν, *cum prope esset, ut exanimaretur*. Sophocles in Aiace: απεψυξε βιον, *efflavit animam*. Syrus perquam emphatice: *Et tremor extrudent animas filiorum hominis prae metu &c.* Potest etiam pressura εν απορια *in dubitatione vel desperatione* sic accipi: *erit pressura maxime angusta*, adeo ut ad desperationem propemodum inducat, iuxta canonem Hebraici idiotismi: *Substantivum post praepositionem saepe ponitur pro adiectivo*. Sensus igitur est, quod homines pene exanimandi sint præ metu malorum, quæ orbi superventura erunt. Ad hanc συνοχην, απορίαν και αποψυχησιν referri etiam potest, quod apud Matthæum XXIV. 30. additur, *& tunc plangent omnes tribus terrae*, quia planctus ille non tantum complectitur horribilem illum ploratum impiorum, qui ad conspectum Christi iudicis in die noviſſimo ita trepidabunt, ut ex terroribus illis se recolligere nequeant, de quo Zach. XII. 11. Apoc. I. 7. VI. 17. sed etiam tristem & anticipem illam malorum exspectationem quæ orbi superventura esse, ex horribilibus illis signis homines colligent, sic enim apud Matthæum verba ordinantur: *Et tunc adparebit signum Filii hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terrae, & videbunt Filium hominis venientem &c.* quamvis quidam coniunctionem και causaliter exponant, plangent, *quia* videbunt Filium hominis. Verbum κοψονται ingentis doloris & plangoris significationem habet; sensus enim est, quod homines tanto dolore adficiendi sint, *ut plangant*, id est, ipsimet sese & *femora sua feriant*, quod in graviſſimo luctu apud Iudæos fieri solebat, Ierem. XXXI. 19. Κοπετος dicitur *planctus* in funere Stephani Act. VIII. 2. Syrus utitur verbo ספד, *subsiliit* præ dolore & mœstitia, nam pedibus terram percutere vim doloris significat. Homerus odyss. VI. de Iro. *compressit autem dentes*, λακτιζων ποδι γαιαν, *pede terram calcitrando pulsans*. Ambrosius lib. X. in Luc. pag. 151. hunc interiorem dolorem & planctum exteriorem in impiis duntaxat locum habiturum existimat. *Varii*, inquit, *animorum aestus ita graves erunt, ut delictorum multitudine male conscii futuri iudicii metu sacri in hominibus fontis ros arescat, aret enim perfidia, virtus rorat*. Ambrosium hac in parte sequitur Bartscius domin. II. advent. pag. 92. & Bernhardus Textor Calvinianus. Sed alii, inter quos familiam ducit b. noster Lutherus in post. domest. rectius statuunt, ne pios quidem ab hac animi anxietate & metu prorsus immunes futuros, id quod ex causis procatareticis eiusdem colligi potest. Causæ enim erunt 1) *irae divinae severitas*, quam horribilibus illis signis noviſſimum diem præcessuris magis magisque patefecit. Sap. V. 18. *Accipiet armaturam zelus eius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum*. Rom. I. 18. *revelatur ira Dei de*

de cœlo super impietatem &c. 2) *Diaboli tyrannis ac crudelitas.* Is enim, quia novit pauxillum temporis sibi adhuc restare, omnia in mundo conturbare ac ima summis permiscere adnitetur, Apoc. XII. 12. excitabit horrendas persecutiones, bellorum tumultus, odia privata &c. 3) *Extrema hominum impietas*, quia *abundabit iniquitas, refrigescet vero caritas*, Matth. XXIV. 12. *Non erit veritas, non misericordia, non scientia in terris.* Oseæ IV. 2. *Erunt illusores dicentes: ubi nunc promissio adventus?* 2 Petr. III. 4. &c. In hanc deploratam mundi perversitatem & supinam hominum securitatem pii animum suum defigentes, non poterunt non magnopere commoveri scientes, μεγαλων αδικματων μεγαλας ειναι τιμωριας. Sicut de Sodomitis dicitur, quod *iustam animam Lothi iniquis suis operibus cruciaverint.* 2 Petr. II 8. 4) *Pœnarum congeries & multiplex calamitas*, qua universus orbis premetur. Cumulabuntur enim mala tum *publica*, ut persecutiones, prælia, tumultus, tum *privata*, eaque tam *interiora*, ut angores animi, pavores, anxiæ solicitudines &c. quam *exteriora*, ut coniugum dissidia, liberorum & domesticorum inobedientia, ασωτγια, perfidia, omnium rerum penuria; turbabitur status ecclesiasticus per hæreses & schismata, per contemtum ministerii ac verbi, per negligentiam ecclesiæ doctorum & inobedientiam auditorum; status politicus per seditiones & bella, per contemtum magistratus, per rapinas ac fraudes publicas; status œconomicus per rei familiaris difficultates, per contemtum parentum, per negligentiam in domestica educatione &c.

§. CIII. III) De signis *infra nos* in creaturis elementaribus dicitur: *erit sonitus maris & fluctuum*, Luc. XXI. 25. ηχος proprie est *sonitus repercussus* sive resonans. Proinde ηχος θαλασσης και σαλου erit sonus ex commotione & repercussione fluctuum in tempestate & ventorum procellis exortus. Σαλος Græcis proprie est ora maris, in qua stant naves ad anchoras, quæ ad littus accedere non possunt, ab αλς *mare*, inde Latinorum *salum*, quod non tantum usurpatur pro *subiecto*, videlicet ipso mari, sed etiam pro *adiuncto*, videlicet pro *tempestate maris*, in qua fluctus a procellis ventorum agitati allidunt scopulis ac littori, unde illud poetæ:

III) Infranos.

Perque undas superante salo. . . .

Euripides in Iphigenia de terræ motu usurpavit: χθονος δε νωτα σειθηναι σαλω, *telluris dorsa fuisse quassata motu*, quia post terræ motus sequi solent tempestates in mari. Quidam, ut superius etiam monuimus, coniungunt hæc verba βχωσης θαλασσης cum præcedenti απορια, ut per προσωποποιιαν mari tribuatur, quod præ anxietate moveatur ac fluctuet, sicut homo in anxietate discurrit. Sap. V. 23. *Excandescet in illos aqua maris, & flumina concurrent duriter.* Sicut terra concussione sui testatur se nolle amplius ferre peccatorum molem; sic mare horrendis fluctibus testatur, quod nolit imposterum commerciis hominum nil nisi carnales voluptates sectantium sese idoneum & aptum præbere. Gregorius libr. XXI. moral. cap. 16. *Tempestas cum oritur, prius lenes undae, & postea flumina maiora concitantur, ad extremum fluctus se in alta erigunt, & navigantes quosque ipsa sua altitudine subvertunt; sic illa extrema properat tempestas animarum, quae mundum subruat. Nunc enim bellis & cladibus quasi quibusdam un-*

dis ſua nobis exordia oſtendit, & quanto ad finem quotidie propinquiores efficimur, tanto graviora irruere tribulationum flumina videmus. Ad extremum vero commotis omnibus elementis ſuperveniens iudex finem omnium adportat, quia videlicet tunc tempeſtas fluctus in cœlum levat; eo nimirum omnia illa ſigna a Chriſto prænunciata collimant, quod tota rerum univerſitas ante diem iudicii ſit commovenda, turbanda, coanguſtanda, ſicut homo morti propinquus eiusmodi commotiones & perturbationes ſentit. Atque hi ſunt *gemitus illi creaturarum*, de quibus apoſtolus Rom. VIII. 19. & ſeqq. differit. *η αποκαραδοκια*, inquit, *ſolicita exſpectatio creaturae*, vehemens & anxia illa exſpectatio, qua velut exſerto capite omnes creaturæ exſpectant *revelationem filiorum Dei*, *απεκδεχεται deſiderat advehentarg.* v. 22. *Scimus quod omnis creatura nobiſcum ingemiſcat ac parturiat, συστενάζει και συνωδίνει.* Cum enim die noviſſimo repentinus ſuper impios venturus ſit interitus, *ſicut dolor parturientem inexſpectato adprehendit*, Theſ. V. 3. apoſtolus univerſis creaturis tales *ωδινας* tribuit, quibus diem noviſſimum tacita quadam voce expoſcunt, in quo regeneratio filiorum Dei ſubſequetur, Matth. XIX. 28. Luc. XX. 36. Omnes creaturæ erunt velut quidam præcones homines ad tribunal Chriſti citantes & futuram mundi *πανολεθριαν* per ſuas anguſtias denunciantes. *Multa enim debent praecedere mala, ut malis malum valeant fine fine nunciare*, ait Gregorius homil. XXXIV. ſuper evangel. Sicut poſt ſolis occaſum circa veſperam *horror magnus & tenebroſus* Abrahamum invadebat, quo ſignificabantur adflictiones & anxietates poſteritatis, Gen. XV. 12. ſic circa mundi veſperam omnes creaturas præſertim rationales quidam ſtupor & horror invadet. Euchurius Lugdunenſis libr. II. in Geneſin cap. 20. *Significat iam in fine ſeculi per ignem iudicandos eſſe carnales. Sicut enim adflictio civitatis Dei, qualis antea nunquam fuit, qua ſub antichriſto futura ſperatur, ſignificatur tenebroſo timore Abrahae, ſic circa ſolis occaſum, id eſt; ad ipſum iam finem ſignificatur iſto igne dies iudicii dirimens carnales per ignem ſalvandos & in igne damnandos.* Sicut liberationem Iſraelitarum ex Ægypto multa præceſſerunt prodigia, ita finalem filiorum liberationem in die noviſſimo ſecuturam ſimilia ſigna antecedent, Lactantius lib. VII. inſtitut. cap. 15. quorum collationem cum plagis Ægyptiacis oſtendimus in poſtill. dominica II. advent. Sicut primum Chriſti in carnem adventum anteceſſerunt tempora luctuoſa, ſic ante ſecundum eiusdem ad iudicium adventum in omnibus vitæ ordinibus erit ſtatus mœſtiſſimus ac turbatiſſimus.

Cur Chriſtus haec ſigna prædixerit.

§. CIV. Atque hæc ſunt noviſſimi diei prænuncia ſigna, quæ Chriſtus fine eo prædixit, ut eſſent 1) *ſui erga nos amoris demonſtrativa.* Amici ac benevoli animi iudicium eſt, de futuris malis aliquem præmonere; cum ergo Chriſtus de futuro iudicio concionetur, antequam ingruat, & ſigna eiusdem prognoſtica nobis exponat, eo ipſo ſuam *φιλανθρωπιαν* & animum ſalutis noſtræ cupidum demonſtrare voluit. Ex ſcripturis diſcimus, Chriſtum triplici modo gladium myſticum geſtare. Primo quidem *accinctum*, Pſam. XLV. 4. ſecundo *in ore*, Apoc. I. 16. tertio *in manu*, Pſalm. VII. 13. quo ſignificatur Dei in puniendo progreſſus. Primo enim habet gladium accinctum oſtendendo ſuam potentiam, ut terreat; deinde gladium in ore ponit *comminando*, ut deterreat; tandem vero

vero cum neutrum sufficit, gladium vagina exuit ac vibrat, *ut percutiat*, Exod. XV. 9. Ezech. V. 12. Sic ergo etiam hoc loco, quando Christus signa iudicii pronunciat, *ex ore eius gladius progreditur*, quia ex amore prius praemonet ac deterret, quam gladium ultionis vibret, minatur antequam feriat; terret, priusquam percutiat; qua de re Basilius in expos. Psalm. 7. eleganter sic disserit: *Comminatorius sermo est, non statim minatur vulnera, plagas, mortes, sed armorum vibrationem velut praeparationem quamdam ad ultionem intentat. Quemadmodum ergo qui arma abstergunt ac poliunt, pugnae mox ineundae atrem adfectum & alacritatem significant, sic & sermo hic Dei motum ad ultionem ostendere volens, gladium illum vibrare dixit.* Pii veteres etiam hoc observant, quod Apoc. I. 16. & 20. *gladium in ore* sed *stellas in manu* Christus gerat, quia promtior est ad benefaciendum quam puniendum, ac supplicio comminatur, beneficia autem re ipsa confert. 2) *securitatis expulsiva.* Audimus secuturum esse iudicium, si verbis illis fidem habere nolumus, intueamur signa, quae in oculos omnium incurrunt, & diem illum censorium in propinquo esse evidenter demonstrant. Quaecunque a prophetis de primo Christi adventu eiusdemque circumstantiis praedicta, ea in nov. testam. exordio omnia sunt completa; credamus igitur etiam ea, quae de secundo Christi adventu in prophetici & apostolicis scriptis praedicta exstant, suo tempore certo esse complenda, cum signa inter oculos & manus omnium versentur. Gregorius homil. I. in evangel. *Quid terrores, quos cernimus, nisi sequentis irae praecones dixerimus? unde & considerare necesse est, quia ab illa tribulatione ultima tanto sunt istae tribulationes dissimiles, quantum a potentia iudicis persona differat praeconis.* Confer Augustinum epist. XLII. ubi eodem modo contra empaectas & Epicuraeos concludit. Neque solum ex illis signis futurum aliquando iudicium discimus, sed etiam in propinquo illud esse intelligimus. Quando ficus emittit folia & grossos, aestatem prope adesse cognoscimus, ita cum signa a Christo & apostolis praedicta quotidie magis magisque impleri videamus, noverimus, quod venturae vitae *aestas sit in ianuis*, Matth. XXIV. 32. & 33. Marc. XIII. 28. & 29. Luc. XXI. 29 30. & 31. *Faciem caeli diiudicare nostis, signa autem temporum non potestis*, dicebat olim Christus ad Pharisaeos signa primi in carnem adventus sui non observantes, Matth. XVI. 3. eodem modo ad Epicuraeos & illusores dicere possumus. Faciem terrae diiudicare nostis, signa autem novissimorum temporum non consideratis. Omnis certe excusationis praetextus horum signorum praedictione impiis est ademtus, cum diu ante fuerint a Christo praemoniti, antequam ad iudicium comparuerint hisce praeconibus citati. 3) Περιεργιας *alexipharmaca.* Signa iudicii prognostica Christus praedixit, sed certum iudicii diem determinare noluit; illud proficit ad expellendam ex animis nostris *securitatem*, ne decretorium ac censorium istum diem longe adhuc abesse cogitemus; hoc vero ad tollendam *curiositatem*, ne id, quod Deus in sua potestate ac scientia posuit, temere scrutari audeamus. Quemadmodum mors certa est, sed incerta mortis hora; sic novissimum iudicium aliquando secuturum certum est, sed hora iudicii incerta est & hominibus ignota. *Veniet Filius hominis ea hora, qua non putabitur venturus*, Matth. XXIV. 44. Luc. XII. 46.

fruſtra igitur certum diem & horam definimus, qua eum venturum ſperemus. *Quando homines dicent pax & ſecuritas*, id eſt, interprete Auguſtino epiſt. LXXX. ad Heſychium, quando remoto omni timore arridente mundi felicitate in peccatis ſecure pergent, ac iudicii tempus procul adhuc abeſſe cogitabunt, *tunc repentinus illius ſuperveniet interitus*, 1. Theſſ. V. 3. huic hominum ſecuritati pulvinar ſubſternunt, quotquot calculis ſuis nimium confiſi diem iudicii in aliquot ſecula reiiciunt. 4) Μικροψυχιας *remedia.* Hiſce *fieri incipientibus* inquit Chriſtus Luc. XXI. 28. ανακυψατε, *reſpicite & attollite capita veſtra ſcientes, quod adpropinquet redemtio veſtra.* In terris omnia tunc erunt turbata & confuſa, e cœlo igitur liberationem exſpectate. Ipſa mala, quæ vos adfligent ac prement, proxime inſtantis liberationis ſigna erunt. Quemadmodum preſſura Iſraelitarum in Ægypto quo magis augebatur & intendebatur, eo prius liberationem adeſſe ſignificabat; ſic quo plura & terribiliora mala piis obtingunt, eo magis diem απολυτρωσεως και αναψυξεως accelerant. Atqui hi ſunt fines primarii, propter quos noviſſimi diei ſigna a Chriſto prædicta; ſecundarii eorum fines ſtatui poſſunt, quod ſint veræ deitatis Chriſti & ſalutaris eius officii quin & divinæ providentiæ teſtimonia, iræ divinæ prænuncia adverſus crucis & ſectarum ſcandalum munimenta, & argumenta evidentia abſolutum decretum reprobatorium confutantia.

§. CV. Anthitheſis.

Antitheſis Hiſce ſignis a Chriſto & apoſtolis traditis quidam non contenti præter & extra ſcripturam alia diei noviſſimi ſigna proferunt. 1) *Iudaei*, referente Hieronymo Abulenſi q. 325. in Matth. Thoma in ſupplem. q. 73. art. 1. Richardus lib. IV, ſent. diſt. 48. artic. 1. q. 3. *quindecim ſigna* quindecim diſtinctis diebus iudicium antegreſſura recenſent. 1) *Omnia maria exaltabuntur quindecim cubitos ſuper montes.* 2) *Omnia aequora proſternentur in profundum, ita ut vix videre queant.* 3) *Redigentur in ſtatum antiquum.* 4) *Beluae omnes & alia, quae moventur in aquis, congregabuntur & lavabunt capita ſuper pelagus more contentionis invicem mugientes.* 5) *Omnes volucres cæli congregabuntur, in campis invicem plorantes, non guſtantes aliquid nec bibentes.* 6) *Flumina ignea ſurgent contra firmamentum, ab occaſu ſolis uſque ad ortum corruentia.* 7) *Omnia ſidera errantia & fixa ex ſe ſpargent comas ſicut Cometae.* 8) *Erit magnus terrae motus, ut omnia animalia proſternantur.* 9) *Omnes plantae ſanguineum dabunt rorem.* 10) *Omnes lapides parvi & magni dividentur in quatuor partes, unaquaque aliam tollidente.* 11) *Omnes colles & montes & aedificia in pulverem redigentur.* 12) *Omnia iumenta venient ad campos de ſylvis & montibus rugientia & nihil guſtantia.* 13) *Omnia ſepulcra ab ortu ſolis uſque ad occaſum patebunt cadaveribus ad reſurgendum.* 14) *Omnes homines de tabernaculis recedent non intelligentes, neque loquentes, neque diſcernentes.* 15) *Omnes morientur & reſurgent cum mortuis longe ante defunctis.* Hæc dubio procul pii Iudæorum maiores de ipſo iudicii die, in quo & mortuorum reſurrectio & totius mundi conſummatio ſequetur, prædixerunt, ſed poſteri in alienum ſenſum detorſerunt, quaſi diem iudicii ea omnia ſint anteceſſura, unde etiam Thomas *parum veri ſimilitudinis* illis ſignis ineſſe cenſet. Thomæ veſtigiis inſiſtit Richardus lib. IV. ſent. diſt. 48. artic. 1. quæſt. 3. *Quamvis*, in-

inquit, *incertum sit utrum signa praedicta praecessura sint iudicium cum ibi sint quaedam, quae parum habent veri similitudinis, tamen certum est, quod aliqua signa sint praecessura.* Lutherus in comm. Genes. VIII. tom. I. fol. 141. *Hic textus*, (cunctis diebus terra non cessabit sementis) *tamen notandus est contra vulgatas opiniones de signis praecessuris extremum diem. Ibi enim nescio quot dierum eclipses fingunt, nugantur toto septennio nullam mulierem partituram, &c. sed manebunt istae vices naturae, neque ulla unquam eclipsis totum diem hominum oculis adimet.* Chemnitius vocat fabulas ad alendam in animis hominum securitatem excogitatas. Ex eodem ludaicae traditionis fonte promanant signa, quae in quarto libro Esdrae, qui ipsorum etiam pontificiorum saniorum consensu apocryphus est, cap. VI. 20. & seqq. commemorantur. *Cum superfignabitur seculum, quod incipiet pertranfire, haec signa faciam: Libri aperientur ante faciem firmamenti & omnes videbunt simul*, v. 21. *& anniculi infantes loquentur vocibus suis, & praegnantes immaturos parient infantes trium & quatuor mensium, & vivent & suscitabuntur.* v. 22. *& subito adparebunt seminata loca non seminata, & plena promtuaria subito invenientur vacua.* v. 23. *& tuba canet cum sono, quam cum omnes audierint, subito expavescent.* v. 24. *& erunt in illo tempore, debellabunt amici amicos ut inimici, & expavescet terra cum his, & venae fontium stabunt, & non decurrent in horis tribus.* v. 25. *& erit omnis qui derelictus fuerit ex omnibus istis, quibus praedixit tibi, ipse salvabitur & videbit salutare meum, & finem seculi vestri.* v. 26. *Et videbunt, qui recepti sunt homines, qui mortem non gustaverunt a nativitate sua, & mutabitur cor inhabitantium, & convertetur in sensum alium.* v. 27. *delebitur enim malum & exstinguetur dolus.* v. 28. *Florebit autem fides, & vincetur corruptela & ostendetur veritas, quae sine fructu fuit diebus tantis.*

§. CVI. 11) *Sibyllae* in suis oraculis similia fere signa iudicii enumerant. Eusebius lib. V. de vita Constantini cap. 18. f. 226. & Augustinus libr. XVIII. de civ. Dei cap. 23. in principio adducunt vaticinium *Sibyllae Erythraeae*, cuius ακροστιχις, hoc est, primarum in versibus literarum series hanc exhibet sententiam: ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΙΣΤΟΣ ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ ΣΩΤΗΡ. Graeca apud Eusebium sic habent:

Ιδρωσει γαρ χθων, κρισεως σημειον οτι εσαι,
Ιξει δ' ηρανοθεν βασιλευς αιωσιν ο μελλων
Σαρκα παρων κριναι πασαν και κοσμον απαντα.
Οψονται δε θεον μεροπες πιστοι και απιστοι
Υψιστον μετα των αγιων επι τερμαχρονοιο
Σαρκοφορον, ψυχας δ' ανθρωπων (forte ανδρων) επι βηματικρινει
Χερσ@ οτε αν ποτε κοσμ@ ολ@ και ακανθαγενηται.
Ριψωσιν τ' ειδωλα βροτοι και πλουτον απαντα
Ιχνευων ρηξει τε πυλας ειρκτης αιδαο.
Σαρξ τοτε παση νεκρων ες ελευθεριον φα@ ηξει
Τους αγιους ανομους τε το πυρ ακωσιν ελεγξει
Οπποσα τις πραξας ελαθεν, τοτε παντα λαλησει,
Στηθεα γαρ ζοφοεντα θεος φοσηρσιν ανοιξει,
Θρην@ δε εκ παντων εσαι και βρυγμ@ οδοντων,

Εκλενψει σελας ηελιω, αστρων τεχορειαι,
Ουρανον ειλειξει, μηνης δε τε φεγγος ολειται,
Υψωσει δε φαραγγας, ολει δ υψωματα βενων,
Υψος δ ουκ ετι λυγρον εν ανθρωποισι φανειται.
Ισα τ ορη πεδιοις εσαι, και πασα θαλασσα
Ουκ εις πλειν ηξει, γηγαρ φρυχθεισα κεραυνω
Συν πηλαις ποτ μοι κακλαζοντες λειψουσι,
Σαλπιγξ ουρανοθεν φωνην πολυθρηνον αφησει
Ωρυομενα μυσος μελλον και πυματα κοσμω,
Ταρταρεον δε χαος τοτε δειξει γαια χανουσα,
Ηξουσιν δ επι βημα θεω βασιληες απαντες,
Ρευσει δ ουρανοθεν ποταμος πυρος, ηδε γεθειω.

Iudicii signum, tellus sudore madescet.
E cœlo rex adveniet per secla futurus,
Scilicet ut carnem praesens & iudicet orbem,
Omnis homo fidusque Deum infidusque videbit
Una cum sanctis excelsum fine sub aevi
Sede sedens animas censebit, corpora & ipsa.
Chersos erit mundus, spinas feret undique tellus.
Reiicient simulacra homines & munera Ditis.
Inquirens portas infringet carceris atri,
Sic etenim veniet lux cunctae libera carni.
Tunc Sanctis: Ignis fontes aeternus aduret.
Occultos actus omnes tunc quisque loquetur,
Sed tenebrosa Deus colluſtrans pectora pandet.
Threnus erit cunctis & stridor dentis adesi.
Effugiet solis iubar, astrorumque choreae.
Omne poli lumen solvetur & aurea luna.
Valles extollet, collesque a vertice perdet.
Usquam nec celsum mortalibus aut grave quidquam.
Inde aequi montes campis, hinc cærula Ponti
Omne ratis spernent onus, hiscet flumine tellus,
Sic fontes simul arescent & fluminis alvei.
Stridula tum querulum sonitum tuba fundet olympo,
Orbis grande malum rugiens & damna futura.
Tartareumque chaos monstrabit terra dehiscens,
Et venient omnes reges Domini ante tribunal
Resluet & cælo tunc sulphuris amnis & ignis.

Alia horum versuum paraphrasis Latina exstat apud Augustinum d. l. in qua literæ initiales non exprimunt illud, quod Græca acrostichis designat. Wolffg. Musculus in editione Latina Eusebii itidem aliam adornavit versionem, in qua series literarum initialium hanc exhibet sententiam: *Iesus Christus Dei Filius Servator.* Similes versiones vide apud Onophr. Panvinium in lib. de Sibyllis & Sibyllarum carminibus & Godefredum Viterbiensem in lib. de omnibus Sibyllis.

§. CVII.

§. CVII. III) *Patres* itidem peculiaria quædam iudicii ſigna tradunt Irenæus libr. V. cap. 30. *Cum vaſtaverit antichriſtus omnia in mundo regnans annis tribus & menſibus ſex, & ſederit in templo Hieroſolymitano, tunc veniet Dominus de cœlis.* Lactantius lib. VII. inſtitut. cap. 15. *Romanum nomen, quo nunc regitur orbis, tolletur de terra, & imperium in Aſiam revertetur, ac rurſus oriens dominabitur, atque occidens ſerviet.* Libr. eiusdem cap. 19. *Antequam Chriſtus ad iudicium deſcendat, hoc ſignum dabit: Cadet repente gladius e cœlo, ut ſciant iuſti ducem ſanctae militiae deſcenſurum, & deſcendet comitantibus angelis in medium terrae & antecedet eum flamma inexſtinguibilis, & virtus angelorum tradet in manus iuſtorum multitudinem illam, quae montem circumſederit, & concidetur ab hora tertia uſque ad veſperam, & fluet ſanguis more torrentis, deletisque omnibus copiis, impius ſolus effugiet, & peribit ab eo virtus ſua. Hic eſt autem, qui adpellatur antichriſtus, ſed ſeipſe Chriſtum mentietur, & contra verum dimicabit, & victus effugiet, & bellum ſaepe renovabit, & ſaepe vincetur, donec quarto praelio confectis omnibus impiis debellatus & captus tandem ſcelerum ſuorum pœnas luat &c.* Severus Sulpitius in vita Martini, & Bonfinius lib. V. decad. 1. referunt, Martinum de fine ſeculi conſultum reſpondiſſe, *Neronem & antichriſtum prius eſſe venturos, ad occidentem alterum, alterum ad orientem late dominaturum, Neronem ad occaſum decem reges ſubacturum, ut colant idola, antichriſtum Hieroſolymis imperaturum, urbem eum templo reſtituturum, Chriſtianos in. ſectaturum, ut a fide Chriſti deficiant, ſeque Chriſtum Dei Filium credant, Neronem totumque orbem huic ſane ceſſurum, & eo uſque regnaturum, donec a Chriſto adveniente proteratur.* Auguſtinus lib. XX. de civit. Del cap. 30. *In illo iudicio vel circa illud iudicium has res didicimus eſſe futuras: Heliam Thesbiten, fidem Iudaeorum, antichriſtum perſecuturum, Chriſtum venturum iudicaturum, mortuorum reſurrectionem, bonorum malorumque diremtionem, mundi conflagrationem eiusdemque renovationem, quae omnia quidem ventura eſſe credendum eſt, ſed quibus modis & quo ordine veniant, magis tunc docebit rerum experientia, quam nunc valet conſequi ad perfectum hominum intelligentia. Puto tamen eo, quo a me commemorata ſunt, ordine eſſe ventura.* Plura eiusmodi occurrunt apud Hippolytum *de conſumm. ſecul.* Methodum *de rebus, quae ab initio mundi contigerunt, ac deinceps contingere debent*, Ephremum lib. de *conſummat. ſeculi & antichriſto*, Andr. Cæſarieſem, *in comm. Apocal.* & alios. Sed de his & ſimilibus patrum coniecturis notandum 1) quod *vaticinia, antequam habeant efficaciam*, hoc eſt, priusquam ipſo eventu explicentur, *hominibus ſint aenigmata & ambiguitates cum autem venerit tempus & evenit quod prophetatum eſt, tunc liquidam & certam habent expoſitionem*, ut ex Ierem. XXVIII. 1. loquitur Irenæus lib. IV. adverſ. hær. ſeſ. cap. 43. *In noviſſimis diebus*, inquit Dominus apud Ieremiam XXIII. 20. *intelligetis intellectum.* Danieli in ſpecie præcipitur XII. 4. *ut claudat ſermones ſuos, & obſignet librum uſque ad tempus ſtatutum.* Facile igitur piis veteribus condonandum, quod de antichriſto & fine mundi tam dubia & incerta tradiderint. 2) Quod ipſimet ſuis coniecturis hac in re haud multum tribuant. Auguſtinus lib. XX. de civit. Dei cap. XIX. *Nos qui neſcimus, quod illi Theſſalonicenſes ſciebant, pervenire cum labore ad*

id

id, quod sensit apostolus, cupimus nec valemus, praesertim quia & illa, quae addidit, hunc sensum faciunt obscuriorem. Quid enim est, iam mysterium operatur iniquitatis? *tantum qui modo tenet, teneat. Ego prorsus, qui dixerit, fateor me ignorare. Suspiciones tamen hominum, quas vel audire vel legere de hac re potui, non tacebo. Quidam putant de imperio Romano dictum fuisse &c. sed multum mihi mira est haec opinantium tanta praesumtio &c.* in quem locum Ludovicus Vives notat, *patrum hac in re fuisse duntaxat leves conjecturulas.* Idem Augustinus libr. eiusd. c. 23. sine circuitione scribit: *Vereri me sane fateor, ne in decem regibus, quos tanquam decem homines videtur inventurus antichristus, forte fallamur, atque ita ille inopinatus adveniat, non existentibus tot regibus in orbe Romano.* 3) Quod posteriores sine diligenti examine opinionum ad scripturae normam institutа priores fuerint secuti, ut res ipsa ostendit. 4) Quod plurimi ex illis chiliasticum aliquod regnum ante mundi finem exspectaverint, id quod pontificiis nuda patrum auctoritate scripturae suffragio destituta nos premere cupientibus merito opponitur.

§. CVIII. IV) Hasce incertas patrum conjecturas & opiniones extra ac praeter scripturam excogitatas cupide amplectuntur *pontificii*, ac pro immotis fidei articulis ecclesiae eas obtrudunt; unde ante novissimum iudicium multa adhuc exspectant, quae cum nondum fuerint impleta, ideo procul adhuc illud abesse somniant. Prodromi illi ante novissimum diem secundum ipsorum hypothesin secuturis temporibus exspectandi hi sunt. 1) *Universalis evangelii praedicatio.* Recte quidem inter signa iudicii hoc refertur, ut superius ostendimus, sed pontificii duobus modis circa hoc signum a veritatis tramite aberrant: *primo* quidem, quod talem praedicationem somniant, quae futura sit *absolute universalis*, ita ut nullus sit in toto terrarum orbe futurus angulus, in quo non uno eodemque tempore ipso actu evangelium praedicetur; *secundo* quod evangelium nondum in toto mundo praedicatum, ac proinde etiam hoc signum nondum completum esse adserunt. Bellarminus lib. III. de Pontif. Roman. cap. 5. *Quod antichristus nondum venerit probatur ex signo antecedente antichristum. Scripturae testantur, in toto mundo praedicandum evangelium, antequam veniat ultima persecutio, quae excitabitur ab antichristo. Atqui nostro tempore non esse praedicatum evangelium in toto mundo, experientia docet &c.* Et postea: *Si non proprie, sed per Synecdochen deberet praedicari evangelium in toto mundo, nihil valeret illud signum, quia eo modo primis viginti annis fuit praedicatum evangelium ab apostolis in toto mundo.* Sed ostendimus superius §. 90. hoc signum iam dum esse completum. 2) *Imperii Romani omnimoda desolatio.* Statuunt pontificii, Romanum imperium penitus prius abolendum, adeo ut nec nomen imperii, vel imperatoris Romani maneat reliquum, antequam antichristus veniat & mundi finis succedat, id quod ex Daniel VII. & 2 Thess. II. & Apoc. XVIII. probare conantur Bellarminus lib. III. de pontif. Rom. cap. 5. Scioppius in syntagm. de antichristo p. 45. Iosephus a Costa libr. II. de noviss. temp. cap. II. p. 462. & reliqui omnes. Respond. distinguendum inter *insignem Romani imperii labefactationem & omnimodam eiusdem desolationem.* Prius antecessurum concedimus, ac iamdum factum esse superius ostendimus, posterius vero ante diem novissi-

simum adhuc exspectandum esse negamus. Fatetur ipse Bellarminus, Dan. II. describi *successionem quatuor regnorum sive monarchiarum*, quarum successio futura sit usque ad finem mundi, quomodo ergo quarta monarchia ante mundi finem penitus abolebitur? Propheta diserte adserit duraturum regnum ultimum, *donec lapis a monte sine manibus abscissus comminuat ac consumat universa regna*. Quæ de *cornu parvulo* ex cornibus decem enato Dan. VII. prædicuntur, per Turcicam tyrannidem iamdum sunt completa, ut Ioh. Antius Viterbiensis, Vatablus & Hector Pind. recte exponunt. De loco 2 Thess. II. dictum fuit superius. Apoc. XVII. 3. *mulier* notat antichristum, *bestia* Romanum imperium, at mulier insidet bestiæ, ergo Romanum imperium ante adventum mulieris sive antichristi non est destruendum. Minuetur quidem imperii potentia & maiestas, non tamen prorsus abolebitur. v. 8. *Bestia erat, & non est, & tamen est.* 3) *Terræ sanctæ recuperatio.* Scioppius in synt. de antich. p. 45. scribit, *ante tempora antichristi, & sic etiam ante Christi ultimum adventum Turcicum imperium penitus exstinctum iri, terramque sanctam rursus a christianis secure habitatum iri.* Sed hæc opinio ex chiliastarum de mundano Christi regno & Iudæorum de reductione in terram Canaan somnio exorta pugnat cum scripturæ oraculis, quæ Hierosolymam negant esse reædificandam. Dan. IX. 27. *decretum est, quod perseverabit desolatio.* Ierem. XIX. 11. *Sic conteram populum istum & civitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest ultra instaurari.* v. 12. *Sic faciam loco huic, ait Dominus, & habitatoribus eius, & ponam civitatem istam sicut Tophet.* Esai. XXV. 2. *Posuisti civitatem in tumulum, ut non sit civitas & in aeternum non aedificetur.*

(Quidam hoc vaticinium de excidio Babylonis rectius accipi arbitrantur, sed in cap. præced. de pœnis Iudæorum expresse agitur.) Matth. XXIII. 38. *Relinquetur domus vestra deserta.* Quomodo Iudæi iussu apostatæ Iuliani Hierosolymam pristino loco reædificare conantes divino miraculo fuerint repressi, notum est ex Eusebio lib. IV. histor. cap. 6. Socrate libr. III. cap. 20. Sozomeno lib. V. cap. 22. 4) *Enochae & Eliae praedicatio.* Bellarminus lib. III. de pont. cap. 6. *Enoch & Elias ad hoc vivunt, ut venienti antichristo sese opponant, electos in fide Christi conservent, & tandem Iudaeos convertant, quod tamen nondum est impletum.* Pro qua opinione stabilienda adducit dicta quædam scripturæ Malach. IV. Sir. XLIV. & XLVIII. Matth. XVII. Apoc. XI. Blasius de Viega in comm. Apoc. XI. sect. 6. p. 451. *Non potest absque errore in fide negari, venturos Enoch & Eliam temporibus antichristi.* Similia occurrunt apud Costerum in conc. dem. IV. part. II. p. 75. Resp. hæc opinio est a) ἀγραφος, quæ enim pro ea adstruenda adferuntur scripturæ dicta, in alienum detorquentur sensum. Malachias loquitur de *Iohanne baptista*, spiritu Eliæ instructo, ut angelus nativitatem eius nuncians, Luc. I. 17. & Christus ipse, Matth. XI. 14. exponunt. Siracides est extra canonem, ac loquitur secundum receptam illius temporis opinionem. Adde quod in versione vulgata minus commode textus Græcus sit redditus, qui sic habet: Ενωχ ευαρεστησεν τω Κυριω, και μετετεθη υποδειγμα μετανοιας. Matth. XVII. 10. Elias dicitur adhuc *venturus*, sed statim subiicitur: *dico vobis Heliam iam venisse, ac fecerunt ei, quaecunque voluerunt.* Apoc. XI. *duorum testium* in genere, non autem Eliæ & Enochi in specie fit mentio.

b) Est αντιγραφος, quia quos Deus ad paradisi gaudia transtulit, illos velut in carcere quodam ad mortem sustinendam reservari praesupponit; quos Deus participes fecit coelestis gloriae, illos obnoxios fore statuit morti ignominiosae ab antichristo ipsis inferendae. c) *Desistuitur unanimi veterum suffragio.* Hilarius can. XX. in Matth. & Victorinus in Apoc. XI. negant, *Enochum* futurum secundi adventus Christi praecursorem. Substituunt autem illis *Mosen & Ieremiam.* Hippolytus martyr in orat de consumm. seculi Dorotheus, Cyri episcopus, & Simeon metaphrastes in vita Iohannis Enocho & Eliae coniungunt. *Ioannem theologum.* d) *Est Iudaica.* Hieronymus in Malach. IV. *Iudaei & iudaizantes haeretici ante πλειμενον suum Eliam putant esse venturum & restituturum omnia, unde & Christo in evangelio proponitur quaestio: Quid quod Pharisaei dicunt, quod Elias venturus est? quibus ille respondet, Elias quidem veniet & si creditis, iam venit, in Elia Iohannem intelligens.* e) *Ab ipsis pontificiis sanioribus repudiatur.* Ianssenius in comm. Ecclesiastici XLIV. Sixtus Senensis bibl. sancta p. 576. &c. Catharinus in comm. Gen. II. & Ioh. Arboreus lib. XI. theosophiae cap. 11. coniungunt illis *Mosen*, quem una cum Enocho & Elia secundi adventus Christi praecursorem fore statuunt. Inde Ioh. Frider. Lumnius de vicin. extrem. iudicii lib. I. cap. 14. p. 80. de Eliae socio dubitanter loquitur. *Pro certo*, inquit, *tenere debemus, quod Elias cum Henoch vel cum Mose, ut quidam opinantur, venturus sit.* Augustinus Eugubinus in recogn. vet. test. in Gen II. ut & Catharinus in opusc. de consummata gloria Christi, *Enochum & Eliam beatifica visione frui, & in corporibus glorioss in coelo regnare* adserunt. Atqui stante hac hypothesi, non potest dici, quod ab antichristo sint occidendi. f) *Sibi ipsi non constat.* Quaerunt enim patroni huius opinionis, *an Enochus & Elias sint in statu merendi?* Pererius lib. VII. comm. in Gen. utramque partem tuetur. Suarez. in Thomam part. III. q. 59. art. 6. disp. 55. sect. I. probabilius existimat, *eos iam se extra statum merendi;* illo magno conatu se opponit Blasius se Viega in Apocal. XI. comm. V. sect. 5. p. 445. Quaerunt *an terrestri paradiso illi adhuc vivant?* Scholastici communi suffragio adfirmant, quos sequitur Bellarminus, sed Engubinus d. l. Iansenius in conc. evang. cap. 143. Hieronymus ab Oleastro in Genes. Catharinus d. l. Genebrardus lib. I. chronol. aetat. 1. Benedictus Pererius tom. I. in Genes. lib. III. disp. 1. q. 5. & lib. VII. quaest. ult. Suarez. d. l. Blasius de Viega in Apoc. p. 447. contrarium defendunt, videlicet *paradisum iam non existere, sed aquis diluvii obrutum & plane dissipatum periisse, neque adeo Enoch & Eliam in eo esse.* Sed hac de re alibi plenius agetur. 5) *Urbis Romae ac totius orbis a pontifice defectio.* Dominicus a Soto lib. IV. sent. dist. 46. q. 1. art. 1. per αποστασιαν, de qua apostolus 2. Thess. II. 3. loquitur, disputat *accipiendam esse duplicem discessionem, unam ab imperio civili & temporali, alteram a potestate spirituali & ecclesiastica, quam Romanus pontifex obtinet;* ac priorem discessionem iam exstare adserit, cum temporale Romanae urbis imperium iam cessaverit, posteriorem adhuc exspectari per defectionem totius orbis a sede Romana Sed huius signi nulla in scripturis exstant vestigia. Defectio *a fide apostolica* inter signa ultimi adventus numeratur, 1. Tim. IV. 1. quo sensu etiam quidam accipiunt vaticinium Pauli, 2. Thess.

Thess. II. 3. sed defectionem a *sede Romana* esse antichristi vel diei novissimi signum, nuspiam legimus. Interim probe notari iubemus, quod Dominicus a Soto fateatur, *defectionem ab imperio Romano per translationem potestatis civilis in Romanum Pontificem iamdum esse factam*, 6) *Antichristi cuiusdam utopici ac imaginarii praesentatio.* Pontificii longe alium anticbristum exspectant, quam eumqui a Christo, Daniele, Paulo & Iohanne vivis coloribus nobis est depictus. Somniant enim de eo 1) quod sit futurus singularis quædam persona. 2) Quod sit nasciturus ex tribu Dan, adeoque natione futurus Iudæus, ac proinde circumcidendus. 3) Quod ex fornicaria mnliere, non autem ex legitimo matrimonio sit nasciturus, 4) & quidem in Babylone. 5) Quod educandus sit in Chorazin & Bethsaida. 6) Quod sit regnaturus in Capernaum. Quidam tamen probabilius censent, quod *Hierosolymis* sedem regni sit habiturus, ac templum Salamonis reædificaturus. Alii initia regni eius in Babylone quærunt. Alii tradunt, quod Palatium suum extructurus sit iuxta Nicopolin seu Emaus inter lacum Asaphaltitem & mare mediterraneum, atque inde ad verticem montis Oliveti progressurus, ut Hierosolymam occupet, & solium imperii sui in ea figat. 7) Quod præcursorem habiturus sit eloquentissimum quempiam concionatorem. 8) Qnod regnum eius futurum sit amplissimum opulentissimum ac potentissimum omnium regnorum mundi, quæ unquam fuerunt. 9) Interim tamen idem forte brevissimum, quia regnabit duntaxai annos tres cum dimidio. 10) Quod sacrificium missæ & omnes publicas Christianæ religionis ceremonias sit aboliturus. 11) Quod gravissimam & manifestissimam persecutionem adversus Christianos sit exerciturus, cum in exercitu eius omnes impii sint futuri & aperto Marte ecclesiam oppugnaturi. 12) Quod nomen & character eius sint ignota. 13) Quod a Iudæis pro Messia sit recipiendus. 14) Quod persuasurus sit mundo, Iesum salvatorem nostrum non esse verum Christum, se vero esse verum Christum in lege & prophetis promissum, quodque adfirmaturus sit se esse Deum & pro Deo colendum. 15) Quod futurus sit magus & occulte diabolum adoraturus. 16) Quod secundum literam facturus sit, ut ignis de cœlo descendat, , utque imago bestiæ loquatur, ac quod simulaturus sit, se mori & resurgere. 17) Quod pugnaturus sit cum tribus regibus, nimirum Ægypti, Lybiæ & Aethiopiæ, atque eorum regna illis devictis occupaturus. Itemque quod subacturus sibi sit alios septem reges, & eo modo monarchiam totius mundi occupaturus, quin & cum innumerabili exercitu toto orbe christianos oppugnaturus ac persecuturus, ac inter eos Enochum & Eliam interfecturus. 18) Quod tandem dehiscente oliveti monte ab archangelo Michaele ligatus in infernum vivus sit præcipitandus. 19) Quod die post antichristi mortem 45. Christus ad iudicium e cœlis sit rediturus. Hasce pontificiorum de utopico antichristo ineptias ex parte probat Hieronymus Zanchius, quando in tract. de fine mundi tom. VII. operum col. 85. sic scribit: *etsi non nego, regnum papae esse regnum antichristi, quatenus in eo permulta defenduntur, quae ex diametro pugnant cum doctrina Christi, ac proinde etiam non inficier, ipsum papam, dum regnum illud pugnans cum Christi regno defendit, & doctrinae Christi sese pertinaciter opponit, esse antichristum, negari tamen non potest, tanquam*

scilicet probabile, quin sub finem seculi futurus sit quidam homo in ecclesia Christi, qui reliquos omnes antichristos malitia, potentia &c. superet, quique editurus sit miracula, & de hoc nomine aliquis contendere poterit vaticinium illud Iohannis Apoc. XI. adde & Danielis de tribus annis cum dimidio Dan. XI. quibus ille regnaturus dicitur, intelligi posse. col. LXXXVIII. addit, quod *in novissimo illo antichristo, qui sub finem seculi venturus est, habiturus sit satan seu omnis plenitudo malitiae, sicut in Christo habitat plenitudo divinitatis corporaliter.* Sed de anilibus istis pontificiorum nugis in quæstione de antichristo ex professo tractatur. 7) *Ligni crucis redintegrati in cœlo adparitio.* Thomas Waldens. tom. III. de sacrament. lib. tit. 20. cap. 158. disputat, *eamdem illam crucem ligneam, cui Christus adfixus fuit, & nunc in minimas particulas toto orbe divisa est, iterum divinitus reformandam & in cœlo adparituram.* Hanc opinionem amplectuntur Gregorius de Valent. tom. IV. comm. col. 3313. Bessæus conc. IV. de extrem. iudicio part. V. Joh. Osorius tom. II. conc. p. 915. Blasius de Viega in Apoc. I. p. 42. atque ad eam adcommodant, quod in festo inventionis crucis ecclesia Romana canit: *hoc signum crucis erit in cœlo, cum Dominus ad iudicandum venerit.* Nec crucis duntaxat lignum, sed & alia passionis dominicæ instrumenta ac monimenta *ut columnam, clavos, funes, coronam spineam &c.* ab angelis tunc ferenda statuunt. Thomas in opusc. II. cap. 244. *Veniente Domino ad iudicium signum crucis & alia passionis insignia demonstrabuntur.* Viguerius cap. 21. §. 2. *Dicunt contemplavi, quod inferiores angelorum ordines Christum praecedent, & alii sequentur secundum dignitatem suam. Primus infimi ordinis portabit crucem in hac processione. Primus angelus secundi ordinis portabit funes, quibus ligatus fuit Dominus. Primus tertii ordinis feret flagella & virgas. Primus quarti feret columnam. Primus quinti ordinis vestem, qua illusus est. Primus sexti clavos. Primus septimi spongiam. Primus octavi hostiam. Primus noni coronam spineam &c.* Petrus Thyræus lib. de glorios. Filii Dei adparit. cap. 12. putat, *angelos in iudicio portaturos crucem, clavos & similia passionis Christi instrumenta*, idque egregio confirmat argumento, *pictorum* scilicet *arte.* Non deest, qui statuat, *crucis signum in frontibus omnium iustorum tunc adpariturum.* Sed huius rei nullum in scripturis occurrit testimonium. Barradius tom. III. conc. evang. lib. IX. cap. 12. dicta veterum pro hac opinione adlata de *signo crucis* rectius accipi disputat, ac tandem concludit: *certius est crucem ex aëre vel nube splendidissima effectam in cœlo adparituram supra locum iudicii magnitudinis tantae, ut ab omnibus possit cerni.* 8) Denique *mundi conflagrationem* immediatum & proximi iudicii signum fore statuunt, qua de re quid statuendum sit in principio tractatus de morte in quæst. de ordine novissim. dictum fuit. Coronidis loco notetur, quod Josephus a Costa lib. IV. de novissim. cap. 5. *duo signorum genera* constituat, unum, quod *omnibus hominibus futurum sit obvium & expositum, quod non tam signum interitus sit, quam initium certum & inchoata mors mundi, quo in genere sint cœlestium luminarium illa tristissima obvelatio, maris fluctus efferatissimi, caeterorumque intolerabilis furor in genus humanum, atque omnium maxime ignis illius undique grassantis immanitas, quae cum mortales intuebuntur, etiam tardissimi & sceleratissimi diem irae & furoris nullo pacto poterunt;* alterum genus eorum esse dicit, *quod soli docti probique perspicient, quale sit regnum antichri-*

christi, *praedicatio Eliae*, *caedes illius ferae &c.* Atqui 1) Christus omnibus tam indoctis quam doctis, tam impiis quam piis, tam infidelibus quam fidelibus eadem adventus sui signa proposuit, perinde ut apostolus Rom. I. 14. *se insipientibus ac sapientibus* idem verbum praedicasse adserit, ac 2) generalem conclusionem subiecit, Marc. XIII. 37. *Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate.* 3) Finis praedictionis ad omnes pertinet, ut scilicet ad hoc iudicium sese praeparent. Ergo praedictio etiam ad omnes spectat. 4) Ac si antichristi persecutio ex hypothesi pontificiorum erit non solum gravissima, sed & notissima ac manifestissima, utique ergo etiam indocti non minus quam docti antichristum adveniisse cognoscent. 5) Signa iudicii duntaxat a sapientibus, id est, piis & Deum timentibus observantur, illi enim iis admoniti ad diem novissimum sese per preces & vigilantiam praeparant, reliquis in impoenitentia & impietate securae stertentibus; sed ex eo inferri non debet, quod ipsa signorum praedictio duntaxat sapientes & pios respiciat.

Quaeritur I) An Iudaei ante diem novissimum in terram Canaan reducendi sint?

§. CIX. Quaeritur hoc loco 1) *An Iudaei ante diem novissimum a suo exsilio in terram Canaan reducendi sint?* Deus Abrahae & ipsius posteritati terram Canaan hoc fine promiserat, ut esset *Messiae* ex illo populo nascituri *hospitium*, & *vitae aeternae* piis propter Christum promissae quidam typus ac *praeludium*; prius constat ex eo, quod in promissione Abrahae, Iacobo & Isaaco data haec duo perpetuo coniunguntur: *semini tuo dabo terram hanc, & in semine tuo benedicentur omnes gentes* Gen. XII. 3. & 7. XVIII. 18. XXII. 18. XXVI. 4. XXVIII. 13. & 14. hoc est, ideo posteritati tuae dabo terram Canaan, ut Messias, in quo & propter quem benedictio omnibus gentibus offeretur, certum nativitatis suae hospitium habeat, ac constet, ex quo populo Messias sit exspectandus. *Posterius* manifestum ex Psalm XCV. 11. ubi Israëlitis in terram promissam iamdum introductis alius in requiem aeternam ingressus obedientibus promittitur, ex quo epistola ad Hebraeos IV. 9. erudite colligit, *sabbatismum quemdam puto Dei adhuc esse reliquum*, cuius proinde typus ac praeludium duntaxat in introductione in terram Canaan praecesserit. Factum inde, ut postquam Messias iuxta promissionem exhibitus a Iudaeis repudiaretur, Deus ex antiquis illis & patriis sedibus eos extruderet, & regionem illam sub alienorum potestatem redigeret, ut publicum de exhibitione Messiae exstaret testimonium. Aequum igitur erat, ut Iudaei exemplo maiorum suorum admoniti, Christum vera fide reciperent & abiecto terrenae patriae amore ad coelestem Hierosolymam credentibus in Christum promissam toto corde adspirarent; sed ipsi praeconceptis opinionibus de terreno quodam & carnali regno per Messiam in his terris inchoando fascinati sperant per ipsum ex suo, in quo ultra mille & quingentos annos oberrarunt exsilio, in terram Canaan sese esse reducendos. Iudaicam illam opinionem ex parte fovent pontificii, dum antichristum in *templo Hierosolymitano* sessurum, & christianos in terra sancta secure habitaturos sperant, ut & Brigtmannus in notis apocalypticis. Sed huic somnio opponimus 1) *oracula prophetica*, quae testantur, Iudaeos a facie Dei propter contemtum Messiae ita abiiciendos esse, ut nunquam in patrias sedes reducantur, nec Hieroso-

lymam reædificare possint, sicut in liberatione ex Babylonica captivitate erat factum. Esai. XXIV. 19. *Confractione confringetur terra, adnodum male habebit terra, & dissipabitur terra, commotione commovebitur terra*, v. 20. *Agitatione agitabitur terra sicut ebrius, & auferetur quasi tabernaculum unius noctis, & gravabit eam iniquitas sua, & corruet, & non adiiciet, ut resurgat.* XXV. 2. *Posuisti civitatem in tumulum, urbem fortem in palalium alienorum, ut non sit civitas, & in sempiternum non aedificetur.* XXX. 14. *Comminuetur, sicut conteritur lagena figuli contritione pervalida, & non invenietur de fragmentis eius testa, in qua portetur ignis culus de incendio, aut hauriatur parum aquae de fovea.* (Rationem metaphoræ pulcre exponit Galatinus lib. IX. de arcan. cap. 4.) Ierem. VI. 30. *Argentum reprobum vocate eos, quia reprobavit eos Dominus.* VII. 14. *Faciam domui huic, super qua vocatum est nomen meum, sicut feci Siloh.* v. 15. *Proiiciam vos a facie mea, sicut proieci omnes fratres vestros universum semen Ephraim;* ubi per *semen Ephraim* intelliguntur decem tribus quia Rex earum Ieroboam erat ex tribu Ephraim; constat autem eas ex captivitate non fuisse reversas. IX. 11. *Dabo Ierusalem in acervos lapidum & cubilia draconum, & civitates Iudae in desolationem, ut non sit habitator.* XIX. 11. *Sic conteram populum istum & civitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest ultra instaurari.* v. 12. *Sic faciam loco huic, ait Dominus, & habitatoribus eius, & ponam civitatem istam sicut Tophet.* Dan. IX. 26. *Et civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis eius cum inundatione erit, & post finem belli statuta est desolatio.* v. 27. *Et decretum est quod stillabit super desolationem.* Oseæ IX. 15. *Propter malitiam adinventionum eorum, de domo mea eiiciam eos, non addam, ut diligam eos.* v. 17. *Abiiciet eos Dominus Deus meus, quia non audierunt eum, & erunt vagi in gentes.* Amos V. 2. *Cecidit & non adiiciet, ut resurgat virgo Israël.* Zach. XI. 6. *Ecce ego tradam homines unumquemque in manum proximi sui & in manum regis sui, & concident in terram, & non eruam de manu eorum.* 2) *Propriam Iudaeorum confessionem.* Chaldaica paraphrasis Ionathæ Oseæ IX. 15. sic habet: *propter malitiam operum eorum de domo sancta expellam eos, nec adiiciam misereri super eos.* In thalmud in libro ירמיה hoc est, *fratrìarum* in cap. quod incipit הארץ hoc est, *terra*, sic legitur ad verbum: *traditum est in libro* סדר עולם hoc est, *ordinis mundi scriptum esse.* Deut. XXX. *Et introducet te Dominus Deus tuus in terram, quam possederunt patres tui, & possidebis eam. Possessio namque prima & secunda fuit eis, tertia autem non erit.* Hoc ipsum in eodem libro *Seder olam* hoc modo quoque habetur: *scriptum est* Deut. XXX. *Et introducet te Dominus Deus tuus in terram, quam possederunt patres tui, & possidebis eam. Poteritne fieri, ut sit tertia possessio in futuro? docet quid sit ad hoc dicendum, id quod ait, quam possederunt patres tui, & possidebis eam. Possessionem enim primam atque secundam habituri erant, possessio autem tertia non erit eis.* Hæc traditio, ex qua Galatinus lib. IX. de arc. cap. 5. sic colligit: *cum Iudaei terram quondam suam bis tantum possessuri essent, ut ex his traditionibus aperte liquet, & eam iam olim bis possederint, nam primo quidem a tempore Iosuae usque ad primi templi eversionem, secundo vero a Zerubabelis & Esdrae temporibus usque ad ultimi templi incendium, vel usque ad Hadriani caesaris tempora eam possederunt, ut ex eorum scripturis multipliciter patet, ipsamque tertio tra-*

traditionibus praemissis attestantibus haudquaquam sint possessuri, ipsimet concedant necesse est, se nunquam amplius terram suam possessuros esse, & consequenter nec ad eam reversuros. Tertia terrae eorum possessio, quam ipsi frustra praestolantur, Saracenis in eorum opprobrium ad tempus danda erat. Sic enim Ezech. VII. 24. *praedictum: & adducam malos gentium, hoc est, Saracenos, & possidebunt terras eorum, & cessare faciam superbiam fortium, & hereditabunt sanctificata eorum.* Thalmud in libro *Sanhedrin* cap. 11. tradit, *decem tribus damnatas esse, & nullam partem habere in seculo venturo.* Quomodo ergo a Messia reducentur in terram Canaan? Rabbinus Samuel Marochianus in lib. de advent. Messiæ cap. 6. sic scribit: *propheta Amos ponit expresse quartum scelus venditionem iusti, propter quod fuimus in captivitate, de qua loquitur Deus comminans, quod non reducet nos ultra in terram promissionis, cum dicit: Et super quarto non transferam eos, quoniam vendiderunt iustum pro argento. Et manifeste adparet mihi, quod nos super illo peccato quarto venditionis iusti iuste sumus puniti. Iam sunt mille anni & ultra in quo tempore nihil proficimus inter gentes, nec est spes proficiendi amplius. Expavesco Domine mi, & timeo, quod iste Iesus, quem colunt christiani, sit ille iustus venditus pro argento secundum Amos prophetam.* 3) *Pontificiis* ex nov. test. opponimus duo vaticinia: prius est Christi, Matth. XXIII. 38. *relinquetur domus vestra deserta.* v. 39. *Dico enim vobis, non videbitis me donec dicatis: benedictus, qui venit in nomine Domini;* hoc est, politia ac templum vestrum manebunt eversa ac desolata usque ad finem mundi, quo venturus sum ad iudicium, quem adventum nonnulli ex vobis, per fidem scilicet ad me conversi, mihi gratulabuntur. Chrysostomus homil. in Psalm CXVII. Euthymius & Theophylactus in comm. Matth. XXII. ad Iudæos incredulos referunt, ut sit sensus: *Tunc etiam contra voluntatem vestram cogemini agnoscere, me esse eum, cui debetur honor iste, quem pueri in templo vestro mihi exhibuerunt, quemque mihi invidistis.* Confer Matth. XXVI. 64. Prædicitur ergo hoc loco Iudæis perpetua & ad finem usque mundi duratura templi ac totius regionis vastitas. *Posterius* est apostoli 1 Thess. II. 16. *Pervenit super illos* (Iudæos) *ira Dei usque in finem,* Quidam sic exponunt: occupavit eos ira ad extremum usque, hoc est, divinitus exitio sunt destinati, adversus Dei iram, ideo extremum ipsis brevi imminet exitium; sed commodius redditur: Pervenit in illos *ira extrema*, sive ad extremum, hoc est, implacabilis & nunquam desitura, 4) *Somnii huius Iudaici origiuem & absurditatem.* Origo & fons eius est opinio de terreno & carnali Messiæ regno, cui non solum fortissime adversatur scriptura, sed etiam vetustiores rabbini. Nam in *Keliiakan* cap. 34. aperte docetur, *omnia, quae ad Messiae officium spectant cælestia esse, & non corporalia.* Absurditas eius tanta est, ut opinionem illam recitasse sit eamdem refutasse. Somniant enim Messiam aliomonarcharum more in terris regnaturum, omnes gentes debellaturum, & Iudæos in terram Canaan reducturum, ibique omni rerum copia & adfluentia eos beaturum, cumprimis vero insigni quodam convivio excepturum, quod parandum sit de *Leviathan pisce* & *Behemoth tauro* utroque miræ magnitudinis, (Leviathan enim causam terræ motus credunt, si vel paulum in mari sese moverit) & vino de *Gan eden* seu paradiso, quod ibi reconditum servetur a mundi initio, itemque fructibus paradisiacis ali-

aliisque deliciis. Rabbinus Elias insuper addit *avem mirae magnitudinis*, quam adpellari dicit *Bar Iuchne* in libro *Thisbi*. Exacto vero longissimo vitae spatio atque imperio, auri, argenti, voluptatumque abundantia splendissimo, mortem obiturum, relictis successoribus regni in perpetuum. Targum in Cantic. 8. 2. & Aben Ezra ac Raschi in Pauschim. Tradunt insuper, demortuos Iudaeos tunc resuscitatum iri, ut fiant gaudii huius participes, eo tamen discrimine, ut qui in terra Israel sive Canaan mortui fuerint, absque dolore resurgant, qui vero alibi, necesse habeant magnis cruciatibus per loca subterranea devolvi usque in terram Canaan; tunc Iudaeos dicunt possessuros bona gentium, quae ultro sint venturae, ac ipsos curribus pensibilbus in terram Israel deportaturae, atque omnia servitia ad nutum praestituraе, ut haec & similia deliria ex *Abeath Rochel*, hoc est, libro specierum aromaticarum prolixe describit Helvicus elench. III. contra Iudaeos in capite secundo de offic. Messiae regio §. 1. & seqq.

§. CX. Urgent autem pro adstruendo hoc somnio quaedam scripturae dicta. Levit. XXVI. 41. *Inducam in terram hostilem, tunc humiliabitur cor eorum incircumcisum.* v. 42. *Et recordabor foederis mei, quod pepigi cum Iacob & Isaac & Abraham.* v. 44. *Attamen etiam cum essent in terra hostili, non penitus abieci eos, neque sic abominatus sum eos, ut consumerentur & irritum facerem pactum meum cum eis: Ego enim sum Dominus Deus eorum.* (In hoc textu mire tripudiant Iudaei, quem vocant *Simiam auream*, propterea, quod v. 44. incipiat ad Hebraea dictione ש quae Germanis *Simiam* sonat, & ex eo firmissime concludi posse arbitrantur, quod in terram Canaam aliquando sint reducendi.) Deut. XXX. 3. *Reducet te. Dominus Deus tuus de captivitate tua ac miserebitur tui, & rursum congregabit te cunctis populis, in quos te ante dispersit.* v. 4. *Si ad cardines caeli dissipatus, inde te colliget Dominus Deus tuus.* v. 5. *Atque adsumet, & introducet te in terram, quam possederunt patres tui, & obtinebis eam.* Esai. XI. 12. *Levabit Deus signum in nationes, & congregabit profugos Israel, & diversos Iuda colliget a quatuor plagis terrae &c.* Resp. 1) Ostendimus ex vaticiniis propheticis & ipsorum rabbinorum confessione, post secundam ejectionem e terra Canaan Iudaeos tertia vice nequaquam in illam reversuros esse. 2) Necessario igitur hae & similes promissiones de reductione in Canaan terrenam datae intelligendae sunt cum hac exceptione, quamdiu scilicet Iudaei erunt populus Dei, & quamdiu politia Iudaica durare debuit, videlicet usque ad exhibitum Messiam, ac implevit Deus has promissiones per liberationem Iudaeorum ex captivitate Babylonica, & eorum in pristinam terram sub Esdra & Nehemia restitutionem. Hodierni autem Iudaei non amplius sunt Dei populus, quia Messiam divinitus exhibitum repudiarunt, quo exhibito politia Iudaica finem habere debuit. 3) Cumprimis vero de spirituali reductione, qua per evangelii praedicationem Iudaei in regnum Christi sunt collecti & coelestis Hierosolymae cives facti sunt, hae promissiones sunt accipiendae. Quod probatur tum ex *conditione & natura regni Messiae*, quale enim illud, talis etiam speranda reductio. Sed regnum Messiae est spirituale, ut suo loco demonstratur, ergo & reductio. Tum ex *qualitate ipsarum promissionum* quia

quia Zach. II. 4. Hierosolyma tempore Messiæ *sine muro* seu instar illarum prædicitur habitanda, non ratione munitionis, sed *prae multitudine inhabitantium*, id quod de nulla terrena civitate dici potest, cum nulla unquam urbs tam vasta fuerit, ut muro circumdari non potuerit, unde v. 5. diserte additur, quod Dominus futurus sit *civitatis illius murus in circuitu*. Tum ex *phrasi loquendi prophetica*, quia prophetis in more positum, beneficia Messiæ cœlestia & spiritualia describere & adumbrare rebus corporalibus ac mundanis, adeoque de rebus nov. testamenti vaticinari verbis vet. test. sicut etiam de cultu spirituali nov. test loquuntur verbis ad legalem cultum pertinentibus, Esai. XIX. 20. LVI. 7. LX. 7. Malach. I. 11. &c. Tum ex *ipso complemento promissionum*, quia ne quidem in reductione ex captivitate Babylonica omnes corporalis huius beneficii facti sunt participes, cum multi in exsilio fuerint mortui. Tum ex *aliorum locorum collatione*. Oseæ III. 4. *Per dies multos sedebunt filii Israelis sine rege & sine principe & sine sacrificio.* v. 5. *Et posthaec revertentur, & quaerent Dominum Deum suum, & David regem suum*, hoc est, Messiam, a quo spiritualia beneficia, veram scilicet ac salutarem veri Dei cognitionem, peccatorum remissionem, Spiritus sancti donationem & regni cœlestis possessionem accipient. Tum denique ex *ipsorum rabbinorum confessione*. Reperiuntur enim nonnulli inter ipsos rabbinos, qui absurditate literalis sensus permoti agnoverunt דרך משל hoc est, *per modum parabolae* seu allegorice illa dicta esse intelligenda, ut videre est ex rabbino Mose Maimonide, quem *Rambam* vocant, ex rabbino Abraham & rabbino Kimchi in Esa. XI. & Raschi sive Iarchi super Esa. II. 2. 4) In promissionibus illis *conditio pœnitentiae* expresse additur, qua conditione negata non sit speranda exauditio; iam vero Iudæi ultra mille quingentos annos non sunt exauditi, ut reductionem in terram Canaan impetrarent, utique ergo conditio promissionibus addita nondum est impleta. Constat autem, quod per tot secula multa pœnitentiæ opera fecerint, adeo ut maiorem pœnitentiam in Iudaismo sese non posse agere fateantur, unde post recitatas multas precationes in libro precum suarum dicunt: *Domine Deus nescimus, quid porro amplius nobis praestandum sit*, quin & solennem annum *pœnitentialem* anno Christi 1502. instituerunt, quo omnes Iudæi per totum orbem magna devotione pœnitentiam egerunt, & tamen nihil impetrarunt. Agnoscant igitur pœnitentiæ suæ aliquam necessariam & essentialem partem deesse, videlicet veram in Christum fidem, ac proinde ad eum sese in vera pœnitentia convertant, ita recipientur a Deo in fœdus gratiæ ac spiritualium Messiæ beneficiorum reddentur participes, qua responsione adversus Iudæos utitur Helvicus in adpend. IV. elench. Iudaic. §. 22. Confer Galatinum lib. V. de arcan. c. 9.

§. CXI. Quæritur II.) *An universalis quaedam vel certe insignis Iudaeorum conversio ante diem novissimum exspectanda?* Adfirmant 1) *Multi ex veteribus*: Hilarius libr. XI. de Trinit. & in Psalm LVIII. Origenes in comm. Rom. XI. Augustinus libr. II. qq. evangel. quæst. XXXIII. Hieronymus, Ambrosius, Chrysostomus, Haymo, Lyranus in Rom. XI. &c. 2) *Multi ex nostris*: Hunnius, Winckel-

Quaeritur II) An universalis quaedam conversio Iudaeorum ante diem novissimum exspectanda?

ckelmannus in comm. Rom. XI. Haffenrefferus in templ. Ezechiel. pag. 313. Menzerus in anal. iſtius capitis §. 63. Balduinus in comm. Rom XI. part. II. quæſt. 3. Meiſnerus libr. IV. de legibus ſect. 1. quæſt. 18. &c. 3) *Pontificii fere omnes*: Ioh. Ferus in Geneſ. XXI. pag. 395. Socolovius libr. II. de eccl. cap. 5. Seraphinus Firmianus in enarrat. Apoc. XIV. 4) *Ex Calvinianis* Brocardus de Chriſti adventu, Beza, Paræus, Piſcator & alii in comment. Rom. XI. Quidam Ungarus, qui ſe vocat *Stephanum Pannonium* Belogradenſem anno 1608. ſcriptum edidit ſub titulo *de circulo operum & iudiciorum Dei*; in quo inter cætera ſic ſcribit: *Initium huius circuli operum & iudiciorum Dei in Iudaeis inceptum, in iisdem finiendum. Iudaeos, qui in απειθια, hoc eſt, contumacia nunc verſantur, ubi plenitudo gentium introierit, convertendos ad fidem chriſtianam, id quod fuit ante ultimam mundi απιςιαν, hoc eſt, incredulitatem, quae demum ſub finem mundi poſt converſionem Iudaeorum ſequetur, reformationem chriſtianiſmi in oriente futuram, prodromus converſionis Iudaeorum &c.* Heurnius in libr. de legat. evangel. ad Indos cap. 4. fol. 144. & ex eo Chriſt. Beſoldus in pentade diſſ. theolog. cap. 4. adducit plurima loca, utpote vaticinium Iacobi, Geneſ. XLIX. 17. 18. 19. & 26. quos verſiculos ſic exponit, quod Iacobus adnunciet *diſpergendis decem tribubus collectionem*, quodque tandem poſſeſſores ſuos ſint poſſeſſuri, quod ab ethnicis Iudæi in captivitatem ſint ducendi, ſed tandem captivantes ſe captivos ducturi, armis ſcilicet ſpiritualibus Dei ac Meſſiæ. Item vaticinium Bileami Num. XXIII. 23. *Temporibus ſuis dicetur Iacobo & Iſraeli, quid operatus ſit Deus.* Deut. IV. 30. *Invenient te illa omnia in noviſſimo dierum, & reverteris ad Dominum Deum tuum.* v. 31. *Quia Deus miſericors eſt, non deſeret te nec obliviſcetur pacti.* XXX. 3. *Et reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam, & miſerebitur tui, reducet & congregabit te ex omnibus populis, quo diſpergere te fecit Dominus Deus tuus illuc.* v. 6. *Et circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor ſeminis tui ad diligendum Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua.* v. 8. *Et tu reverteris, & obedies in voce Domini, & facies omnia praecepta eius*; hoc inquiunt in reductione ex captivitate Babylonica nondum impletum, ergo in converſione Iudæorum adhuc implendum reſtat. XXXII. 20. *Abſcondam faciem meam ab eis, & conſiderabo noviſſima eorum.* v. 36. *Iudicabit Dominus populum ſuum & in ſervis ſuis miſerebitur.* Eſa. XI. 11. *Et erit in die illa, adiiciet Dominus ſecundo manum ſuam ad poſſidendum reſiduum populi ſui, quod remanebit ab Aſſur & ab Ægypto &c.* v. 12. *Et elevabit vexillum gentibus, & colliget expulſos Iſrael, & diſperſos Iuda congregabit e quatuor plagis terrae.* XXVII. 12. *Et vos colligemini ad unum figillatim filii Iſrael.* v. 13. *Et erit, in die illa clangetur in tuba magna, & venient qui perditi fuerant in terra Aſſyriorum, & qui ejecti fuerant in terra Aſſyriorum, & qui ejecti fuerant in terram Ægypti, & adorabunt Dominum in monte ſancto in Ieruſalem.* XLIII. 5. *Ab oriente adducam ſemen tuum, & ab occidente congregabo te.* v. 6. *Dicam aquiloni, da; & auſtro, noli prohibere, adfer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terrae.* XLV. 22. *Reſpicite ad me, & ſalvi eritis omnes fines terrae.* v. 25. *In Domino iuſtificabitur & glorificabitur omne ſemen Iſrael.* LII. 8. *Oculo ad oculum videbunt, cum converterit Dominus Sion.* LIX. 20. *Veniet ad Sion redemtor, & ad redeuntes ab iniquitate*

tate in Iacob. LX. 1. *Surge, illuminare, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est &c.* Ierem. XVI. 14. 15. *Ecce dies venient, dixit Dominus, & non dicetur ultra: vivit Dominus, qui adscendere fecit filios Israel e terra Ægypti; sed vivit Dominus, qui adscendere fecit filios Israel de terra aquilonis & de terris universis, in quas expellere fecit eos.* XXIII. 3. *Ego congregabo reliquias pecoris mei de omnibus terris, quo expuli eas, & suscitabo super eas pastores, & pascent eas, & non timebunt ultra.* XXX. 3. *Ecce dies venient, inquit Dominus, & convertam captivitatem populi mei Israel & Iuda &c.* v. 9. *Et* servient *Domino Deo suo & David regi suo* (Chaldæus: *Christo filio David Regi suo*) XXXI. 1. *In tempore illo, dicit Dominus, ero in Deum universis familiis Israel, & ipsi in populum miki erunt.* v. 4. *Rursum aedificabo te, & aedificaberis virgo Israel.* XXXII. 37. *Ecce ego congregabo eos de universis terris, ad quas eieci eos in furore meo &c. reducam eos ad locum istum, & habitare eos faciam confidenter.* v. 39. *Et dabo eis cor unum & viam unam, ut timeant me universis diebus &c.* Ezech. XXXVI. 26. *Dabo vobis cor novum, & auferam cor lapideum.* Hos. I. 11. *Et congregabuntur filii Iuda & Filii Israel pariter, & ponent sibi caput unum, & adscendent de terra, quia magnus dies Izrehel sive seminis divini.* II. 7. *Israel sequetur amatores suos, & non adprehendet eos, quaeret eos, & non inveniet, & dicet: vadam & revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quam nunc;* hunc locum cum primis urget Origenes III. 4. *Dies multos sedebunt Filii Israel sine rege & principe, sine sacrificio & sine altari.* v. 5. *Et posthaec revertentur, & quaerent Dominum Deum suum, & David regem suum, & reverenter colent Dominum & bonitatem eius in novissimo dierum.* Targum Ionath. *parebunt Christo filio Davidis regi suo.* Amos IX. 14. *Convertam captivitatem populi mei Israel, & aedificabunt urbes desolatas, ac inhabitabunt, & plantabo eos super humum suam, & non evellentur ultra.* Mich. II. 12. *Congregando congregabo Iacob totum te, congregando congregabo residuum Israel.* IV. 6. *Congregabo claudicantem, & eam, quam eiecero, colligam, & quam adflixeram, consolabor.* v. 7. *Et ponam claudicantem in reliquias, & eam, quae laboraverat, in gentem robustam, & regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc & usque in aeternum.* Sophon. III. 10. *Ultra flumina Aethiopiae supplices mei filiam dispersionis meae offerent mihi in sacrificium.* Chaldæus: *E regionibus ultra flumina Indiae per misericordiam revertentur exsules populi mei, qui abducti fuerant, eosque adducent velut oblationes.* Zach. XII. 10. *Effundam super domum David & super habitatores Ierusalem Spiritum gratiae & precum, & adspicient ad me, quem confixerunt.* Malach. IV. 5. *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.* v. 6. *Et convertet corda patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum, ne veniam, & percutiam terram anathemate.* Addunt etiam 4. libr. Esdræ XIII. 32. *Erunt, cum fient haec, & contingent signa, quae ante ostendi tibi, tunc revelabitur filius meus Iesus.* v. 39. *Colligat ad se multitudinem pacificam.* v. 40. *Hae sunt decem tribus, quae captivae factae sunt de terra sua in diebus Osiae regis &c.* Præcipuum huius sententiæ robur petitur ex dicto apostolico Rom. XI. 25. *Nolo vos ignorare, fratres, mysterium hoc, ut non sitis inter vos ipsos sapientes, quia caecitas ex parte contigit Israeli, donec plenitudo gentium intraret,* v. 26. *Et sic omnis Israel salvus fieret, sicut scriptum est: veniet ex Sion,*

qui eripiat, ac avertat impietatem Iacob. In his verbis prædici insignem aliquam & pene universalem Iudæorum conversionem probant, 1) ex *adpellatione.* Apostolus hoc suum oraculum vocat *mysterium.* Atqui si nomine Israelis vel tota ecclesia ex Iudæis & gentibus collecta significaretur, vel pauci quidam ex gente Israelitica oriundi, apostolus nullum revelasset mysterium, quia aliquos ex Iudæis quotidie converti in propatulo erat. 2) Ex *scopi consideratione.* Propositum est apostolo, gentilium contra Iudæos insolescentium fastum deprimere; contra vero Iudæos peculiari quodam encomio ornare, & speciali consolatione erigere, ergo nomine *Israelis* non intelligit Israelitas secundum spiritum, sed secundum carnem. 3) Ex *termini ampliatione.* Diserte dicit apostolus, *ut totus Israel salvus fieret*; ergo non loquitur de parte quadam exigua populi Iudaici, sed de tota gente Israelitica. 4) Ex *vaticiniorum propheticorum adlegatione.* Quæ enim v. 26. & 27. ex vet. test. vaticinia adducuntur, ea non de singularibus quibusdam Iudæis, sed de ipsa multitudine populi loquuntur. 5) Ex *temporis descriptione. Cæcitas*, inquit Apostolus, *ex parte contigit Israeli, donec plenitudo gentium intraret.* Ergo postquam plenitudo gentium intravit, cæcitas a populo Israëlitico per universalem quandam conversionem auferatur, quia particularis quorumdam conversio etiam illo tempore, quo gentium plenitudo intrat, quotidie contingit. Huic loco apostolico conjungunt etiam alia nov. test. oracula. Luc. XXI. 24. *Ierusalem calcabitur a gentibus, donec impleantur tempora gentium.* Hunc locum urget Beda in comm. *Ierusalem*, inquit, *calcabitur ab his, qui non sunt Iudaei, donec impletum fuerit tempus, intra quod gentes ad fidem sunt vocandae, nec temere sperandum, Israelitas post tempora gentium impleta cœlestis Hierosolymae cives fore*, iuxta hanc interpretationem particula *donec* in verbis Christi sumitur *determinative.* 2 Cor. III. 16. *Cum ad Dominum se converterit Israel, auferetur velamen.* Apoc. VII. 4. videtur revelata fuisse sub extremis temporibus futura Israelis plena conversio, quando *quatuor angeli prohibentur nocere terrae & mari, donec obsignentur centum quadraginta quatuor millia servorum Dei in frontibus suis ex omnibus tribubus filiorum Israel.* Quod enim Israelitæ secundum carnem ibi intelliguntur, colligitur ex eo, quia Israelitæ signati discernuntur a signatis gentibus, populis & linguis reliquis v. 9. Subiungunt denique *rationes.* Neque enim verisimile est, Deum non fore tandem memorem fœderis cum maioribus Iudæorum, sanctis scilicet patriarchis initi, eosque odio perpetuo adversaturum. Adde quod ex populis antiquissimis soli Iudæi in tam variis casibus captivitate & dispersione servantur religione & qualicunque politiæ forma ab omnibus gentibus separati, quod videtur arguere, eos ad futuram aliquam insignem conversionem & salutem servari. Contra vero Lutherus tom. VIII. Ien. Germ. f. 119. tom. VIII. f. 54. tom. VII. f. 44. Cramerus de regno Christi part. II. c. 4. q. 6. & alii negant, eiusmodi universalem quamdam Iudæorum conversionem ante novissimum diem esse exspectandam, 1) propter *triplicem maledictionem*, cui iudæi sunt subiecti, primum *generalem*, Deut. XXVII. 15. deinde *propriam* sponte attractam verbis illis: *sit sanguis eius super nos & filios nostros*, Matth. XXVII. 25. ac denique *ipsius Christi* per os Davidis prolatam, Psalm LXIX. 25. CIX. 17.

17. 2) Propter *pertinacem mediorum conversionis ac salutis reiectionem.* Christum enim in suis synagogis blasphemant, vocantes eum *Thalui* & facta eius mentione subiiciunt, *deleatur nomen eius*, & in terram ter exspuunt, liberos suos iam inde a prima pueritia adsuefaciunt ad maledicendum Christo ac virgini Deiparæ, si quis ex verbo Dei ipsorum errores refellit, aures obturant &c. 3) *Propter Pauli praedictionem*, quod revelatio antichristi futurum sit ultimum Dei opus maxime memorabile ante mundi finem, 2 Thess. II. 8. at si inter antichristi revelationem & mundi finem universalis Iudæorum conversio intercedere deberet, apostolus non exposuisset proximum adventus Christi signum. 4) Propter *durationem vocationis gentium*, quæ Luc. XXI. 24. & 25. usque ad mundi finem videtur extendi. Euthymius in comm. *per tempora gentium* intelligit ea, *quae durabunt usque ad consummationem gentium totiusque mundi*, ut significetur Ierusalem nunquam recuperandam esse a Iudæis, sed eam possidendam a gentibus, quamdiu erunt gentes super terram, hoc est, usque ad finem mundi. Iuxta hanc interpretationem particula *donec* in verbis Christi accipitur *exclusive.* 5) Propter *paritatis rationem* in convertenda Iudæorum & gentium plenitudine. Ut enim conversio gentium non est facta simul & semel, sed successive, sic Iudæi sparsim & successive videntur convertendi, quod si omnes, qui a christianis, præsertim in Græcia convertuntur, cunnumerentur, multitudinem haud contemnendam constituent. Cum anno Christi 1412. Hieronymus de sancta fide, quondam Iudæus, sed ad Christum conversus, coram pontifice Benedicto XIII. & cardinalibus in frequentissimo christianorum & Iudæorum conventu librum adversus Iudæos a se scriptum publice in Hispania recitaret, ultra 5000. Iudæorum ad Christum sunt conversa, ut in frontispicio libri memoratur. 6) Propter *Christi & apostolorum praedictionem* de paucitate credentium & multitudine hæresium & corruptelarum sub finem mundi, qua de re diximus superius. Hisce rationibus permoti textum apostolicum Rom. XI. 25. accipiunt de *quadam Iudaeorum conversione* tempore nov. test. perpetuo durante, ut sit sensus, quod gratuita Dei electio non solum ad conversos ex gentibus, sed etiam ad Iudæos spectet. Quod attinet particulam universalem *omnis*, illam dicunt respicere ad diversa & inter se distincta tempora, videlicet ad tempus vet. test. ad primitivam ecclesiam & ad ecclesiam, quæ remotioribus ab apostolorum seculo temporibus futura est, ut significetur, hisce ultimis & proxime antegressis seculis Iudæorum aliquem accessum ad ecclesiam christianam esse futurum, non minus quam id factum iam erat apostolorum tempore, ut hac ratione *omnis Israel*, hoc est, tam ille, qui fuit in antiquis vet. test. temporibus, quam ille, qui in primitiva ecclesia vixit, imo & iste, qui nostris, hoc est, ultimis seculis victurus est, atque ita omnis omnium temporum Israel continuo ecclesiæ incremento salvandus, & ad Christi agnitionem perducendus sit. Quid ergo hac de re statuendum? 1) Talis Iudæorum conversio, qualem *chiliastae* sperant, futura non est, ut suo loco plene demonstrabitur. 2) Sed nec talis speranda, qualem *pontificii* per Henochi & Eliæ prædicationem exspectant, futura est. 3) Nec *absolute universalis* omnium omnino Iudæorum sperari potest conversio. Ut enim plenitudo gentium non notat singulas & universas gen-

tes ac singula earum individua, sed ingentem numerum ex gentilium populo: sic etiam per *omnem Israelem* non significatur universus populus Iudaicus & omnia illius individua, sed insignis quædam Iudaicæ gentis multitudo. 4) Qualis & quanta præcise futura sit Iudæorum conversio ante oraculi huius complementum, apodictice sciri nequit. Origenes in comm. Rom. XI. *Quis sit iste omnis Israel, qui salvus fiet, & quae erit ista plenitudo etiam gentium, unus solus novit & unigenitus eius &c.* Atque hæc dicta sint de signis iudicium antecessuris, quibus hoc addendum, quod proximum & immediatum antecedens iudicii futurum sit *mortuorum resurrectio & vivorum immutatio*, de qua in proximo articulo egimus.

§. CXII. IV) *Consequentia iudicii.* *Sequentia* iudicii sunt: 1) *piorum in cœlum subvectio, impiorum vero in infernum detrusio*, quæ superius etiam ad effecta referri posse diximus. 2) *Cœli terraeque conflagratio.* 2 Pet. III. 10. *Adveniet dies Domini ut fur, in quo cœli magno impetu transibunt, elementa calore solventur, terra autem, & quae in ipsa sunt opera, exurentur.* v. 12. *Properantes in adventum diei Dei, per quam cœli igne accensi solventur, & elementa ignis ardore tabescent.* Apoc. XX. 11. *Vidi thronum magnum candidum super eum, & sedentem, a cuius conspectu cœlum & terra, & locus non est inventus eius.* 3) *Principatum ac regnorum terrenorum destructio.* Dan. II. 45. *Lapis de monte abscissus sine manibus comminuit & testam, & ferrum, & aes, argentum & aurum.* 1 Cor. XV. 24. *Cum evacuerit omnem principatum & potestatem & virtutem.* Quidam de spiritualibus Christi & ecclesiæ hostibus potissimum accipiunt, *cum abolverit omne imperium* hoc est, cum subiecerit sibi omnes hostes abolita eorum potentia, videlicet satanæ, mundi, peccati & mortis. Sed potest utraque expositio commode coniungi. Laurent. Iustinianus de contemt. mundi cap. 36. *Tunc evacuabuntur principatus seculi, potestates principum, dignitates regiae, pontificiales infulae, opiniones hominum, favores populorum, & omne quod est, altum & decorum.* 4) *Plenaria mortis abolitio.* Esai. XXV. 8. *Absorbebit mortem in sempiternum.* Oseæ. XIII. 14. *Ero mors tua, o mors.* 1 Cor. XV. 26. *Novissimus hostis destruetur mors.* v. 54. *Cum corruptibile hoc induerit incorruptibilitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est, absorpta est mors in victoria.* 5) *Regni Christi in manus Patris traditio.* 1 Cor. XV. 24. *Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo & Patri.* v. 28. *Cum autem subiecta ipsi fuerint omnia, tum & ipse filius subiicietur ei, qui subiecit ipsi ut sit Deus omnia in omnibus.* Hæc traditio regni non est accipienda sensu photiniano, quasi per eam desiturum sit spirituale & cœleste Christi regnum, Socinus in miscell. p. 63. in quo patrem suum Photinum sequitur, vid Niceph. lib. IX. eccles. hist. cap. XI. 3. Id quod pugnat cum expressis scripturæ dictis æternitatem regni Christi adstruentibus, Dan. VII. 14. Luc. I. 33. &c. Sed intelligenda. a) vel οἰκονομικῶς de *modo* administrandi regnum, qualis in hac vita observatur. Non cessabit ipsum regnum, sed modus regnandi, postquam Christus subiecerit sibi omnes hostes, desinet *eo modo* regnare, quo nunc regnat, in medio scilicet hostium. Hilarius lib. II. de Trinit. *Ante omnia quaerendum est, an finis apud Paulum significet defectionem, traditio amissionem, subiectio infirmitatem, quia apostolus dicit*: deinde finis erit, cum tra-

tradiderit regnum Deo & Patri &c. *ibi autem finis non significat defectionem, quia finis est immobilis manenda ad quem tendimus statum. Deinde traditio regni non est amissio, quod ex ipsius Christi verbis probatur, ait enim omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Ergo si dedisse caruisse est, Pater quoque iis caruit, quae dedit, sed Pater tradendo non caret, igitur nec Filius intelligi potest carituras hic, quae Patri tradit. Subiectio non significat infirmitatem vel subiectionem tanquam servitutem dominatui, sed dispensationem temporis & sacramenti* Augustinus lib. I. de Trinit. cap. 8. *Iustos, in quibus fide viventibus nunc regnat Christus, perductarus est ad speciem, quam idem apostolus vocat visionem a facie ad faciem. Ita dictum est, cum traderit regnum Deo & Patri, ac si diceretur, cum perduxerit credentes ad contemplationem Dei & Patris.* Confer Theophylactum in comm. 1. Cor. XV. Quidam distinguunt inter regnum Christi *essentiale* & *œconomicum;* illud cum Patre & Spiritu sancto in omne ævum obtinet, hoc vero Patri tradet; postquam ecclesia non opus habebit in hac vita isto auxilio, quippe tunc erit cum suo capite. Sed rectius distinguitur inter regnum ipsum, quod manebit in æternum, & regnandi modum, qui mutabitur, quia electi ex regno gratiæ in regnum gloriæ transferentur. Quidam distinguunt inter *regnum Dei* & *Christi*, quam distinctionem peti posse censent ex Eph. V. 5. regnum *Christi* vocant formam regiminis, quæ non viget in terris; regnum autem *Dei*: prout futurum est in cœlis. Sed res eodem recidit, modo adcurate observetur regnum Christi a regno Dei non re, sed modo duntaxat rei differre. Sunt qui hoc modo exponunt: *Cum tradiderit regnum Patri*, hoc est, cum declaraverit modum illum regnandi per ministerium verbi cessasse, quia apud Hebræos *verba significantia pro declaratione seu notificatione actionis saepius usurpantur*, Genes. XLI. 13. Levit. XIII. 3. Esai. VI: 10. Ierem. I. 9. &c. sed hæc explicatio non videtur sufficiens, Christus enim modum illum regiminis non solum cessasse declarabit, sed etiam revera abolebit. Quidam censent *esse metaphoram a rebus humanis ductam*, ut si rex quispiam filium cum imperio in aliquam sui regni provinciam mittat ad compescendum rebelles, quibus domitis & subiugatis ille domum reversus, tradit patri imperium illud, id est, resignat ac deponit. Sed Filius non vicaria ac delegata, sed αυτοκρατορικη potestate regnum suum in ecclesia administrat, Pater per eum regnat, & ipse cum Patre regnabit in æternum, modus duntaxat regni utrobique variat, hic enim regnat in medio hostium, tum vero regnabit omnibus hostibus devictis. b) Vel intelligendum μετωνυμικως, quod Christus in die novissimo electos in quibus regnum spirituale & cœleste obtinet, Patri cœlesti sistet dicens ex Ioh. XVII. 12. *Quos dedisti mihi, custodivi, & nemo ex illis periit.* v. 24. *Pater quos dedisti mihi, volo, ut ubi ego sum, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi.* Ephes. V. 27. ινα παραστηση, *ut exhiberet sibi ecclesiam gloriosam, non habentem maculam aut rugam.* Lutherus in expositione Corinth. XV. 1533. tradita utramque explicationem coniungit: *Christus wird den Glauben und das verborgene Wesen beyseit thun, und die Seinen darstellen für GOtt dem Vatter, und uns also offenbährlich setzen in das Reich, das er angerichtet hat, daß wir ihn sehen werden ohne Dekel und tunkel Wort.* Quod de fine in textu apostoli.

ſtolico additur non de *fine regni Chriſti*, ſed de *fine mundi* accipiendum, ex contextu manifeſtum eſt. *Subiectionem*, qua Filius dicitur in die noviſſimo Patri ſubiiciendus, Photiniani eo ſenſu accipiunt, quod *Chriſtus in cœlis regnans non ſit ſubiectus Patri uſque ad diem iudicii, tunc vero, utpote Patre inferior, ſit ipſi plenarie ſubiiciendus.* Smalcius in refutat. eorum, quæ Smiglecius exanimi 100. errorum obiecerat p. 55. Sed verba apoſtoli ſunt manifeſta v. 27. *Cum dicat, omnia ei ſunt ſubiecta, manifeſtum, quod praeter eum, qui ſubiecit ipſi omnia.* Ergo Chriſtus ſecundum humanam naturam etiam ante diem iudicii Patre eſt inferior, unde etiam dicitur *Chriſti caput*, 1. Cor. XI. 4. Rectius ergo pii veteres hunc locum exponunt tum de *ſubiectionis declaratione*, quia quando Chriſtus tradet regnum Deo Patri, omnibus in auguſto illo angelorum & hominum conſpectu manifeſtum fiet, ipſum eſſe Patri ſubiectum, ſecundum humanam ſcilicet naturam. Epiphanius hæreſ. LXIX. Tum de *ſubiectionis continuatione.* Theodoretus in comment. I. Cor. XV. *Tunc* hoc eſt, *etiam in magno illo triumpho Chriſtus ratione humanae naturae erit Patri ſubiectus.* Tum vel maxime, quam expoſitionem reliquis præferimus, de *ſubiectione corporis myſtici.* Scriptura enim duplex corpus Chriſto tribuit, *perſonale*, quod in λογῳ ὑποστασιν aſſumſit, & *ſpirituale* ſive *myſticum*, quod ſpiritus ſui vinculo ſibi copulavit, cuius corporis membra ſunt omnes vere credentes. De hoc myſtico corpore apoſtolus proprie loquitur, quando Chriſtum Patri ſuo in die noviſſimo ſubiiciendum adferit, ut ſit ſenſus: *tunc, cum tradiderit regnum Patri, futurum eſt, ut eccleſia plane & plene Deo ſit ſubiecta ſublatis ex feliciſſimo & beatiſſimo illo regno omnibus culpis & pœnis*, ratione quarum militans eccleſia non videbatur illi plene ſubiecta. Origenes homil. VII. in Levit. X. pag. 138. *Donec ego non ſum ſubiectus Patri, nec ipſe dicitur Patri eſſe ſubiectus, non quod ipſe ſubiectione indigeat apud Patrem, ſed pro me, in quo ipſe opus ſuum nondum conſummavit, ipſe dicitur non eſſe ſubiectus. Ego nunc ſubiectus ſum Deo ſecundum ſpiritum, hoc eſt, propoſito & voluntate, ſed quamdiu in me caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & nondum potui carnem plene & perfecte ſubiicere ſpiritui, ſubiectus quidem ſum Deo, verum non ex integro ſed ex parte.* Confer Nazianzenum orat. IV. de theol. Cyrill. libr. I. theſauri c. 18. Ambroſium libr. V. de fide cap. VI. Quidam id ipſum ſic efferunt: Chriſtus duplici ratione conſideratur: primo ratione *ſuae perſonae;* ſecundo *quatenus unum corpus cum fidelibus conſtituit.* Ratione ſuæ perſonæ habet ſecundum humanam naturam in die adſcenſionis ſuper omnes cœlos ad dextram Patris exaltatam omnes creaturas pleniſſime ſibi ſubiectas, Epheſ. I. XX. IV. 10. &c. quatenus autem cum electis unum corpus conſtituit, nondum dicitur eſſe completa illa univerſorum ſubiectio; quia fidelibus adhuc imminet & dominatur mors, hæc cum abolebitur, conſummata erit illa ſubiectio. Hunnius in comment. I Corinth. XV. 6) *Miniſterii eccleſiaſtici abrogatio.* Ier. XXXI. 34. *Non docebit ultra vir proximum ſuum.* Vide explicationem huius dicti in tract. de miniſterio eccleſ. §. 46. I Cor. XIII. 10. *Cum venerit quod perfectum, evacuabitur quod ex parte eſt.* v. 12. *Videmus nunc per ſpeculum in aenigmate, tunc autem a facie ad faciem.* 2 Cor. V. 7. *Per fidem ambulamus & non per ſpeciem.* Hæc abrogatio miniſterii eccleſiaſtici ſequi-

quitur ex traditione regni Christi in manus Patris cœlestis, quia illa regni traditio non est ipsius regni abolitio, sed modi regnandi mutatio. 7) *Beneficiorum Christi, quae in hac vita inchoantur, consummatio;* tunc enim renovatio piorum, quæ de die in diem crescit, erit consummata, tunc fidei succedet visio, spei perfecta fruitio &c. 8) *Omnium laborum & aerumnarum, quas sancti propter Christum in hac vita tolerarunt, largissima compensatio.* Sed de his in articulo de vita æterna plenius dicetur. 9) *Creaturae a servitute corruptionis liberatio*, Rom. VIII. 20. qualis vero illa liberatio sit futura, an per annihilationem, an per renovationem, suo loco dispicietur. 10) *Novi cœli ac novae terrae creatio.* Esai. LXV. 17. *Ecce creo cœlos novos & terram novam, & non erunt in memoria priora, & non adscendent super cor.* Confer Esai. LXVI. 22. 2. Petr. III. 13. Apoc. XXI. 2. 11) *Æterna Dei glorificatio.* Postquam enim iustum suum iudicium adversus persecutores & hostes ecclesiæ Deus exercuit, ac satanas & omnes impii a Christo prorsus debellati, mors penitus abolita, electi ad Patrem cœlestem traducti & æterna gloria coronati, tunc ipsius gloria ab angelis & electis in omnem æternitatem voce consona prædicabitur. Apoc. XVIII. 20. *Exsulta super Babylonem cœlum & sancti apostoli & prophetae, quoniam iudicavit Deus iudicium vestrum de ea.* XIX. 1. *Audivi quasi vocem turbarum multarum in cœlo dicentium: Alleluia! Laus & gloria & virtus Deo nostro!* v. 2. *Quia vera & iusta sunt iudicia eius, qui iudicavit de meretrice magna.* v. 3. *Et iterum dixerunt: Alleluia &c.* 12) *Impiorum planctus & blasphematio*, de qua inferius.

CAPVT VIII.

DE COGNATIS EXTREMI IVDICII.

Cognata extremi iudicii.

§. CXIII. *Cognata* extremi iudicii sunt: 1) *Iudicium Dei*, quod adversus *angelos apostatas* originem suam relinquentes statim post ipsorum lapsum exercuit, quando infernalibus suppliciis propter apostasiam & inobedientiam eosdem adiudicavit, 2. Petr. II. 4. Iud. v. 6. Quidam huc referunt dictum Christi Luc. X. 18. *Videbam satanam sicut fulgur de cœlo cadentem;* & Iohannis Apoc. XII. 9. *Proiectus est draco e cœlo in terram.* Sed ibi proprie agitur de efficacia & virtute prædicationis evangelii, per quam potestas, quam in animas hominum obtinet, ipsi adimitur, Ioh. XII. 31. Quidam adducunt locum propheticum Esai. XIV. 12. *Quomodo cecidisti de cœlo lucifer.* Sed κατα ρητον & in sensu literali de interitu regis Babylonici ibi agitur. Interim tamen inter iudicium Dei adversus diabolos & extremum iudicium est discrimen 1) ratione *causae efficientis*, quia illud immediate a Deo fuit institutum, hoc vero Christus in adsumta natura humana administrabit, 2) ratione *obiecti*; illud adversus angelos duntaxat, hoc adversus angelos & homines instituetur, 3) ratione *modi*; illud invisibile fuit, hoc visibile erit, 4) ratione *temporis*; illud præcessit, hocsequetur, 5) ratione *effectus*; illud aliquam grassandi licentiam diabolis adhuc permittit, hoc vero omnem eorum potestatem in pios evacuabit, & infernali carcere eos concludet.

§. CXIV. II) Iudicium, quod *in paradiso post lapsum protoplastorum* Deus instituit, ubi ad causam dicendam & sententiam audiendam ab ipso fuere citati. Cogitet quilibet, quantus in Adamo & Eva fuerit terror, quanta consternatio, cum audirent vocem Dei in horto ambulantis ac dicentis: *Vbi estis?* Genes. III. 9. Sed longe maior consternatio in die iudicii novissimi impios opprimet, quando ad tribunal summi iudicis vocabuntur, & horribili illo fulmine: *Discedite a me maledicti*; prosternentur. Illud enim iudicium, quod in paradiso Deus exercuit, fuit misericordia contemperatum propter intercessionem Filii, qui sese ut μεσιτην και ιλεστην inter Deum iratum & lapsum genus humanum interposuit; sed novissimum illud iudicium sine ullo misericordiæ temperamento summo iustitiæ rigore adversus impios & incredulos exercebitur.

§. CXV. III. *Particularia iudicia*, quæ Deus in toto mundo, cumprimis vero in ecclesia exercet, quando in hac vita persecutores & hostes ecclesiæ coercet, conatibus ipsorum obsistit, gravibus suppliciis eos punit, & quemdam æternorum cruciatuum prægustum ipsis exhibet; post hanc vitam ipsorum animas satanæ cruciandas & usque ad diem iudicii custodiendas tradit; contra vero pios in hac vita defendit, præmiis adficit, vel etiam errantes castigat & in viam revocat, quæ paternæ castigationes κριματα του θεου vocantur, 1 Cor. XI. 31. 1 Petr. IV. 17. post hanc vitam animas ipsorum angelis in sinum Abrahæ deportandas tradit, Luc. XVI. 22. Interim discrimen est inter hæc iudicia & ultimum seu novissimum iudicium, 1) quia illa sunt particularia, hoc vero est universale, 2) illa quotidie exercentur, hoc vero adhuc futurum exspectamus, 3) illa sunt duntaxat quædam iudicii divini inchoatio, hoc vero erit plena eiusdem executio, cum præcipua præmia ac præcipuæ pœnæ differantur ad censorium ac pantocriticum illum diem. Augustinus lib. I. de civit. Dei cap. 8. *Si nunc omne peccatum manifesta plecteretur pœna, nihil ultimo iudicio reservari putaretur, rursus si nullum peccatum nunc puniret aperte divinitas, nulla esse providentia divina crederetur.*

§. CXVI. IV) Iudicium, quod exercet Deus mediate tum *in ecclesia per verbum*: Genes. VI. 3. *Non iudicabit Spiritus meus in homine in aeternum.* Esai. II. 4. *Iudicabit inter gentes, & arguet populos multos.* Ezech. XXXIV. 17. *Ego iudicans inter pecus & pecus.* Matth. XVI. 19. XVIII. 18. Ioh. XX. 23. *Quae in terra solveritis ac remiseritis, erunt in cœlis soluta & remissa, quae in terra ligaveritis & retinebitis, erunt ligata & retenta in cœlo;* tum in *politia per magistratum.* 2 Paral. XIX. 6. *Non hominis iudicium exercetis, sed Domini.* Quilibet animadvertit, quantopere cohorrescant facinorosi, quando ad tribunal terreni iudicis deducti sententiam mortis in se ferri audiunt; sed ineffabiliter maior erit pavor & horror in impiis, quando damnationis sententiam a Christo iudice adversus se pronunciari audient. Discrimen tamen est inter iudicia ecclesiastica & politica in hac vita, & iudicium extremum post hanc vitam: 1) ratione *causae efficientis;* illa exercet Deus per nudos homines, hoc vero per Christum θεανθρωπον. 2) Ratione *materiae circa quam* sive *obiecti* tum *personalis*; ibi homines duntaxat iudicantur, hic vero angeli & homines: tum *realis*, quia in illis notoria & mani-

ni-

festa duntaxat iudicantur, in hoc vero occulta cordium & abstrusissimæ cogitationes; in illis unum aliquod peccatum, in hoc vero omnia. 3) Ratione *formae;* ibi in processu iudiciali instituitur inquisitio, requiritur ut reus fateatur vel convincatur, sed hic nulla opus erit *inquisitione*, cum omnia futura sint manifesta, nec *testium productione*, cum non possint impii flagitia sua negare. Aberit ergo ab hoc iudicio molestus & diuturnus iudicii strepitus articulis *inquisitionalibus*, *interrogatoriis*, *replicis*, *duplicis*, *triplicis*, *testium examinibus*, *conventionibus*, *reconventionibus* constans, quia cum iudex sit καρδιογνωστης, omnia coram oculis eius sunt aperta. 4) Ratione *finis & effectus;* in iudiciis humanis præmia & supplicia temporalia, sed in divino æterna distribuentur. 5) Ratione *quantitatis sive amplitudinis;* multa delicta, præsertim occulta, effugiunt iudicium humanum, sed nihil quidquam effugere poterit iudicium illud divinum. *Iudicium mundanum*, inquit Lutherus tom. IV. Ienens. Latin. pag. 366. *est vix alphabetum illius ultimi.* 6) Ratione *accidentis*; in illis sæpe regnat προσωποληψια, favor præposterus, occulta odia, iniquitas & iniustitia, sed in hoc extremo iudicio omnes δικαιως και απροσωπολημπτως iudicabuntur.

§. CXVII. V) Denique *occultum iudicium*, quod *in conscientia* cuiusque hominis, quam Nazianzenus recte vocat το ενδον βημα, *domesticum tribunal*, exercetur. In ea enim *cogitationes sese invicem accusant*, *aut etiam defendunt*, Rom. II. 15. Discrimen tamen est inter utrumque: 1) conscientiæ iudicium est *occultum & internum;* sed novissimum iudicium erit *manifestum & externum.* 2) Illud multi conantur subterfugere conscientiæ suæ vim inferendo, quos apostolus vocat απηλγικοτας, Eph. IV. 19. huic vero omnes cogentur sese sistere. 3) Illi non coniungitur statim exsecutio per pœnarum externarum irrogationem; sed sententia in novissimo die promulganda e vestigio paratam habebit exsecutionem, & impii in tenebras exteriores statim abiicientur. 4) Illud mutari adhuc potest, quia vermis conscientiæ in hac vita per veram pœnitentiam potest exstingui; hoc vero erit prorsus immutabile & invariabile, quia post latam in extremo iudicio sententiam *vermis impiorum non morietur*, Esa. LXVI. 24. Marc. IX. 44.

CAPVT IX.

DE PVGNANTIBVS CVM EXTREMO IVDICIO.

Pugnantia sive contraria extremi iudicii.

§. CXVIII. *Pugnantia* sive *contraria sunt:* 1) *Epicureae cogitationes ac voces empaectarum* nullum iudicium fore statuentium, 2 Petr. III. 3. Iud. v. 18. ad quorum consortium pertinent, omnes impœnitentes, peccatis secure indulgentes, adeoque omnes hypocritæ, qui verbis quidem fatentur se credere secuturum aliquando universale iudicium, sed factis & vita impia illud negant, Tit. I. 16. Profanas illas cogitationes per accidens confirmat mora, quæ ipsis intercedere videtur, quo minus statim sequatur iudicium. Esa. LVI. 12. *Venite, sumamus vinum, & impleamur ebrietate, & erit sicut hodie, sic & cras & multo amplius.* Ec-

clef. VIII. 11. *Quia non fit iudicium malorum cito, propterea implentur corda hominum, ut operentur malum.* 2 Petr. III. 4. *Ubi nunc promissio adventus, ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturae?* Sed huic obiectioni iampridem Spiritus sanctus solidum opposuit responsum Rom. II. 4. 2 Petr. III. 9. 2) *Corruptelae eorum*, qui circa causas vel obiectum huius iudicii a veritatis tramite aberrant, quas suo loco enumeravimus superius. 3) *Curiositas eorum*, qui certum diem ac annum huic iudicio praefinire voluerunt verbis Christi Act. I. 7. directe contradicentes, hominum vero securitatem oblique foventes. 4) *Temeritas eorum*, qui vero Dei timore vacui temere & secure ad iudicium illud provocare non verentur, de quibus Amos V. 18. 5) *Supina eorum securitas*, qui diem novissimum longissime adhuc abesse opinantur, dicentes cum servo nequam in corde suo: χρονιζει ο κυριος μου ελθειν, Matth. XXIV. 48. *Pax & securitas*, 1 Thess. V. 3. Sed mirabili Dei providentia contingit, ut dum decretorium istum diem procul adhuc abesse dictitent, eo ipso eum in propinquo esse demonstrent, quia inter signa novissimi diei adpropinquantis supina securitas refertur, ut superius §. 88. ostendimus.

CAPVT X.

DE VSV DOCTRINÆ DE IVDICIO EXTREMO.

Usus I) Thoreticus.

§. CXIX. *Usus* huius Loci est 1) θεωρητικος, 2) πρακτικος. I) *Thoreticus* est 1) διδασκαλικος, ut fidem nostram de futuro iudicio extremo scripturae dictis probe muniamus, & primum Christi adventum in humilitate ab altero Christi adventu in gloria & maiestate probe distinguere discamus. 2) Ελεγτικος, ut fide cordis & confessione oris nos separemus ab omnibus, qui vel extremum iudicium fore praefracte negant, vel ορθοδοξιαν de eo in scripturis traditam & hactenus fideliter expositam pertinaciter impugnant. Detestemur ergo Epicuraeas irrisiones empactarum dicentium: *Vbi nunc promissio adventus eius?* 2 Petr. III. 4. Refellamus errores Iudaeorum, qui distinctos hosce Messiae adventus in prophetis praedictos conciliare nescientes commenti sunt duos diversos Messias, unum adpellantes *filium Ioseph* seu *filium Ephraim*, alterum *filium Davidis*, & quaecunque humilia de Messia in scriptis propheticis invenerunt, ea attribuerunt filio Ioseph: quae vero augusta & sublimia, filio David, quod somnium hodierni Iudaei adhuc fovent, ut constat ex libro *Abcath Rochel* part. I. Ac contradicamus quibusvis corruptelis, quae de causis ac circumstantiis huius iudicii in ecclesia vel olim sparsae sunt, vel adhuc propugnantur. II) *Practicus* est vel *generalis* vel *specialis*. I) *Generalis*, ut glorioso huius adventus Christi ad iudicium & novissimi huius diei, in quo de omnibus prioribus sententia feretur, omni die memores simus. Oblivio huius iudicii est mater securitatis, quotidiana vero recordatio feriae pietatis. Inter proprietates impiorum etiam haec refertur, quod *iudicia Dei sint ab ipsis procul remota*, hoc est, quod non cogitent insti-

II) Practicus.

I) Generalis.

ſtituendum eſſe aliquando iudicium, Pſalm. X. 5. *Praecepit nobis Deus*, ait Petrus Act. X. 42. *praedicare populo, & teſtificari, quia ipſe eſt, qui conſtitutus a Deo iudex vivorum & mortuorum.* Ergo præcipua pars officii eccleſiæ doctoribus commiſſi in eo conſiſtit, quod iudicii extremi memoriam auditoribus ſuis ſedulo inculcare debeant. Μνημονευετε, *memores eſtote, uxoris Loth;* inquit Chriſtus Luc. XVII. 32. cum tempora Sodomiticum excidium antegreſſa cum noviſſimis temporibus invicem conferret, innuens vere proprium eſſe & præteritorum Dei iudiciorum particularium in vero timore recordari, & futuri illius univerſalis iudicii perpetuo meminiſſe, qua de re apud pios veteres præclaræ exſtant ſententiæ. Nilus epiſcopus in gnomis: νυκτωρ και μεθ ημεραν προς την ημεραν την εσχατην αποβλεπετε. Hippolytus in orat. de conſumm. ſeculi: *De illo iudicio ſolliciti cogitemus quotidie, hoc diu noctuque meditemur, in domibus, in plateis, in eccleſiis, ne in horrendo illo iudicio, in quo nulla eſt perſonarum acceptio, abiecti ac triſtes adſtemus condemnati, ſed cum actione, vita, converſatione, confeſſione pura &c.* Hilarius in enarrat. Pſalm. CXVIII. *In omni vitae noſtrae genere memoria divini iudicii nobis inſerenda & continenda eſt, ut, cum aliquid agimus, reſidente in nobis iudicii memoria vel nunquam potius abeunte, praeceptis Dei opera noſtra famulentur. Beatus erit quisquis non ſine memoria divini iudicii omnia geſſerit.* Gregorius Nyſſenus orat. in Pſalm. VI. *Quis terribilis iudicii Chriſti recordatus non ſtatim in conſcientia ſua quaſi convellitur? ac terrore & angore non conſtringitur? Atque etiamſi vitae melius quam deterius actae ſibi conſcius ſit, attamen ad exactam diligentiam & rigorem iudicii reſpiciens, in quo minimae quoque culpae in quaeſtionem adducuntur, conſternatur, ac prorſus exſpectatione terribilium poenarum perhorreſcit, ignorans, quisnam ſibi iudicii exitus & eventus futurus ſit.* Ephremus in ſerm. paræner. de ſecundo adventu Domini: *Qui univerſo renunciaſti mundo, ne aliam admittas ſolicitudinem, neque aliud certamen aut cogitationem praeterquam diei illius horribilis ſemperque cor & lingua tua de extremo iudicio meditentur. Sive igitur operi, ſive orationi intentus ſis, ſive ambules, ſive ſedeas, ſive comedas, ſive ieiunes, ſive in cubili tuo vigil iaceas, ſive quid aliud agas, non deſiſtat mens tua cogitare, & os tuum loqui de iudicio.* Chryſoſtomus homil. XLIV in Iohan. *Invicem & nobiſcum ſemper dicamus, reſurrectio erit, & horrendum illud nos manet iudicium; ſufficiens enim hoc verbum eſt, quod omni medicina animam noſtram vehementius curet. Eſt enim reſurrectio non longe ſed in portis, adhuc modicum, iamiam veniet, & non tardabit.* Gregorius Naziazenus in orat. excuſatoria: τουτω και νυκτωρ και μεθ ημεραν συνειμαι και ουκ εα με αναπνευσαι εκειθεν δοξα και τα εκεισι δικαστηρια. Hieronymus in regul. monachorum cap. 30. *Sopitae ſomno quietis & pacis, exſpectetis ſponſum & iudicem veſtrum exſpectetis magnum & terribilem diem iudicii &c. ſemper tuba illa terribilis veſtris obſtrepat auribus: Surgite mortui, venite ad iudicium.* Auguſtinus epiſt. III. *Semper ante oculos verſetur ultimus dies, & cum diluculo ſurrexerimus, non ad veſperam nos confidamus pervenire, & cum in lectulo membra noſtra depoſuerimus, de lucis non confidamus adventu.* Epiſt LXXX. *Tunc unicuique veniet dies ille, cum venerit ei dies, ut talis hinc exeat, qualis iudicandus eſt in die illo. Ac per hoc vigilare debet omnis chriſtianus, ne imparatum eum inveniat Domini adventus. Imparatum autem inveniet dies ille, quem imparatum invenerit ſuae vitae huius ultimus dies,*

Idem sermon. XXXV. de verb. apost. *Quotidie cogitemus, quales erimus in die iudicii purissimis angelorum conspectibus offerendi & aeterno iudici rationem de libro conscientiae reddituri remotis probationibus.* Gregorius magnus hom. XXXIX. in evang. *Si quae est praesentis temporis, ita agenda est laetitia, ut nunquam amaritudo sequentis iudicii recedat a memoria.* Caesarius homil. XXVII. *Cogitemus illius iudicis incessanter adventum, qui utinam sic nos paratos inveniat, quomodo nemo potest dubitare, quod veniat.* Iohan. Climacus gradu XX. *Sicut impossibile est, ut qui esurit, non recordetur panis; ita fieri non potest, ut qui salvari cupit, exitus sui extremique iudicii obliviscatur.* Quidam anachoreta quaesitus, *cuius libri lectione potissimum delectaretur?* respondit: *nullius nisi trifoliaris, cuius folio nigro moneretur mortis, candido beatitudinis, rubro iudicii.* Ad hanc quotidianam & perpetuam extremi iudicii memoriam nos excitet *Dei praecipientis auctoritas, venturi iudicis maiestas, inopinata adventus huius celeritas, multiplex illius recordationis utilitas, periculi, quod securos & incautos manet, gravitas.*

§. CXX. 2) *Specialis* est vel παιδευτικος, *informatorius*, vel παραμυθητικος, *consolatorius.* Παιδευτικος est vel επανωρθοτικος, *correctorius*, vel παραινετικος *exhortatorius.* 1) Επανωρθοτικος usus in eo consistit, quod meditatio extremi iudicii vitam & mores nostros corrigit, dum revocat nos a) *in genere* ab *impietate* & *securitate.* Fieri enim nequit, quin vero & serio Dei timore percellamur, ac a peccatis desistamus, si memoria huius iudicii animum nostrum intime subeat. Sive enim ipsum iudicem sive iudicis adventum sive praesentiam eorum, coram quibus hoc iudicium exercebitur, sive iudicii materiam sive processum iudicii sive executionem sententiae promulgatae respiciamus, ubique occurrit, quod timorem cordibus nostris instillare possit. Eccles. XII. 13. 14. *Deum time, & mandata eius observa, cuncta quae fiunt, adducet Deus in iudicium.* Apoc. XIV. 7. *Timete Dominum, quia venit hora iudicii eius.* 1) *Iudex* a) adveniet *gloriosus*, non humilis & abiectus, sicut in primo adventu, sed cum virtute & gloria magna. Quod si tantopere exhorruerunt homines unico duntaxat angelo viso, quid futurum in die novissimo, quando regem & Dominum angelorum cum omnibus angelis ad iudicium videbunt venturum? Si Israëlitae in promulgatione legis non potuerunt gloriam Domini in monte Sinai adparentis intueri, quomodo poterunt homines plenam divinae gloriae lucem, in qua iudex conspicietur, perferre? b) Est *omniscius*, omnia *nuda & aperta sunt oculis eius:* Hebr. IV. 13. In Graeco est τετραχηλισμενα, cuius metaphorae rationem pulchre explicat Isidorus Pelusiota lib. I. epist. 94. *Haec verba*, inquit, *translatione ducta a victimis, quae ad sacrificium adhibentur, a Paulo ingentis sapientiae viro scripta sunt. Quemadmodum enim illae, cum pelles detrahuntur, omni conspicuo indumento spoliantur, abditarumque interne partium situm & affectionem indicant, atque ad ossium omnium & membrorum indagationem, ut omnia ob rei, cui adhibentur, puritatem expurgentur: eodem etiam modo in magno illo Domini die actionum nobis incognitarum & obscurarum patefactio cuncta denudabit, dissectionique similis adparebit. Neque enim quisquam latere poterit, verum omnes in aper-*

2) *Specialis.* 1) *Informatorius, isque* 1) *Correctorius.*

apertum adducentur. c) Est *iustissimus*; reddet unicuique secundum opera. Apoc. XXII. 12. *Ecce venio cito, & merces mea mecum reddere unicuique secundum opera sua.*

Expaveſco multum
Iudicis ſeveri vultum,
Quem latebit nil occultum,
Qui relinquet nil inultum.

d) Est *potentissimus*, imo omnipotens, omnes enim homines, vel solo nutu ad tribunal suum congregabit, & sententiam promulgatam exsecutioni statim mandabit. Nemo hunc iudicem poterit fallere, quia est ipsa *sapientia*, nemo poterit delicta sua occultare, quia pollet *omniscientia*, nemo poterit iudicii sententiam flectere, quia est ipsa *iustitia*, nemo poterit effugere, quia est ipsa *omnipotentia*. Bonaventura serm. LXXII. de temp. *Summae sapientiae erit mala discutere; iustitiae erit sententiam inferre; potentiae erit exsecutioni mandare.* 2) *Adventus iudicis* erit non tantum gloriosus & maiestaticus, sed etiam *repentinus & inopinatus*, *veniet sicut fur in nocte*, Matth. XXIV. 43. Luc. XII. 39. Apoc. XVI. 15. *quando homines dicent, pax & securitas*, 1 Thess. V. 3. at quis non timeat audiens, *quod venturus sit Filius hominis hora ea, qua non speratur?* Matth. XXIV. 44. Quod si enim venturus est hora ea, qua non speramus, metuendum ne nos imparatos inveniat? 3) Administrabitur hoc iudicium *in praesentia omnium angelorum & hominum*, in panegyri omnium rationalium & aliarum creaturarum. Ecquis vero non reformidet in angelorum & hominum peccata sua venire conspectum? 4) *Materia* sive *obiectum iudicii* sunt omnia dicta, facta, cogitata; ibi minutissimæ cogitationes, quæ apud nos usu viluerunt, indiscussæ non manebunt. Quam longa fuit vita nostra, tam lata erit iudicii materia: *Omne tempus nobis impensum requiretur, qualiter sit expensum, non peribit capillus de capite, nec momentum de tempore.* Caveamus ergo, quidquam hic committere, quod nolimus in die illa coram omnibus angelis & hominibus manifestari. 5) *Processus iudicii* iuxta normam æquitatis & iustitiæ instituetur. Iudex ille *nec flectetur donis, nec falletur verbis.* Nulla ibi locum habebit *excusatio*, quia ipsa conscientia accusabit, cuius testimonium nemo negare poterit, Matth. XXII. v. 12. nulla *tergiversatio*, quia impius seipsum accusabit & condemnabit; nulla *provocatio* vel *adpellatio*, quia iudex est supremus & infallibilis, Sap. VI. 8. nulla *culpae translatio*, quia cuiusvis peccata in clara & manifesta luce collocabuntur, nulla *leuteratio*, quia æquitas sententiæ omnibus erit manifesta, nulla *deprecatio*, quia non adquiescet iudex cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemtione dona, Prov. VI. 35. nulla *dilatio*, quia 6) sententia promulgata statim *exsecutioni* mandabitur, aderunt ibi angeli boni ad cœlum deducentes, angeli mali ad infernum trahentes. Unicum momentum æternam mansionem unicuique homini adsignabit; nec frangetur damnatrix sententia adversus impios lata, si quot homines iudicium hoc adituri sunt, in tot Bartolos Baldosve transformarentur. *Haec mala qui pavet, cavet, qui negligit, incidit.* Hac de re sic loquuntur pii veteres: Clemens Romanus lib. IX. recognit. *Sicut sol omnes stellas splendore sui fulgoris obtundit & contegit, ita & mens per scientiae lucem omnes concupiscentias animae inefficaces reddit, futuri iudicii memoriam tanquam radios suos emittens, ita*

ta ut ne adparere quidem ultra in anima queant. Basilius in comm. Psal. XXXIII. *Beatus, qui in die iudicii, quando venerit Dominus ad illuminandum abscondita tenebrarum & manifestare consilia cordium, ausus erit sub luce illa redargutionum consistere, intrepidusque ac sine verecundia conscientiam incontaminatam ac a vitiis liberam praese feret. Qui vero male fecerunt, in probrum & verecundiam resurgent, in seipsis turpitudinem & formas eorum, quae peccarunt, conspicientes. Insuper, quod ipsis tenebris & igne perpetuo erit horribilius, verecundia cooperientur, quam omnino sustinebunt, vestigia praeteritorum malorum, quae admiserunt, velut aliquamindelebilem eorum memoriae permanentemque maculam ante oculos habentes.* Cyrillus Hierosolymitanus catech. XV. *Tremendum est iudicium, ita ut per ea etiam, quae de illo nunciamus, timor incutiatur, nam regnum cœlorum proponetur, & ignis aeternus praeparabitur.* Ephremus serm. de extremo iudicio & compunctione: *Vere formidabilis erit illa dies cunctis peccatoribus, qui voluntatem Domini pro salute sua exercere noluerunt. Nihil nobis in illa hora proderit praeter bona, quae hinc detulerimus, opera. Futurum enim est, ut unusquisque nostrum propria dicta ac facta ante incorrupti atque tremendi iudicis tribunal deferat. Mihi sane cor tremit, ac renes immutantur, dum cogito de actuum omnium manifestatione, cogitationumque ac sermonum exacta discussione, quae ibi fiet. Magnus tunc erit timor, o fratres charissimi, & magnus tremor, o amici mei. Quis ergo non perhorrescat, aut quis non lugeat ac ploret? quoniam omnia ibi manifestanda erunt, quae unusquisque in occulto & obscuro hic egerit. Horrendum ibi erit iudicium, in quo etiam absque testibus cuncta erunt manifesta, opera atque sermones, cogitationes atque animorum sensa, ubi etiam adsistent millia millium & decies dena millia archangelorum & angelorum, cherubin & seraphin, iustorum & sanctorum, prophetarum atque apostolorum chori.* Hieronymus in epist. ad amicum, quem instituit in scientia divinae legis tom. IX. *Ecce si umbrato repente cœlo solis claritas nostris adspectibus denegetur, & productis in nostram humilitatem nubibus pluviae terris immineant, si commotis, ut adsolet, elementis, in rotam sui currus tonitrua concitentur, & hinc indefulgurum iacula palpebris terribiliter obiecta corusceant, quamquam in consuetudine illa contingant, pavemus, contremiscemus & proni ad terram depositia superbia cervices submittimus. Quid faciemus in illa die miseri, quando revoluto cœlo cum angelicis virtutibus igneus Dominus totus adveniet? quando cadentibus desuper stellis sol in tenebras & in sanguinem luna mutabitur? quando montes sicut cera liquescent? quando terra ardebit & arescent flumina & maria siccabuntur, & contra rerum naturam consumto divinitus humore aridi tatem in aquis ignis operabitur? quando peccatores dicent montibus, cadite super nos &c.*

Gregorius Nazianzenus iamb. XIX.

Nam dormientem me labor pungit quoque
Ac si soporis quidpiam capo, gemo.
Nam spectra noctis asperae metum adferunt.
Censura, iudex, statio cui comes tremor.
Hinc fons perennis bulliens flammae, impias
Sine fine mentes vermis hinc morsu petens
Haec inter animus conscius, scelera arguens
Vllo absque scripto &s.

Idem

Idem orat. XV. quæ est in plagam grandinis: *Quid faciemus in die divinae ad nos expostulationis, cum nos coarguet, atque ex adverso stabit, peccata nostra, hoc est, acerbos atque amarulentos accusatores nobis in faciem statuens, acceptaque beneficia cum iis, quae iniique admisimus, ex adverso conferens, & cogitatione cogitationem verberans, & actione actionem examinans, & imaginis vitio contaminatæ atque confusae dignitatem a nobis exposcens, postremo nos abducet a nobismetipsis condemnatos, hucque adductos, ut ne id quidem dicere queamus, nos inique supplicio adfici, quod quidem hic apud eos, qui poenas luunt, nonnunquam hanc vim habet, ut eorum condemnationem & cruciatum leniat. Illic autem quis patronus? quae caussificatio? quae falsa defensio? quod artificiosum verborum lenocinium? quae consilii solertia tribunal illud circumscribet ac rectum judicium eludet? quod omnia omnibus in statera collocat, actionem, sermonem, cogitationem, virtutesque cum vitiis ex adverso expendit, ut quod propendet, victoriam obtineat &c.* Chrysostomus homil. XLII. in Genes. in princ. *Quoties nos adfectio quaepiam perturbat, si volumus pia religiosaque mente cogitare iudicium diei illius terribilis, & non ad praesentem voluptatem spectare, sed ad cruciatus, quos propter illam feremus, statim ab anima nostra resiliet ac revolabit.* Homil. V. in epistol. Rom. III. & XLVIII. ad popul. Antioch. *Tremendum illud subsellium, horrendum tribunal, tremore plena iudicia, ignis funditur fluvius, frater non redimit, redimet homo? Recordare siquidem, quae dicuntur in evangelio, circumcurrentium angelorum, sponsalis thalami clausi, exstinctarum lampadum, potestatum in fornaces detrahentium. Et illud pensa, quod si cuius ex nobis factum occultum in medium hodie coram sola produceretur ecclesia, quomodo non perire & sibi terram hiscere precaretur potius quam tot malitiae testes habere? Quid tunc ergo patiemur, cum in medium coram mundo cuncta promentur, in theatro tam claro & illustri & nobis notis & incognitis omnia spectantibus &c. Si mille dixeris gehennas, nihil illius par dices doloris, quem sustinet anima, dum totus terrarum orbis convolvitur, canentibus tubis, angelis praecurrentibus primis, tum secundis, mox tertiis, demum innumeris ordinibus in terram se fundentibus, insuper autem & cherubim, multa vero sunt haec & infinita, & seraphim in illa ineffabili gloria ipso veniente occurrentibus his, qui venerint & in medium electos agant &c.* Homil. XXII. ad popul. *Vide non indutum veste nuptiali ex sponsali domo expulsum, & neminem pro ipso intercedentem. Vide talentum habentem creditum & non negotiantem, & quomodo pro illo intercedit nemo. Respice mihi quinque virgines exclusas, & aequales pro ipsis non deprecatas &c.* Epist. V. ad Theodorum lapsum tom. II. *Tunc aperientur omnes caelestium fastigiorum portae, tunc anima stupore conferta erit & horrore & metu. Tum etiam angelos ingens metus occupabit, propterea quod conservi iudicium subituri sunt de peracta in mundo vita &c.* Homil. XXXVIII. in Iohan. *Non in praesenti vita finis nobis est, formidoloso iudicio aderimus &c. Hoc iudicium semper prae oculis habeamus, ita semper virtuti vacare poterimus. Nam sicut qui diei illius obliviscitur, tanquam freno obiecto in praecipitium fertur, ita quem continuus hic percellit timor, modeste viam vivendi ingreditur.* Basilius Seleuciensis in orat. de transfig. Christi: *Si repentinam non ferimus fulguris coruscationem, sed eo cum, qui cernit, in humum saepe deiicit, quid dixerit quispiam, exorientem eum videns, qui fulgerat? quando sonitus tubarum vocabunt mortuos e sepulcris, quando rumpentur capsae monumentorum vinctos emittentes, quando iudicabuntur proposita*

facta & cogitata &c. Augustinus lib. VI. confess. cap. 6. *Non me revocabat a profundiore voluptatum carnalium gurgite, nisi metus mortis & futuri iudicii.* Epist. III. *Semper ante oculos versetur ultimus dies &c. ita facilime poterimus corpus nostrum a vitiis & concupiscentiis refrenare.* Lib. III. de symb. *Iudex ille nec gratia praevenietur, nec misericordia flectetur, nec pecunia corrumpetur, nec satisfactione aut pœnitentia mitigabitur. Cessabit tunc misericordia, & locum habebit iustitia.* Serm. IV. de temp. *Exspectatur dies iudicii, aderit ille aequissimus iudex, qui nullius potentis personam accipiet, cuius palatium auro vel argento nemo corrumpet. Adstabunt omnes animae, ut referat unaquaeque secundum ea, quae per corpus gessit. Praesto erit adversarius diabolus, recitabuntur verba professionis nostrae, & si talis fuerit quisque, ut debitor ex hac vita migret, exsultabit ille adversarius in conspectu serenissimi iudicis, superiorem se esse declamans, agensque talem causam apud Christum iudicem: aequissime iudex iudica. Iustitia & iudicium praeparatio sedis tuae: iudica meum esse, qui tuus esse noluit; meus est, mecum damnandus est. Post renunciationem ut quid invasit pannos meos? Quid apud eum impudicitia faciebat, cui ipse renunciaverat? quid intemperantia, quid avaritia, quid ira, quid superbia, quid caetera mea? Postremo aequissime fugientem a me confugientem ad te, postea cum meis, quibus renunciaverat; adprehendi, invasorem detinui, in ipsa quodammodo mea possessione adprehensus est. Meus esse voluit, mea concupivit. Iudica, iudica aequissime, quoniam quem tu dignatus es tanto pretio liberare, ipse mihi se postmodum voluit obligare.* Serm. LIV. de temp. *In die illa erit fletus & stridor dentium, erit ululatus & lamentatio & tarda pœnitentia. Ibi movebuntur fundamenta montium, & ardebit terra usque ad inferos deorsum, quando cæli ardentes solventur, quando virtutes cælorum movebuntur &c. Ubi se tunc impii videbunt? ubi adulteri, ubi ebriosi, ubi maledici se recognoscent? ubi amatores luxuriae, ubi raptores, ubi superbi & invidi adparebunt? Quid infelices pro sua defensione dicturi sunt, quos toties admonitos & tamen imparatos dies illa repererit? &c.* Serm. LXVII. de temp. *Quid faciemus, charissimi, in illo metuendo iudicii die, cum tremente mundo Dominus praecinentibus angelorum buccinis in illo maiestatis suae throno circumdatus cœlestis militiae luce consederit, ibique de terrae gremio & antiquo pulvere suscitato humano genere adstante testimonio conscientiae singulorum, positis in conspectu peccatorum pœnis iustorumque praemiis, rationem vitae caperit postulare, & plus iam iustus quam misericors severitate iudicis contemtae misericordiae reos cœperit accusare & dicere: ego te, o homo, de limo manibus meis feci, ego terrenis artubus infudi spiritum &c. irridentium palmas & sputa suscepi, acetum cum felle bibi, flagellis caesus, vepribus coronatus, cruci adfixus, vulnere perfossus, ut tu eripereris morti &c. cur quod pro te pertuli, perdidisti? cur ingrate redemtionis tuae munera renuisti?* Serm. CXX. de temp. *Irremediabile periculum est, sic aliquem vitiis & cupiditatibus frena laxare, ut rationem Deo se non meminerit redditurum. Puto quod magna sit iam peccati pœna, metum ac memoriam futuri perdidisse iudicii.* Petrus Chrysologus serm. LIX. *Si credimus venturum iudicem, innocentes iudici nos praeparemus, iudicem negat esse, advenire non credit, iudicandum se satis iste diffidit, qui male vivit.* Cæsarius homil. XXVII. *Prima erit in reos intoleranda sententia, reverendarum praesentia cicatricum. Quid igitur illo tempore facturi sumus, quando contra illius crucifixi Domini livores notae peccatorum nostrorum & maculae libidinum proferen-*

ferentur? aut quo putas vultu respiciet redemtio nostra perditionem nostram? tantum graviora erunt humana delicta, quantum maiora se ostenderint divina beneficia &c.

Fortunatus lib. IV. carminum:

Felices, quos nulla gravant de morte secunda,
Nec faciunt pœnis subdita membra feris.
Dulcibus illecebris qui non sibi condit amarum,
Nec per carnem animam vult sepelire suam.
Infelix quisquis maculosis actibus usus
Arte Redemtorem se laqueasse studet.
Nubibus invectus cum venerit arbiter orbis
Et tuba terribilis commovet arma poli &c.
Tunc ibi quis terror cæli adsistente senatu;
Quid dicturae animae iudicis in facie?
Mox aut pœna manet miseros aut vita beatos,
Quisque suae vitae semina iacta metet &c.

Gregorius homil. XII. in evangel. *Pensate, fratres carissimi, ante conspectum tanti iudicis, qui in illo die terror erit, quando iam in pœna remedium non erit. Quae illa confusio, cui reatu suo exigente continget in conventu omnium angelorum hominumque erubescere? Qui pavor eum, quem & tranquillum mens humana capere non valet, etiam iratum videre.* Lib. VIII. moral. cap. 13. *Iustorum mens semper solicita venturo examini intendit, omne enim quod agunt, metuunt, dum considerant, ante quantum iudicem stabunt &c.* Lib. XXIV. moral. cap. 7. *Quid facient tabulae, quando tremunt columnae? aut quomodo virgulta immobilia stabunt, si huius pavoris turbine etiam cedri quatuntur.* Anshelmus lib. de miseria hominis: *in toto me angustiae, hinc erunt peccata accusantia, inde terrens iustitia, subtus patens horridum, chaos inferni, desuper iratus iudex, intus urens conscientia, foris ardens mundus. Iustus vix salvabitur, peccator sic deprehensus in quam partem se premet? constrictus ubi latebo? quomodo adparebo? latere erit impossibile, adparere intolerabile.* Franco Affligenienſis de gratia Dei tom. IX. bibl. *Timeat homo tremendi iudicii futuram discussionem, in qua cum memorata fuerint praerogata nobis dona pietatis, districta animadversione exigendum est a nobis & debitum congruae servitutis. Commemorabuntur ante tribunal iudicis dignitas conditionis, caritas redemtionis, effusio pretiosi sanguinis, adoptio filiorum, promissa beatitudo regni cælorum. Commemorabuntur & ad implenda praecepta collata subsidia, hostis imbecillitas, nostra desidia. O quanta tunc erit confusio trepidante conscientia!* Bernhardus serm. VIII. in Psalm. Qui habitat. *Quid tam pavendum, quid tam plenum anxietatis & vehementissimae solicitudinis excogitari potest, quam iudicandum adstare illi tam terrifico tribunali & incertam adhuc exspectare sub tam districto iudice sententiam? horrendum est, ait apostolus, incidere in manus Dei viventis &c.* Serm. de undecim oneribus: *Qui tempus misericordiae negligit, iudicii tempus formidet, quia is, qui per misericordiam nos redemit, per iustitiam iudicabit.* Serm. LV. in Cant. *Time scrutinium iudicis, time oculos capreae, time illum, qui per prophetam Sophoniam cap. 3. dicit:* Et erit in die illa, & ego scrutabor Ierusalem in lucernis. *Acuto visu est, nihil inscrutatum relinquet oculus eius. Scrutabitur renes & corda, ipsaque cogitatio hominis confitebitur illi. Quid tutum in*

Babylone, si Hierusalem manet scrutinium? Libr. de interiori domo cap. 38. *Ipse iudex erit districtus accusator tuus. Omnes etiam spiritus boni & mali coram Deo te actusabunt cum eo. Boni, quia Deo debent aequitatem; mali, quia tuam servant iniquitatem. Tot iudicibus & populis adstabis, quot praecesserunt te in opere bono. Tot arguentibus confunderis, quot tibi praebuerunt bene vivendi exemplum. Tot convinceris testibus, quot te monuerunt bonis sermonibus & iustis actionibus. Omnibus populis nudabuntur iniquitates tuae, & cunctis agminibus patebunt universa scelera tua, non solum actuum, verum etiam cogitationum & locutionum. Multa vero peccata tunc proruent ex improviso, quasi ex insidiis, quae modo non vides, & forsitan plura & terribiliora his, quae nunc vides. Undique erunt tibi angustiae, hinc erunt accusantia peccata, inde terrens iustitia &c. In tanto discrimine torquebit te tua conscientia male sibi conscia, cruciabunt cordis arcana. Cogente etiam conscientia tui ipse eris accusator & iudex tuus. Convictus teste propria conscientia & testibus oculis ipsius iudicis fugere non poteris, sed tremens & anxius stabis suspensus ad gravissimam sententiam in angusto periculo & in periculosa angustia, tanquam ilico recepturus, quod in perpetuum amittere non poteris. Iudex tunc erit vehementer iratus & terribiliter districtus, sententia eius semel lata erit immutabilis, tortores horribiles, qui nunquam miserentur, erunt parati, ut data sententia te damnatum ad tormenta rapiant &c.* Innocentius lib. II. de contemtu mundi cap. 15. *O quantus tunc erit timor & tremor, quantus erit fletus & gemitus? Nam si columnae coeli contremiscunt, & pavent ad nutum eius, & angeli pacis amare flebunt, peccatores autem quid facient? Si iustus vix salvabitur, impius & peccatores ubi comparebunt? Propterea clamat propheta:* Ne intres in iudicium cum servo tuo Domine &c. *Quis enim non timeat iudicem potentissimum, sapientissimum & iustissimum? Potentissimum, quem nemo potest effugere; sapientissimum, quem nemo potest latere; iustissimum, quem nemo potest corrumpere. Si fortitudo quaeritur, robustissimus est, sapiens corde & fortis robore. Si aequitas iudicii, nemo audebit pro me testimonium reddere. &c.* Dionysius Carthusianus in lib. de quat. novis. art. XVI. *Hoc iudicium multo terribilius est ipsa morte corporali ac temporali, imo & poenis inferni ad tempus, prout sanctus Iob dixit:* quis mihi tribuat, ut in inferno protegas & abscondas me, donec pertranseat furor tuus? *Tanta est, ut dixit Macarius, terribilitas divini iudicii, quod si quis digne illud perpendat, ossa eius carni suae prae timore vix adhaerebunt.* Lutherus tom. IV. Ienens. Lat. Fol. 365. *O quantum erit istud consistorium, quod maiestate divina adparente & tot millibus angelorum celebrabitur? & quanto maioris maiestatis, tanto maioris terroris & horroris erit impiis.* Confer ea, quae de forma iudicii, cumprimis de manifestatione omnium operum & accusatione diaboli in iudicio dicta sunt superius §. LIX.

§. CXXI. b) In *specie* revocat nos novissimi adventus Christi & extremi iudicii meditatio, 1) a *crapula & ebrietate. Attendite vobis*, ait Christus de hoc iudicio differens Luc. XXI. 34. *ne graventur corda vestra crapula & ebrietate, ac superveniat in vos dies illa repentina.* v. 35. *Tanquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terrae.* Coniungit Salvator μεθην και μεριμναν, quod Lutherus reddidit *Fressen und Sauffen.* Μεθη est ebrietas adhuc durans & molestia carens, in qua ebrii adhuc luxuriantur & lasciviunt, *crapula* designat mala

mala, quæ ex antegressa ebrietate homines divexant, qualia sunt dolor capitis, eructatio, vomitus, fœdus, anhelitus &c. Est enim κραιπαλη, ex qua crapulæ nomen formatum, proprie gravedo illa capitis ex nimio potu, qua caput quasi vibratu quodam concutitur, dicta ex eo, quod το καρα παλλει, notante Galeno in comm. aphor. Hippocratis, ut sic ex consequente antecedens & ex effectu causa intelligatur, ac nomine *crapulae* nimia cibi potusve ingestio prohibeatur. Syrus reddidit אסוטיתא quæ vox exponitur per Hebraicam זוללות *commessatio*, sicut & Galat. V. 21. μεθαι και κωμοι coniunguntur, ac vox illa Syriaca, ut plures aliæ, mutuo sumta est a Græcis, & formata ex voce ασωτια, ut colligitur ex Ephes. V. 18. Quidam exponunt per figuram ενδιαδυο, *Cavete ab ebrietate & crapula*, hoc est, ab ebrietate, quæ gignit crapulam. Quare vero notanter & in specie ab ebrietate Christus nos dehortetur, eius rei causam in ipsa prohibitione exponit. *Attendite*, inquit, *vobis ipsis, ne corda vestra graventur crapula.* Per ebrietatem cor nostrum velut pondere quodam gravatur, ne per preces & devotionem ad Deum sese elevare possit, cum tamen in debita ad diem iudicii præparatione vel maxime requiratur precatio. Sicut avicula, cui grave aliquod pondus est adligatum, non potest se sursum elevare, sic cor gravatum crapula non potest Deo adpropinquare. *Sicut erat in diebus Noë, edebant & bibebant*, hoc est, commessabantur ac pergræcabantur, *ita quoque erit adventus Filii hominis* Matth. XXIV. 38. ex quo intelligitur, quod crapula & ebrietas ante diem novissimum futura sint maxime vulgaria. Christus igitur dilectos suos serio præmonere voluit, *ne mundo sese conformarent*, Rom. XII. 2. sed *ab eo immaculatos sese servarent*, Iac. I, 27. Ad dextram in die novissimo statuentur, qui esurientes paverunt; sitientes potarunt, vel in fame & esurie patientes fuerunt; sed ad sinistram collocabuntur, quos in voracitate & ingluvie, in comessationibus & ebrietate dies novissimus deprehendet. *Quemadmodum non possumus duobus dominis servire, Deo & Mammonae*, Matth. VI. 24. *sic non possumus spiritu pariter impleri & vino*, ait Hieronymus in Ephes. III. Cæterum quia ratio præcepto Christi addita generalis est, *ne graventur corda*, ideo sub crapulæ & ebrietatis nomine recte prohibitæ intelliguntur libidines lasciviæ, voluptates carnales, quæ ebrietati sunt connexæ, vel eamdem etiam sequuntur, *quia venter mero aestuans cito dispumat in libidinem*, quibus non minus cor gravatur, quam crapula & ebrietate. 2) *A cura victus & rerum terrenarum aviditate.* Luc. XXI. 34. *Attendite vobis, ne corda vestra graventur curis huius vitae.* Per τας μεριμνας βιωτικας intelligit Christus omnes illas curas, quæ nos distrahunt ac divexant in vita vel *conservanda*, ut est cura de victu & amictu, Matth. VI. 25. vel *ornanda*, ut avaritia, ambitio, superbia, &c. Basilius in ασκητ. παρα μεριμνα καν μηδεν εχειν δοκη των απηγορευμενων, μη συντελη δε προς θεοσεβειαν, βιωτικη εστι. *Omnes curae, quamvis nihil, quod prohibitum est, habere videantur, si non proficiant tamen ad pietatem & cultum divinum, vitae huius curae sunt. Sicut erat in diebus Noae & Lothi, nubebant & nuptui dabantur, emebant, vendebant, plantabant & aedificabant*, hoc est, curis huius vitæ penitus immersi erant, & de vita corporali conservanda, producenda, exornanda, in deliciis & voluptatibus peragenda unice soliciti erant, *ita quoque erit adventus filii hominis*, Matth.

XXIV. 38. Luc. XVII. 27. & 28. Quemadmodum senectutis vitium proprium est avaritia, sic cupiditas divitiarum & rerum terrenarum desiderium in effœta mundi senecta vel maxime crescet, sed hisce curis corda non minus quam crapula & ebrietate gravantur, quo minus per preces & desiderium cœlestium ad Deum elevari possint: *Amor rerum terrenarum est visus spiritualium pennarum.* Contra vero sponsa Christi *oculos habet columbarum*, Cant. IV. 1. Si esca proponatur columbæ, edit quidem granum unum post alterum, sed comesto uno grano oculos semper elevat in altum; sic pius homo, qui in Deo dives est, quoties Deus ipsi benedicit, & novum donum confert, oculos cordis ad Deum elevat, quo pertinet verbum ἀναβλέψατε a Christo usurpatum Luc. XXI. 28. *Mementote uxoris Loth*, dicit Salvator noster Luc. XVII. 32. ea enim in statuam salis, cum retrospiceret, conversa, moneat nos, ne illicito desiderio ad terrena respiciamus. Augustinus in Psalm LXXV. *Facta est statua salis, ut illius contemplatione condiantur homines, cor habeant, non sint fatui, non retrospiciant.* 3) Ab *immisericordia & crudelitate.* Terreant nos hœdi ad sinistram constituti, non quia rapuerunt, sed quia non paverunt. Si in die iudicii inter hœdos numerandi sunt, qui esurientes non cibarunt, multo magis inter eos computandi erunt, qui proximum defraudarunt, ac panem suum ipsi abstulerunt. Confer ea, quæ de forma iudicii dicta sunt superius §. LX. 4) Ab *iniustitia & iniquitate.* Si tanta percussione digna est pietas non impensa, perpende, quid mereatur iniustitia illata? Bernhardus epist. I. ad Robertum: *Veniet, veniet qui male iudicata reiudicabit, illicite iurata confutabit, qui faciet iudicium iniuriam patientibus, qui iudicabit in iustitia pauperes & arguet in aequitate pro mansuetis terrae. Veniet pro certo, qui per prophetam minatur in psalmo dicens*: cum acceperotempus, ego iustitias iudicabo. *Quid faciet de iniustis iudiciis, qui ipsas quoque iustitias iudicabit? Veniet, inquam, veniet dies iudicii, ubi plus valebunt pura corda, quam astuta verba, & conscientia bona, quam marsupia plena, quandoquidem iudex ille nec falletur verbis, nec flectetur donis. Discedite a me*, dicturus est iudex, *discedite omnes, qui operamini iniquitatem*, Matth. VII. 23. veniet enim, *ut ferat iudicium adversus omnes, & arguat impios omnes de omnibus operibus impietatis eorum*, Iud. v. 14. *Tunc fiet unicuique retributio manuum suarum*, Esai. XI. 3. *Et qui iniuriam fecit, recipiet id quod inique gessit*, Col. III. 25. 5) Ab *hypocritica calliditate.* Eccur

Astutam vapido gestas sub pectore vulpem,
Ore aliud referens, aliud sub pectore condens?

Christus iustus vulpinam tibi aliquando detrahet, & consilia cordium secretissima in apertam lucem collocabit &c.

§. CXXII. II) Usus παραινετικος sive *exhortatorius* itidem duplex est: 1) *generalis*, 2) *specialis.* a) *II) Exhortatorius.*

In genere meditatio extremi iudicii excitet nos 1) ad *pœnitentiam.* Psalm VII. 12. *Deus iudex iustus, Deus minitans per singulos dies.* v. 13. *Nisi conversi fueritis, gladium suum acuit, arcum suum tetendit, & adaptavit illum.* Act. XVII. 30. *Adnuntiat Deus omnibus ubique hominibus, ut agant pœnitentiam.* v. 30. *Eo quod statuit diem, in quo iudicaturus est orbem terrarum in aequitate.* Insperatus ac repenti-

tinus erit iudicis adventus, eccur igitur pœnitentiam de die in diem differimus? sola pœnitentia est, quæ nos iudici reconciliat, quæ peccatorum condonationem impetrat, quæ damnationis sententiam avertit. In hac vita patent adhuc conversionis portæ, quæ in die iudicii erunt clausæ. Chrysostomus homil. XLVIII. ad popul. Antioch. *Unusquisque vestrum, charissimi, suam ingressus conscientiam & peccata reputans diligenter a semetipso pœnas exigat, ne quandoque cum orbe terrarum condemnemur.* Homil. V. de pœnitent. *Responde iudici, priusquam in praetorium veniat. An ignoras eos, qui iudicem mitigare volunt, non ipso in examine causae, sed priusquam iudicii ingrediatur locum, benevolum sibi faciunt vel amico mediatore, vel praesule aut modo alio sibi iudicem conciliant, igitur & Deo, non sessionis tempore, suadendum erit iudici, ante iudicii tempus mitigabilis est iudex, hic eum exorabimus & placabimus &c.* Hieronymus in Psalm XLIX. *Utinam nos in hoc seculo poneremus ante nos peccata nostra, & non Deus ea in iudicio statueret ante faciem nostram, ubi iam non castigatio, sed iudicium mortis accedet.* Isidorus Pelusiota lib. I. epist. CLXXXVIII. *Si cœlum instar libri convolvitur, & astra cadunt, & orion & terra & omnia, quae ipsius complexu coercentur, igne conflagrant, cunctaque nuda & aperta magno illi dominicae praesentiae diei praeparantur, ecquid incuria laboras, ac non ut rationes redditurus te praeparas, verum ut criminum expers atque incognitus futurus pœnitentiam differs?* Augustinus in Psalm LI. *Hodie te corrige, qui vivus es, nam qui iudex tuus futurus est, ipse hodie advocatus tuus est.* Sermon. XXXV. de verb. apostol. *Bene nobiscum ageretur, si iam nunc sic pœniteremus super malis nostris, quomodo tunc sine ullo remedio pœnitebimus; si fœditates & confusiones nostras quemadmodum tunc visuri sumus, sic iam eas videre & horrere possemus.* Confer eumdem in enarrat. Psalm CXXVII. Gregorius lib. XIV. moral. cap. 30. *Vitari terror iudicis non nisi ante iudicium potest, modo non cernitur, sed precibus placatur. Cum vero in illo tremendo examine sederit, & videri potest, & placari iam non potest, quia facta pravorum, quae diu sustinuit tacitus, simul omnia reddet iratus.* Homil. I. in evang. *Illum diem, fratres carissimi, tota intentione cogitate, vitam corrigite, mores mutate, mala tentantia resistendo vincite, perpetrata autem fletibus punite. Adventum namque aeterni iudicis tanto securiores quandoque videbitis, quanto nunc districtionem illius timendo praevenitis.* Bernhardus serm. VIII. in Psalm. Qui habitat. *Iudicemur interim fratres, & terribilem illam exspectationem praesenti studeamus declinare iudicio. Non iudicabit Deus bis in idipsum.* Serm. LV. in Cantic. *Si nos metipsos diiudicaverimus, non utique diiudicabimur. Bonum iudicium, quod me illi districto divinoque iudicio subducit & abscondit. Prorsus horreo incidere in manus Dei viventis. Volo vultui irae iudicatus praesentari, non iudicandus. Iudicabo proinde mala mea, iudicabo & bona, scrutabor vias meas & studia mea, quo is, qui scrutaturus est Ierusalem in lucer[illegible], nihil inscrutatum in me sine discussione inveniat.* Hugo lib. I. de anim. cap. 2. *Quanto diutius nos Deus exspectat, ut emendemus, tanto districtius iudicabit, si neglexerimus.* Peccatorum desideria, vitiosi adfectus, concupiscentiæ carnis sunt vulpeculæ, illæ per memoriam novissimorum cum flamma ultrice colligatæ immittantur in segetes peccantium., ita exurentur & vindicta de diabolo & carne erit sumta, Iud. XV. 5. 2) Ad *vigilantiam.* Christus multoties ingeminavit illud suum γρηγορειτε και αγρυπνειτε, Matth. XXIV. 42. XXV.

XXV. 13. Marc. XIII. 35. & 37. Luc. XXI. 36. Apoc. III. 1. XVI. 15. ac diserte addidit: *Quod vobis* (apostolis) *dico, omnibus, dico vigilate.* Ex ore Christi seriam illam exhortationem ad vigilantiam repetiverunt apostoli: 1 Thess. V. 6. *Non dormiamus sicut caeteri, sed vigilemus & sobrii simus &c.* 1 Petr. IV. 7. *Omnium finis adpropinquavit*; v. 8. σωφρονησατε ουν και νηψατε εις τας προσευχας. 1 Petr. V. 8. *Sobrii estote, vigilate.* Basilius in moral. ιδιον χριστιανου το εφ' εκαστης ημερας και ωρας γρηγορειν, και εν τη τελειοτητι προς θεον ευαρεστησεως ετοιμον ειναι, ειδοτα, οτι η ωρα ου δοκει, ο κυριος ερχεται. Complectitur autem vera vigilantia a) *quotidianam temperantiam.* Νηφειν & *vigilare* & *sobrium esse* significat, quia ebrietati ac somno & sobrietati cum vigilia est maxima cognatio. 1 Thess. V. 7. *Qui dormiunt, nocte dormiunt, & qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt.* Quando igitur Christus & apostoli vigilantiam praecipiunt, eadem etiam opera temperantiae studium praescribunt, unde νηφειν και γρηγορειν arctissimo nexu coniunguntur 1 Pet. V. 8. b) *In precibus constantiam.* Luc. XXI. 36. *Vigilate, orantes.* In nobis ac nostris viribus non est, in iudicio illo consistere, a Domino igitur hanc gratiam impetremus, sed medio alio impetrare non possumus quam fideli precatione, quia fluenta divinae gratiae non nisi per canales orationis ad nos descendunt. Ad serias vero preces animi ardor ac cordis vigilantia requiritur c) *Solicitam curam ac providentiam*, qua satanae & mundi insidiae ac carnis peccatricis illecebrae vitentur. Ἀναβλεψατε, *sursum respicite*, ait Salvator Luc. XXI. 28. In quo verbo est pulcerrima metaphora ducta ab aviculis, quae cibum capientes identidem sursum respiciunt, ne ab accipitre invadantur, sic pii cum noverint se infernalis accipitris insidiis esse expositos, sursum ad Dominum cor suum elevare & solicite ambulare debent. *Videte, quomodo* ἀκριβως, *caute, exacte & solicite ambuletis*, inquit apostolus, *non ut insipientes sed ut sapientes*, Eph. V. 15. Col. IV. 5. *Scientes, quod dies novissimus instar laquei superveniet in omnes qui sedent super faciem universae terrae*, Luc. XXI. 35. Quando rete aucupis expanditur, aviculae advolant, cantillant, secure granа legunt, sed subito & inexspectato reti concluduntur: sic in impios terrenis rebus unice adfixos, securos & timoris Dei vacuos dies novissimus instar laquei superveniet, & inextricabili malo ipsos involvet, quae enim laqueo tenentur, insolubiliter captivari videntur. Haec Christi verba sunt profecto horribilia tonitrua adversus securitatem, metuamus ergo fulmen igneum, quod in die iudicii adversus impios erit vibrandum. *Ninivitae nisi timuissent, subversi fuissent; generi Loth, quia non timuerunt, perierunt.* d) *Securitatis fugam.* Securitas est animae quidam lethargus, vigilare igitur dicitur, qui excusso securitatis veterno adventum Domini vigilanter exspectat. Gregorius homil. XIII. in evang. *Vigilat, qui ad adspectum veri luminis mentis oculos apertos tenet*; *vigilat, qui servat operando, quod credit*; *vigilat, qui a se torporis & negligentiae tenebras pellit.* Hoc modo vigilantiam interpretatur ipse Christus Matth. XXIV. 44. *Estote parati.* Luc. XII. 35. *Sint lumbi vestri praecincti, & lucernae ardentes.* v. 36. *Et vos similes hominibus exspectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis, cum venerit & pulsaverit, confestim aperiant illi &c.* 1 Thess. V. 8. *Nos qui dici sumus, sobrii simus induti loricam fidei & caritatis, & galeam, spem salutis.* Sicut milites in excubiis constituti arma sua

non

non suspendunt ex pariete, sed induunt, sic pii spiritualibus armis induti in perpetuis consistant excubiis.

§. CXXIII. b) In *specie* prodest meditatio iudicii 1) ad *beneficentiam*. Qui esurientes paverunt, sitientes potaverunt, & fidem suam fructibus caritatis ac beneficentiæ testatam reddiderunt, illi ad dextram iudicis constituti audient: *venite benedicti, possidete regnum &c.* Confer ea, quæ superius ex veteribus adducta §. 56. 2) Ad *debitam in laboribus vocationis diligentiam*. Qui talento divinitus sibi concredito fuerit plurimum lucratus, is dulcissimam illam vocem audire poterit: *Euge serve bone & fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui*, Matth. XXV. 21. & 23. Luc. XIX 17. *Unusquisque propriam accipiet mercedem secundum suum laborem*, 1 Cor. III 8. Gerson part. I. consid. 9. an monachus pro studio possit negligere divina: *In hoc iudicio non interrogabimur, quantum fuerit intellectus noster acutus & eruditus, sed qualis fuerit adfectus noster ad Dominum Deum nostrum, hoc est, quam simplex, quam rectus, quam pius, humilis & devotus, quamque spontaneus & fidelis in Dei servitio secundum eam vocationem, quam vocatus fuerit divinitus* 3) Ad *fraternam concordiam*. Oves pacificæ ad dextram, sed petulci ac pugnaces hœdi ad sinistram iudicis statuentur. Non poterunt in die iudicii ad hæreditatem Domini pervenire, qui testamentum concordiæ & pacis a Domino traditum in terris noluerint observare. 4) Ad *deprimendam in propria merita fiduciam*. Psalm CXLIII. 2. *Ne intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens*. Hieronymus lib. II. adv. Pelag. *Nullus intrepidus vadit ad iudicium Domini habens conscientiam peccatorum &c. Luna erubescit, sol confunditur, cœlum operitur cilicio, & nos intrepidi atque laetantes, quasi omni careamus vitio, occurremus iudicis maiestati, quando tabescent montes, erecti videlicet in superbiam, & omnis militia cœlorum vel astra vel angelicae dignitates, & complicabuntur sicut liber cœli, & omnis exercitus eorum instar foliorum defluet?* In comment. Amos V. *Vae desiderantibus diem Domini? Decutitur confidentia superborum, qui ut apud homines iusti adpareant, solent diem exspectare iudicii & dicere: utinam veniat Dominus &c. Cum igitur nemo possit de Dei iudicare iudicio, & de otioso quoque verbo reddituri simus rationem, & Iob quotidie pro filiis suis obtulerit hostias, quae temeritas est audire cum Corinthiis, sine nobis regnatis.* Augustinus in libro de præfect. iustit. contra Cœlestin. tom. VII. *Quis gloriabitur castum se habere cor?* Proverb. XX. *Hoc dixit, quoniam praecessit, cum rex iustus sederit in throno. Quantalibet enim iustitia sit praeditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniatur esse culpandum, cum rex iustus sederit in throno, cuius cognitionem fugere delicta non possunt, nec illa, de quibus dictum est:* delicta quis intelligit? *Quis ergo tunc gloriabitur se castum habere cor, aut mundum se esse a peccato?* In enarrat. Psalm VI. *Regius vates in die iudicii nec argui vult nec corripi.* Gregorii lib. VIII. moral. cap. 9. *Iusti perituros se absque ambiguitate praesciunt, si remota pietate iudicentur, quia hoc ipsum quoque, quod iuste videmur facere, culpa est, si culpam nostram dum iudicat, hanc apud se divina misericordia non excusat. Bene ergo iusti voce dicitur, oculi tui in me, & non subsistam, hoc est, si subtili examinatione discutior, ad perferendum iudicium non adsurgo.* Bernh. serm. XXVII. in Cantic. *Si iniqui-*

quitates in die iudicii obſervaverit, etiam electorum quis ſuſtinebit? Aſtra non ſunt munda in conſpectu eius, & in angelis ſuis reperit pravitatem.

§. CXXIV. II) Uſus

II) *Conſolatorius.* παρακλητικος ſive *conſolatorius* duplex eſt, 1) ad *confirmandam ſpei & ſalutis noſtrae fiduciam*, 2) ad *roborandam patientiam.* Hunc uſum demonſtramus 1) a *ſuaviſſima huius diei denominatione.* Vocatur enim dies απολυτρωσεως, Luc. XXI. 28. Rom. VIII. 23. Eph. IV. 30. quia tum demum plena & perfecta a peccato & omnibus malis a peccato ortis *liberatio* per Chriſtum continget. Tempus αναψυξεως, Act. III. 20. αναψυχειν eſt *refrigerare, eventilare, deſiccare*, & per metaphoram *recreare*, animique deliquio ceſſante ſe recolligere, & iterum quaſi animari, Exod. VIII. 15. Pſalm LXV. 12. Oſeæ XII. 8. Ier. XLIX. 31. ſignificatur igitur, quod in die noviſſimo corpora animabuntur, lacrymæ ab oculis piorum abſtergentur, quies a labore & refrigerium ab æſtu tentationum & perſecutionum continget, & hæc αναψυξις a facie *Domini* orietur, quia adſpectus iudicis erit impiis formidabilis & terribilis, piis vero amabilis & inſtar cuiusdam refrigerii ſive etheſiarum in æſtu ſuaviter ſpirantium deſiderabilis. Tempus αποκαταστασεως των παντων, Act. III. 21. Oecumenius το αποκαθιστανειν interpretatur ει περας ελθειν, quam interpretationem ſequi videtur Syrus paraphraſtes, reddidit enim לְמִלֵּי֫א *complementum.* Græcis αποκαταστασις eſt eius rei *in integrum reſtitutio*, quæ iam olim decus ſuum miſere reformata & deſtructa perdiderat, ac velut ſimulacrum, quoddam miſeriæ & vanitatis longo tempore exſtiterat. Verbi gratia, ſi ædificii cuiusdam incendio aliove caſu deſtructi ερειπια ac rudera ruinarum materiam architectus aliquis induſtrius initio tollat, ac deinde labore improbo, artificio ſingulari, ſumtibus maximis arcem regalem eo loco ædificet, vel ſi exanime hominis corpus a latronibus miſerandum in modum laniatum revocata quaſi poſtliminio anima & vulneribus curatis demiurgus ille rerum omnium inſtauret & vivificet. Dies ergo noviſſimus erit tempus αποκαταστασεως παντων, quia *animabus* corpora e terræ pulvere ſuſcitata reſtituentur ac reunientur, *piis* reſtituentur plene ac perfecte bona omnia, quæ per lapſum Adami fuere amiſſa, *parentibus* reſtituentur liberi per mortem præmiſſi, *Deo* reſtituetur honor & gloria, quam princeps huius ſeculi imminuere voluit, Apoc. XII. 10. *angelorum ruinae* per beatam illam αποκαταστασιν implebuntur, ac piis reſtituetur regnum, cuius finis non erit futurus. 2) *A conſolatoria huius diei deſcriptione.* Luc. XXI. 31. *Cum videritis haec fieri, ſcitote quoniam prope eſt regnum Dei.* Intelligitur *regnum gloriae* in vita æterna, in cuius plenariam poſſeſſionem pii per hanc Chriſti παρουσιαν introducentur. Exordium huius regni præcedit in hac vita, unde eccleſia ſæpius vocatur *regnum cœlorum*, ſed complementum & perfectio ſuccedet in die noviſſimo, quia beata illa quies & gloria ſempiterna piis promiſſa ſub ſpe abſcondita eſt in ultimum uſque diem, Col. III. 4. 1 Ioh. III. 2. Apoc. XIX. 7. *Gaudeamus & exſultemus & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiae agni.* Sicut deſponſationem ſuo tempore ſequuntur nuptiæ ac deductio in domum, ſic Chriſtus eccleſiam ſponſam, quam per Spiritus ſancti arrham in hac vita ſibi deſponſavit, in die noviſſimo in cœleſtia tabernacula introducet. Col. III. 4.

Cum

Cum Christus adparuerit (in ultimo suo adventu, qui ἐπιφανεια, ἀποκαλυψις και φανερωσις vocatur, ut in ονοματολογια fuit demonstratum) *vita vestra*, (a quo non tantum naturalem sed etiam spiritualem vitam accepistis. qui æternæ vitæ promissionem vobis dedit) *tunc & vos adparebitis cum ipso in gloria*, (quia *transfigurabit corpus vestrum humile, ut conforme illud reddat corpori suo glorioso.*) Philip. II. 16. *Ut gloriari possim in die Christi, quod non in vanum cucurrerim.* 1 Thess. II. 19. *Quae est nostra spes aut gaudium aut corona gloriae? nonne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum estis in adventu eius?* Ergo fideles ecclesiæ doctores de conversione multorum in die novissimo lætabuntur ac gloriabuntur. 2 Tim. I. 18. *Det illi Dominus invenire misericordiam a Domino in die illa.* Ergo dies illa piis erit dies gratiæ & misericordiæ, impiis autem dies iudicii & iustitiæ. 2 Tim. IV. 8. *Coronam gloriae reddet Dominus in illa die omnibus diligentibus adventum suum.* Ergo dies illa est piis dies coronæ, non autem iræ. Qui bonum certamen certarunt ac victoriam reportarunt, non metuunt agonotheta, sed diligunt, coronam enim sibi ab ipso paratam sciunt; sed qui ab adversario victi sunt, iudicium formidant, quia non coronam sed ignominiam se reportaturos norunt. 1 Ioh. III. 2. *Nunc filii Dei sumus* (per fidem), *& nondum adparuit, quid futuri simus. Scimus autem quod cum adparuerit* (Christus Salvator noster,) *tunc similes ei erimus* (κατα ποιον non κατα ποσον,) *quia videbimus eum sicut est.* 3) A *Christi iussione.* Luc. XXI. 28. *Attollite capita vestra*, non debetis ex mœrore & tristitia caput dimittere, sed præ desiderio ac lætitia potius attollere. Per το επαιρειν τας κεφαλας intelligitur non solum *debita ad hunc diem praeparatio*, quod pii cor suum a terrenis mature avertere, Christi reditum quotidie exspectare, & sancta vitæ conversatione sese præparare debeant; sed etiam *laeta eiusdem exspectatio*, quod in vera fiducia omnia bona a Christo exspectare, ac fidenti animo ad desideratam salutem anhelare debeant. Qui animo sunt mœsto ac demisso, caput deiiciunt, qui læto ac hilari, elevant. Gregorius homil. I. in evangel. *Cum plagae mundi crebrescunt, cum terror iudicii ostenditur, levate vos capita vestra, hoc est, exhilarate corda.* 4) A *piorum conditione.* Pii *non sperant tantum in hac vita in Christum*, 1. Cor. XV. 19. sed *ipsorum* πολιτευμα *est in cœlis*, Phil. III. 20. ideo *cupide desiderant reditum Christi ad iudicium*, 2 Tim. IV. 8. diligunt eius adventum, *exspectant beatam spem & adventum gloriae magni Dei & Salvatoris Iesu Christi*, Tit. II. 13. *exspectant & properant in adventu diei Domini*, 2 Petr. III. 12. Apoc. VI. 10. *Animae interfectorum propter verbum Dei subter altare anxie desiderant iudicium extremum & vindicias sui sanguinis. Spiritus & sponsa dicunt: veni*: Apoc. XXII. 17. hoc est, quævis vere fidelis anima, utpote Christi sponsa, quæ arrhabonem spiritus accepit, cupide desiderat sponsi cœlestis adventum; sciunt enim, imo quotidie experiuntur vere pii, quod in hac vita, velut in quodam carcere, captivi teneantur, sed in die novissimo sequetur liberatio. Ut Christus ipsis in hac vita fuit *sapientia* ratione verbi, *iustitia* respectu sanguinis & meriti sui, *sanctificatio* ratione Spiritus, quem in eos effudit opulente; sic etiam erit ipsis in die iudicii *redemtio* respectu plenariæ liberationis a peccati sensu, a corruptione corporis, & ab omnibus periculis atque adversis. Hieronymus libr. III. in comment. Tit. II. *Sicut impietas magni Dei reformidat adventum, sic pietas illum*

praestolatur. 5) A *quotidiana precatione.* Christus salutis nostræ magister, sic orare nos docuit: *adveniat regnum tuum*, Matth. VI. 10. per hoc regnum intelligitur non tantum *regnum gratiae* in hac vita, sed etiam ac cumprimis *regnum gloriae* in futura vita. Orare nos docuit, *libera nos a malo*, v. 13. hæc liberatio plene & perfecte fit in die novissimo; quare cum in oratione dominica quotidie petamus adventum Christi ad iudicium accelerari, ideo etiam gratum, exspectatum & consolatorium eum esse oportet. Unde pie & graviter Lutherus pronunciat tom. V. Ienens. German. fol. 507. *Non potest esse verus christianus, nec recitare orationem dominicam, qui non toto corde hunc diem desiderat.* 6) Ab *omnium causarum consideratione.* Causa *efficiens* iudicii erit Christus in adsumta natura humana ab omnibus conspiciendus, is vero est noster Redemtor, Mediator, Salvator, advocatus, sponsus, caput, rex, saderdos &c. Quomodo vero perderet populum suum *rex* clementissimus? quomodo sponsam suam damnaret *sponsus* benignissimus? quomodo membra sua dissiparet *caput* mitissimum? quomodo clientes suos accusaret *patronus* faventissimus? *Quis accusabit electos Dei? Deus est, qui iustificat. Quis est, qui condemnet? Christus Iesus est, qui mortuus est, qui resurrexit, qui etiam est ad dextram Patris, & interpellat pro nobis?* Rom. VIII. 33. 34. Si Christo pro nobis intercedente nullus est, qui accuset vel condemnet, quanto minus Christus ipse noster intercessor ac mediator condemnaturus est eos, quos in clientelam suam recepit? Non mutabit benignissimus ille Mediator suum erga nos animum in die iudicii, sed ut pios in hac vita & in morte paterno amore complexus est, ita quoque *diliget eos usque in finem*, Ioh XIII. 1. Illi *omne iudicium datum est*, cui electi a Patre cœlesti dati sunt salvandi & glorificandi; ad illius tribunal sistemur, qui est noster Salvator & Redemtor, cuius beneficia in verbo evangelii oblata fide recepimus, & hunc iudicem ante tempus iudicii placavimus. Vide Ezech. I. 10. *cherubinum cum facie hominis & leonis;* sic Christus in die iudicii amicus & humanus erit piis, terribilis vero instar leonis erit impiis. *Adsessores iudicii* erunt ipsimet pii & sancti. Penes eum erit iudicium, qui nos sibi in iudicando honoris quodammodo consortes destinavit, tantum abest, ut ad nostri condemnationem ipsum tribunal conscensurum esse metuere debeamus. *Materia* sive *obiectum* iudicii sunt fides & infidelitas, opera bona & mala; atqui pii vera fide Christo in hac vita adhæserunt, & fidem suam per caritatem & bona opera demonstrarunt, ergo non cogentur metuere damnatoriam sententiam: peccata ipsorum proiecta sunt in profundum maris, sunt sanguine Christi deleta &c. ergo non cogentur metuere, ne in conspectum angelorum & hominum producantur, & in districtum rigoris examen revocentur. *Forma iudicii* sic describitur, quod iudex piis ad dextram constitutis sit dicturus: *venite benedicti Patris mei, possidete regnum, quod paratum vobis a constitutione mundi.* Quænam iucundior aut exoptatior vox audiri posset? *Finis iudicii* est, ut pii ab omnibus malis & periculis liberati, perfecta iustitia & sanctitate donati, in vitam æternam introducantur. Hebr. IX. 28. *Christus secundo adparebit sine peccato exspectantibus se εις σωτηριαν.* Pulchre Lutherus in postill. eccles. dominic. II. advent. *Non est quod ab hoc die metuamus, cum eiusdem quasi animi & propositi sit nobis-*

biscum. Cupimus nos, & anxie desideramus liberari a peccatis, hoc beneficium nobis continget in illo die &c. 7) A *benevola promissione. Qui credit in Filium, non iudicatur*, Iohan. III. 18. *Qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam, & in iudicium non venit*, V. 24. *Non posuit nos Deus ad iram, sed in adquisitionem salutis per Christum Dominum nostrum, qui mortuus est pro nobis, ut sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum illo vivamus*, 1 Thess. V. 9. & 10. Quis alius harum promissionum evangelicarum finis, quam ut contra terrorem divini iudicii animemur? 8) A *comparatione.* Noah cum suis in arca servatus non pertimescebat diluvium; Lothus non exhorrescebat Sodomiticum incendium; Israelitæ plagas Ægyptiacas ut signa proxime instantis liberationis intuebantur &c. Qui in captivitate Turcica detentus adventum christiani principis liberatoris sui in propinquo esse audit, nec militum clamore, nec armorum fulgore, nec bombardarum fragore terretur, scit enim liberationem suam præsto esse. 9) A *piorum veterum testificatione.* Macarius homil. XXVI. Ὀφειλει εχειν καθ' ἡμεραν την ελπιδα και την χαραν και την προσδοκιαν της μελλουσης βασιλειας και απολυτρωσεως, και λεγειν, ἐαν σημερον ου ελυτρωθην, αυριον λυτρωμαι. Ambrosius in libr. de Iacob. & vita beata cap. 6. *Quomodo Christus eum damnabit, quem propria mors redemit?* Hieronymus in Malach. IV. *Dominus iudicii sanctis lux erit, peccatoribus tenebrae.* Chrysostomus homil II. in epistol. Colossens. *Christus illum diem noctem simul vocat & diem, noctem propter peccatores, diem propter iustos.* Augustinus epist. CXLII. *Impii dicent montibus, cadite super nos, & collibus, operite nos, & petris, aperite vos nobis; verum haec eorum sint, qui variis huius mundi detenti curis de mundi non cogitant fine. Tu vero, cui adventus Christi dierum noctiumque meditatio est, qui consummationem seculi quasi certum praemii tui tempus exspectas, exsultationem de cælo capies non timorem.* In enarrat. Psalm C. *Formidandum erit malis iudicium propter pœnam, amandum bonis propter coronam.* In enarrat. Psalm CXLVII. *Si amamus Christum, utique adventum eius desideremus. Perversum enim est, & nescio utrum verum, quem diligis, timere, ne veniet; orare, adveniat regnum tuum, & timere, ne exaudiaris. Unde autem timor, quia iudex venturus est? numquid iniustus, numquid malevolus? numquid invidus? Numquid postremo ab altero exspectans nosse causam tuam, ne forte ille, quem instruxisti, vel praevaricatione te decipiat, vel minori facundia vel facultate deficiens innocentiae tuae bonum verbis demonstrare modo non possit? nihil horum. Quis ergo venturus est? quare non gaudes? quis venturus est iudicare te, nisi qui venit iudicari propter te? Ne timeas accusatorem, de quo ipse dixit: Princeps huius mundi iam iudicatus est. Non timeas malum advocatum, ille enim tibi modo advocatus est, qui tuus iudex futurus est. Ille erit & tu & tua causa. Sermo causae tuae testimonium conscientiae tuae. Quisquis ergo futurum iudicem times, conscientiam tuam modo corrige.* Serm. CXIX. de temp. *Confiteamur salvatorem, ne timeamus iudicem. Qui enim modo in eum credit, & praecepta eius facit, & diligit eum, non timebit, quando veniet iudicare vivos & mortuos. Non solum non timebit, sed ut veniat, optabit. Quid enim nobis felicius, quam quando venit, quem desideramus? quando*

venit, quem amamus? (*) Est & hoc Augustini: *Domine, horribilis est adventus tuus, & formidabilis est maiestas tua. Ego quoque tuam timerem iustitiam & iudicium, nisi faciem tuam antecederet misericordia & veritas. Misericordia taa delet peccata mea, veritas tua praestat, quam peccatori in vulneribus tuis recumbenti promisisti gratiam.* Prosper lib. de promiss. cap. XVII. *Adventus Filii Dei sicut bonis infert laetitiam, ita malis exitium.* Bernhardus serm. XXVII. in Cant. *Deum nobis absque homine exhibentem nemo hominum ferret, utpote claritate inaccessibilem, celsitudine inattingibilem, incomprehensibilem maiestate; nunc vero cum exarserit brevi ira eius, quam grata propter filios gratiae adparebit blanda quaedam visio hominis, spei robur, fiduciae augmentum, quod scilicet gratia & misericordia sit in sanctos eius & respectus in electos eius. Ipse Pater Deus dedit Filio iudicii potestatem, & non quia suus sed quia hominis Filius est. O vere Patrem misericordiarum, vult per hominem homines iudicari; quo in tanta trepidatione & perturbatione malorum electis fiduciam praestet naturae similitudo?* Lutherus in post. eccles. super epist. nativ. dom. *Idem administrabit iudicium, qui se pro nobis in mortem tradidit, nec abnegabit seipsum, sed confitebitur se pro peccatis nostris satisfeciisse: iudex ipse confitebitur se sustulisse peccatum, quid igitur proficere poterit peccatum suis accusationibus &c.*

§. CXXV. Quod ergo veteres dicunt, *etiam piis & sanctis tremendum esse illud iudicium*, Basilius in Psal. 33. Gregorius homil. VII. in Ezech. &c. illud est accipiendum 1) non de timore *servili*, qui cum vera in Christum fiducia non consistit, sed de timore *filiali*. Ut enim pii in scriptura sic describuntur, quod Deo confidant, & simul etiam Deum timeant, ita quoque meditatio divini iudicii & fiduciam in illis confirmat, & verum Dei timorem excitat. 2) Nec ratione *spiritus*, iuxta quem cupide & cum exsultatione hunc diem desiderant, sed ratione *carnis*, quam quotidiana huius iudicii meditatione crucifigunt ac mortificant. Philip. II. 12. *Cum timore & tremore operemini salutem.* Athanasius in vita Antonii: *Formido iudicii & poenarum timor horridus simul & lubricae carnis intima dissolvit, & ruentem animam quasi ex aliqua rupe sustentat.* 3) Nec sensu *pontificio*, quasi perpetuo de gratia Dei & peccatorum remissione propter diem illum iudicii piis sit dubitandum, vel quasi in extremo iudicio merita operum bonorum & malorum sint in lance simul expendenda, vel quasi Christus *tantum ut condemnet, non autem ut salvet, iudicis tribunal sit conscensurus.* Suarez in concil. super Apoc. p. 557. sed sensu *& pio orthodoxo*, quod memoria iudicii vigilantiæ studium & peccati odium in piis debeat acuere. Psal. CXIX. 120. *Horripilavit a timore tuo caro mea, a iudiciis tuis timui.* Matth. X. 28. *Timete eum, qui potest animam & corpus mittere in gehennam.* Act. XIV. 25. Paulo differente *de extremo iudicio*, Felix redditur

(*) Et postea: *qui modo est advocatus, ipse tunc erit iudex noster. Audi Iohannem:* si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum, *iustum, & ipse est exoratio peccatorum nostrorum. Si haberes causam apud aliquem iudicem agendam, & instrueres advocatum, esses susceptus ab advocato, ageret causam tuam, sicut posset. Et si non illam finisset, & audires, illum iudicio venturum, quam gauderes, quia ipse potuit esse iudex tuus, qui paulo ante advocatus tuus? & modo ipse pro nobis interpellas. Advocatum enim habemus, & iudicem timeamus? imo quia advocatum praemisimus, securi iudicem venturum speremus.* GERHARDVS.

tur ἐμφοβος. Apoc. XIV. 7. *Timete Deum & tribuite illi gloriam, quia venit hora iudicii eius.* 4) Nec in *ſenſu oppoſito*, quaſi tantum metuendum ſit illud iudicium, ſed in *ſenſu ſubordinato*, quod ſcilicet diverſo reſpectu & metuendum & anxie deſiderandum ſit, cum utrumque a piis in ſcriptura requiratur. Bernhardus ſerm. VI. in Cant. *Duos pedes Dominus & miſericordiam & iuſtitiam ſimul oſculandos* monet &c. *quia recordatio ſolius iudicii in barathrum deſperationis præcipitat, & miſericordiae fallax adſentatio peſſimam generat ſecuritatem.* Cæterum ut meditatio iudicii proficit ad *confirmandam in animis noſtris fiduciam*, ita quoque prodeſt ad *roborandam patientiam.* Quod ſi enim Chriſtus in die iudicii publice iudicabit bona piorum opera, multo magis & prædicabit & remunerabit ærumnas, quas propter confeſſionem doctrinæ patienti animo in hac vita ſuſtinuerunt. 2. Theſſ. I. 6. *Iuſtum eſt apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant*, v. 7. *& vobis, qui tribulationem ſuſtinetis, requiem nobiſcum in revelatione Domini Ieſu de cælo.* Iacob. V. 8. *Patientes eſtote & vos, & confirmate corda veſtra, quoniam adventus Domini adpropinquavit.* Apoc. XIX. 1. *Laus & gloria & virtus Deo noſtro*, v. 2. *quia vera & iuſta ſunt iudicia eius, qui iudicavit de meretrice magna &c.* Gregorius homil. XIX. in evangelia: *Illum diem, fratres cariſſimi, illum ante oculos ponite, & quidquid modo grave creditur, in eius comparatione tolerabitur.*

CAPVT XI.

DE DEFINITIONE EXTREMI IVDICII.

Definitio extremi iudicii.

§. CXXVI. *Definitio* extremi iudicii ex ſuperioribus formari poteſt huiusmodi: iudicium extremum eſt actus ſolennis & publicus, in quo Deus iuxta æternum & immutabile ſuum decretum per Ieſum Chriſtum in adſumta natura humana viſibiliter e cœlo in nubibus comitantibus angelis omnibus cum gloria & maieſtate magna in die noviſſimo rediturum omnes omnino homines mortuos & vivos, illos e pulvere terræ ſuſcitatos, hos vero immutatos, ad tribunal ſuum congregabit, pios ad dextram, impios ad ſiniſtram collocando, ac utrique parti iuſtam & ultimam ſententiam promulgabit, illos utpote, qui in vera fide perſeverarunt, & bonorum operum, præſertim caritatis & beneficentiæ teſtimonio eam comprobarunt, iuxta evangelii promiſſionem in plenariam regni cœleſtis poſſeſſionem introducendo; hos vero, utpote qui impœnitentes & increduli ad finem uſque vitæ permanſerunt, ac mala egerunt, iuxta legis damnationem cum malis angelis in ignem infernalem detrudendo. Huius iudicii extremi perpetuo memores ſuſpiremus: *O Domine Ieſu, in illa die libera nos a verbo aſpero*, & concede ſervis tuis propitius, ut lætam illam audiamus ſententiam: *venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum, quod paratum eſt vobis a conſtitutione mundi.* Tibi cum Patre & Spiritu ſancto ſit laus, honor & gloria in ſempiterna ſecula, Amen!

Coronidis loco ex veteribus quædam de extremo iudicio ἀξιομνημονευτα præter

rer ea, quæ ſuperius ſunt adducta, ſubiungemus:

NAZIANZENUS in carminibus de parabolis quatuor evangeliſt. v. 67.

Σχιζομενων εριφων και οιωνηματι πικρω

Ανδρων ευσεβεων τε και ουχ οσιων εκατερθεν

Στησαις μη μ'εριφοις εναριθμιον, αλλα οιεσσι

Δεξιτερην παρα χειρα, μενοιτ' ενι χειροσι λαιη.

At eum grex ovium nigris dirimetur ab hircis,

Horrendoque die tandem conſiſtet utrinque

Iuſtorum cœtus, perdendaque turba malorum;

Hircorum in numero ne me Deus optime quaeſo

Pone, ſed inter oves, manuique adiungito dextrae,

Laeva malis tantum immineat &c.

De proceſſu extremi iudicii rythmi quidam vetuſti

αμετροι και αδεσποτοι.

Iudicabit iudices iudex generalis.

Ibi nihil proderit dignitas papalis,

Sive ſit epiſcopus ſive cardinalis;

Reus condemnabitur, nec dicetur qualis.

Ibi nihil proderit quidquam allegare,

Neque vel excipere neque replicare,

Neque ad apoſtolicam ſedem adpellare;

Reus condemnabitur, nec dicetur quare.

Cogitate miſeri, qui & quales eſtis,

Quid in hoc iudicio dicere poteſtis;

Ubi non erit codici locus aut digeſtis.

Idem erit dominus, iudex, actor, teſtis &c.

Alii eiusdem generis, qui Bernhardo tribuuntur, ſed in operibus eius non habentur:

Expaveſco miſer multum

Iudicis ſeveri vultum,

Quem latebit nil occultum,

Nec manebit quid inultum.

Et quis noſtrum non timebit,

Quando iudex adparebit?

Ante quem ignis ardebit,

Peccatores qui delebit.

Ryth-

Rythmos vetuſtos de iudicio extremo, qui in monaſterio Franciſci apud Mantuanos deſcripti exſtant, ex hodæpor. Nathanis Chytræi retulimus in tractat. de bonis operibus. §. 107. pag. 264.

Quid genus, aut ſpecies, quid honor, quid forma valebit,
Cum totus mundus Domino veniente pavebit?
Noſter Ariſtoteles hic cum Platone iacebit,
Qualis in hac vita fuerit, tunc quisque videbit.

INNOCENTIUS III. in lib. de contemptu mundi.

Ecce dies Domini veniet crudelis & indignationis plenus & iræ & furoris ad ponendam terram in ſolitudine & peccatores eius conterendos de ea, quoniam ſtellæ cœli & ſplendor earum non expandent lumen ſuum, obtenebratus eſt ſol in ortu ſuo & luna in lumine ſuo, & viſitabo ſuper orbem mala & contra impios iniquitatem, & quieſcere faciam ſuperbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo. Propter hoc omnes manus diſſolventur, & omne cor hominis tabeſcet & contereturr. Torſiones & dolores tenebrarum tenebunt, & quaſi perturiens dolebunt, unusquisque ad proximum ſuum ſtupebit, facies combuſtæ vultus eorum. Dies iræ dies illa, dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies tubæ & clangoris, quia conſummationem cum feſtinatione faciet Dominus cunctis habitantibus terram. O quantus tunc erit timor & tremor, quantus erit fletus & gemitus! Nam ſi columnæ cœli contremiſcunt & pavent adventum eius, & angeli pacis amare flebunt, peccatores autem quid facient? Si iuſtus vix ſalvabitur, impius & peccatores ubi parebunt? Propterea clamat propheta: *Non intres in iudicium cum ſervo tuo, Domine, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Si iniquitates obſervaveris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Quis enim non timeat iudicem potentiſſimum, ſapientiſſimum & iuſtiſſimum? Potentiſſimum, quem nemo poteſt effugere; ſapientiſſimum, quem nemo poteſt latere; iuſtiſſimum, quem nemo poteſt corrumpere. Si fortitudo quæritur, robuſtiſſimus eſt, ſapiens corde & fortis robore. Si æquitas iudicii, nemo audebit pro me teſtimonium reddere. Si iuſtificare me voluero, os meum condemnabit me. Pravum me comprobabit, etiamſi ſimplex fuero; ipſe dixit & facta ſunt; ipſe mandavit, & creata ſunt, qui vocat ſtellas, & dicunt, adſumus. Qui facit angelos ſuos ſpiritus & miniſtros ſuos flammam ignis. Cuius voluntati omnino nihil reſiſtit. Cui nullum verbum eſt impoſſibile. Cui flectitur omne genu cœleſtium, terreſtrium & infernorum. Hunc ergo poteſt fugere nemo, ſicut dicit propheta: *Si adſcendero in cœlum, tu illic es; ſi deſcendero ad infernum, tu ades.* Ipſe ſcrutatur renes & corda, cuius oculis omnia nuda ſunt & aperta. Qui pluviæ guttas & arenam maris dinumerat. Deus ſcientiarum Dominus, præſcius omnium & conſcius ſingulorum, occultus occultorum, omnium indagator. Hunc nemo poteſt latere, ſicut dicit apoſtolus: *Non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu eius.* Ipſe eſt iudex iuſtus & longanimis, qui nec prece, nec pretio, nec

nec amore, nec odio declinat a semita rectitudinis, sed via regia semper incedens. Nullum malum præterit impunitum, nullum bonum irremuneratum relinquit. Hunc ergo nemo potest corrumpere, iuxta quod dicit Psalmus: *Reddes singulis secundum opera eorum.*

Meditatio extremi iudicii.

Considera *primum*, quam futura sit dies illa terribilis, in qua aperientur causæ omnes filiorum Adam, nostræque vitæ cuncti processus concludentur, et ultima sententia de unoquoque decernetur irrevocabilis in æternum. Dies horribilis valde, quæ omnium seculorum præteritorum, præsentium ac futurorum dies complectetur, in qua mundus istorum omnium temporum rationem reddet, quam a tot iam seculis collectam habet. Quanto igitur impetu prorumpet copiosissimus ille fluvius indignationis divinæ, qui tot iræ & indignationis repressiones habuit, quot sunt peccata, quæ ab initio mundi perpetrata sunt.

Secundo considera horrribilia signa, quæ hunc diem præcedunt in sole & luna & stellis, & omnibus creaturis cœli & terræ. Omnes enim finem suum præsentient, antequam consummantur. Et homines ipsi arescent, & contabescent audientes & inspectantes tam portentosos motus tamque ingentes calamitates & miserias, quæ toti mundo imminebunt. Atque ita incedent attoniti & obstupefacti, faciebus pallidis ac deformatis ante mortem mortui, & ante iudicium condemnati, metientes pericula sua propriis timoribus. Usque adeo vero unusquisque suo proprio timore occupatus erit, ut non sit recordaturus alieni, tametsi patris aut filii. Nullus quippe erit passurus pro alio, quia nullus pro se sufficiet.

Tertio considera incendium illud universale, quod iudicium præcedet, & horrendum illum sonitum tubæ, quem edet archangelus, ad convocandas omnes mundi generationes, ut in unum locum conveniant & horribili iudicio præsentes adsint. Sed super omnia expende tremendam illam, in qua iudex veniet, maiestatem.

Quarto considera, quam stricta futura sit ratio, quæ a singulis exigetur. *Vere scio*, (inquit Iob. 9.) *quod ita sit, & quod non iustificetur homo compositus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille.* Quid igitur sentiet tunc, cum Deus examen hoc cum illo ingredietur, & intra conscientiæ arcanum dicet ei: Adestum homo nequam quid in me vidisti, quod ita me despexeris, & ad inimici mei partes transieris? Ego te ad imaginem & similitudinem meam creavi: ego tibi fidei lumen sum largitus: ego tibi eam gratiam contuli, ut Christianus esses, meoque pretioso sanguine te redemi: pro te ieiunavi, iter feci, vigilavi, laboravi & sanguineas guttas sudavi, pro te persecutiones, flagra, blasphemias, irrisiones, alapas, ignominias, tormenta & crucem ipsam passus sum. Testes sunt hæc crux & hi clavi, qui hic comparent. Testes hæc manuum & pedum stigmata, quæ in meo corpore remanserunt. Testes cœlum & terra, in quorum conspectu passus sum. Quid igitur feciti cum hac anima tua, quam ego meam meo sanguine feceram? In cuius obsequium consumsisti, quod ego tam care comparavi? O generatio stulta & adultera, quare maluisti inimico tuo cum labore, quam mihi creatori & redemtori tuo cum lætitia inservire? Quoties vocavi vos, & non mihi respondistis? Pulsavi ad ianuas vestras, & noluistis excitari? extendi manus meas in

in cruce, & eas non adspexistis? mea consilia, promissa & comminationes contemsistis? Dicite ergo nunc vos, o angeli, judicate vos iudices & adsessores mei, inter me & vineam meam, quid amplius debui pro ea facere, quam feci? quid hic respondebunt mali? quid contemtores rerum divinarum? quid irrisores virtutis? quid simplicitatis vilipensores? quid ii, qui leges mundi, quam divinas pluris fecerunt, qui cunctis Dei vocibus surdi, inspirationibus insensibiles, mandatis rebelles omnibus, denique flagellis & beneficiis duri & ingrati exstiterunt? Quid respondebunt, qui ita vixerunt, ac si non esse Deum credidissent? qui nullius alterius rei quam proprii commodi & voluptatis rationem habuerunt? Quid facietis (ait Esaias X.) *in die visitationis & calamitatis de longe venientis*? Ad cuius confugietis auxilium, & ubi derelinquetis gloriam vestram, ne incurvemini sub vinculo, & cum interfectis cadatis?

Postremo considera terribilem illam sententiam, quam iudex contra malos fulminabit, & illam horrendam vocem, quæ audientium aures tinnire faciet. *Labia eius* (inquit Esaias XXX.) *repleta sunt indignatione, & lingua eius quasi ignis devorans.* Quis ignis ita comburet, sicut verba illa? *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo & angelis eius?* O infelicem peccatorem, si Deus maledicet tibi, quis benedicet? si a Deo discedendum tibi erit, ad quem confugies? si in ignem æternum, quando erit finis? in quolibet horum verborum habes plurimum, quod rumines, & sentias: in discessu, in maledictione, in igne, in societate: sed præ omnibus, in ipsa æternitate.

CONSPECTVS
LOCORVM
CAPITVM, SECTIONVM ET RELIQVORVM CONTENTORVM IN TOMO HOC XIX OCCVRRENTIVM.

LOCVS XXVIII.
DE RESVRRECTIONE MORTVORVM.

CAPVT III.
de causa efficiente resurrectionis.

I) Declaratur *causa efficiens principalis* resurrectionis, quae est unus & solus verus *Deus*, pater, filius & spiritus sanctus. §. XLIII.
1) ex dictis *scripturae sacrae*
A) generalibus. Exod. III. 6. Psalm XXXIV. 21. cet.
B) specialibus
a) de Deo *patre.*
b) de *filio.* §. XLIV.
c) de *spiritu sancto.* §. XLV.
2) ex *rationibus*, petitis
A) a Christi resurrectione. §. XLVI.
B) ab operis huius conditione.
C) a collatione resurrectionis cum primæva creatione.
D) a comparatione operis huius cum vita & morte hominis.
E) a rerum creatarum conservatione.
Subiicitur *porisma*, quod nullus hominum propria virtute se ipsum suscitare queat. §. XLVII. ubi speciatim
Quaestio tractatur: an Christus *se ipsum* suscitaverit? id quod argumentis productis *adfirmatur*, & defenditur contra *photinianorum* obiectiones, desumtas
A) ex resuscitatione *patri* adtributa. §. XLVIII.
B) ex mortis & resurrectionis connexione. §. XLIX.
C) ex absurdi consecutione. §. L.
D) ex indigentiae significatione. §. LI.
E) ex Christi precatione. §. LII.
F) ex typi praefiguratione. §. LIII.
II) Causa *meritoria.*
A) ratione *piorum*, Christus *mediator.* §. LIV.
B) *impiorum* resurrectionem *merito Christi* tribuendam esse, praemissa observatione de *Calvini* adsertione §. LV.
1) *negatur*, provocando
α) ad *scripturae sacrae* dicta, quibus resuscitatio impiorum tribuitur non *merito* Christi, sed eius *voci ac virtuti, decretoque iustitiae divinae.* §. LVI.
β) ad conditionem resurrectionis *Christi.* §. LVII.
γ) ad *obiectum et finem* resurrectionis, *merito Christi partae.* §. LVIII.
δ) ad *consequentias.* §. LIX.
ε) ad consensum *piorum veterum.* §. LX.
2) *adfirmantis* partis *argumenta* excutiuntur, quae sunt:
α) oppositio apostolica. 1 *Cor.* XV. 22. 23. §. LXI. LXII.
β) Christi beneficia. §. LXIII.
γ) ratiocinatio a maiori ad minus. §. LXIV.
III) Causa *instrumentalis*
1) *ministerium angelorum.* §. LXV.
si quidem *late* respiciatur ad actiones, resurrectionem proxime antecedentes & consequentes.
2) *vox Christi*, si resurrectio *praecise ac formaliter* accipiatur pro corporum ex terrae pulvere formatione, atque eorundem cum animabus unitione. Quid per *vocem archangeli* & *tubam Dei* intelligendum sit, dispicitur §. LXVI.

CA-

CAPVT IV.

de materia resurrectionis.

Materia resurrectionis, sunt *corpora hominum, numero & substantia eadem*, quae *mortua*, *alias* tamen *qualitates* per divinam operationem sortita. §. LXVII.

I) Circa sententiam, corpora hominum, *eadem numero* & *substantia* suscitatum iri, profertur

1) Thesis, *adfirmans*
   A) propter perspicua *scripturae s. dicta.*
   B) propter *rationum* momenta, posita
      a) in resurrectionis *definitione.* §. LXVIII.
      b) in resurrectionis *termino a quo.*
      c) in resurrectionis *subiecto.*
      d) in resurrectionis *fine.*
      e) in *Christi* resurrectione.
      f) in *iustitiae diuinae regula.*
      g) in *resuscitatorum* exemplis.
      h) in *piorum* conditione.
      i) in *fine creationis.*
      k) in *consecutionibus.*
      l) in resurrectionis *analogo.*
      m) in *nomenclatura mortis.*
   C) propter *perpetuum ecclesiae consensum*, qui proponitur,
      a) in *publicis confessionibus* ac *symbolis.* §. LXIX.
      b) in *veterum doctorum* dictis.

2) *Antithesis.*
   A) *veterum* quorundam, ut *Origenis.* cet. §. LXX.
   B) *recentiorum*, inprimis
      a) *Socini*, eiusque sectatorum. §. LXXI. LXXII.
      b) *Suencfeldianorum* & *enthusiastarum.* §. LXXIII.

nixa *argumentis* sequentibus:

a) Matth. XXII. 30. Luc. XX. 36. §. LXXIV.
b) 1 Cor. XV. 50. §. LXXV.
c) 1 Cor. XV. 36. §. LXXVI.
d) 1 Cor. XV. 51. §. LXXVII.
e) ratiocinatione, ex *diversitate operationum* &, statuum ducta. §. LXXVIII. LXXIX.
f) 1 Cor. VI. 13. §. LXXX.

His additur consideratio argumenti pro *diversitate materiae* in *corporibus resuscitatis.* §. LXXXI.

II) Agitur de *qualitatibus* corporum resuscitatorum,

1) iis, quae *communes* sunt impiis cum piis, §. LXXXII.
2) iis, quae *solis piis propriae* sunt, ubi docetur, futura *piorum* corpora esse
   A) gloria & splendore vestita,
   B) potentia,
   C) spiritualia,
   D) coelestia.
3) Argumentum *nostratium* pro *incorruptibilitate* & *immortalitate* corporum ad vitam aeternam resuscitatorum, *exemplo Christi ex mortuis resuscitati* firmatum, defenditur adversus *photinianos.* §. LXXXIII.

III) Subiunguntur *quaestiones* de *materia* resurrectionis:

1) An corpora, quae *in hac vita* fuere *manca & mutila*, resurrectura sint *perfecta?* §. LXXXIV.
2) An corpora resuscitata, habitura sint *partes organicas?* §. LXXXV. LXXXVI.
3) Cuius *staturae* futura sint corpora resuscitata? §. LXXXVII.
4) An in resuscitatis corporibus futurum sit *discrimen sexus?* §. LXXXVIII.
5) An a resuscitatis corporibus *omnis deformitas abfutura* sit? §. LXXXIX.
6) An *omnes capilli* sint resuscitandi? §. XC.

CAPVT V.

de forma resurrectionis.

Forma resurrectionis est
I) *interna* §. CXI.
1) respectu *mortuorum.*
   A) *corporum* e terrae pulvere *reformatio.*

B) eorundem *animatio.*
2) respectu *vivorum*, quos *dies novissimus* deprehendet, *subitanea* eorum *immutatio*, qua efficitur, ut corpora naturam induant incorruptam & immortalem.
II) *externa*, posita in *modo* atque *ordine*, quem Christus iudex observabit. §. XCII.

CAPVT VI.

de fine resurrectionis.

Finis resurrectionis duplex est
I) respectu *Dei*, gloria Dei, & peculiariter Christi. §. XCIII.
II) respectu *hominum*
1) *communis* omnibus resuscitandis, adparitio coram tribunali Christi. §. XCIV.
2) *proprius*
A) quoad *pios* & vere credentes, æterna gloria.
B) quoad *incredulos* & impios, æterna ignominia.

CAPVT VII.

de effectis resurrectionis.

Effectus ac *consequentia resurrectionis* cum *fine* fere coincidunt. Sunt nimirum
I) *generatim*, ἀφθαρσια & ἀθανασια.
II) *speciatim*, *piorum* glorificatio, *impiorum* ignominia. §. XCV.
Referri insuper ad consequentia resurrectionis potest:
1) ministerii verbi & sacramentorum abrogatio.
2) politiarum cessatio.
3) actuum naturalium omnium in corporibus humanis abolitio.
4) creaturæ a vanitate & servitute corruptionis liberatio.

CAPVT VIII.

de subiecto resurrectionis.

I) *Demonstratur*, *omnes* omnino *homines mortuos* cuiuscunque conditionis & status *resurrecturos* esse
1) ex *scripturae sacrae* dictis
A) generalibus, §. XCVI.
B) specialibus, quæ disertam mentionem *impiorum* faciunt.
2) ex rationum momentis, §. XCVII.
A) ex resurrectionis *causa impellente.*
B) ex resurrectionis *causa efficiente.*
C) ex *consequente.*
D) ex *absurdis.*
3) ex *patrum* testimoniis. §. XCVIII.
II) *Duae* resurrectionis *species*, e subiectorum diversitate natae explicantur, altera *vitae*, *iudicii* altera. §. XCIX.
III) proponitur *antithesis*
1) *Iudaeorum.* §. C.
2) *Photinianorum.* §. CI. quorum argumenta contra *impiorum* resurrectionem breviter recensentur ac diluuntur §. CII.
IV) Adduntur *quaestiones* de *subiecto resurrectionis.*
1) An *infantes* in *utero materno exstincti* sint resurrecturi? §. CIII.
2) An *foetus abortivi* sint resurrecturi? §. CIV.
3) An *partus monstrosi* sint resurrecturi? §. CV.
4) An subiectum resurrectionis recte dicatur *totus homo*? §. CVI.
5) An *bruta* sint resurrectura? §. CVII.

CA-

CAPVT IX.

de adiunctis resurrectionis.

Adiuncta resurrectionis sunt
I) *Tempus.*
1) *Generalem* resurrectionem futuram esse *die novissimo*, ostenditur §. CVIII.
2) Notantur, qui *circa tempus* a veritatis tramite aberrant. §. CIX.
3) *Quaestio* subiicitur: cur Deus *tam diu differat piorum* resuscitationem? §. CX.
II) *Locus.* §. CXI.

CAPVT X.

de cognatis resurrectionis.

Cognata resurrectionis sunt:
I) *Mortuorum quorundam* resuscitatio, a Christo & sanctis Dei hominibus facta. §. CXII.
II) Translatio *Enochi.* §. CXIII.
III) Liberatio ex *morbis letalibus.* §. CXIV.
IV) *Immutatio* eorum, quos dies novissimus deprehendet vivos. §. CXV.
De *lectione* & sensu loci apostolici, 1 *Cor.* XV. 51. copiose disputatur §. CXV-CXX. subiuncta quaestione:
An etiam ii, quos dies novissimus deprehendet vivos, sint *morituri?* §. CXXI.

CAPVT XI.

de pugnantibus cum resurrectione.

Pugnantia cum resurrectione in duas distribuuntur classes, quarum prima complectitur ea, quae *theoretice*, altera, quae *practice* doctrinae isti adversantur. §. CXXII.

CAPVT XII.

de usu huius doctrinae.

Ostenditur *usus*
A) *theoreticus*
B) *practicus.*
C) *paraeneticus.* §. CXXIII.

CAPVT XIII.

de definitione resurrectionis.

Definitio resurrectionis exhibetur. §. CXXIV.
A) plenior.
B) brevior haec: resuscitatio mortuorum est opus solius Dei veri, quo corpora defunctorum omnium ex pulvere excitabit, ac animabus uniet, ut pios gloria ornet, impios vero ad cruciatus nunquam finiendos damnet.

CON-

CONSPECTVS OBSERVATIONIS

DE BIS MORTVIS,

sive iis, qui ex morte in vitam revocati iterum fato functi sunt.

I) Quæstio proponitur. §. I.
II) Tractatur.
A) *Recensentur bis mortui*, ubi
1) *removentur* ii, qui *falso* pro talibus habentur, *neglecto* sacrarum literarum testimonio. §. II.
2) *excludantur*, qui *e sacris literis sine rationibus idoneis* numero bis mortuorum accensentur. §. III.
3) *speciatim* agitur de *sanctis tempore mortis Christi resuscitatis*; eorumque sententia præfertur, qui sanctos ipsos iterata morte functos fuisse *negant*. §. IV.
4) *adducuntur ii*, qui ex sacrarum literarum auctoritate *vere pro bis mortuis* habendi sunt.
α) ex *vet. testamento*. §. V.
a) Viduæ *Sareptanae* filius. 1 Reg. XVII.
b) *Sunamitidis* filius. 2 Reg. IV.
c) homo in *Elisaei* sepulcrum proiectus. 2 Reg. XIII.
β) ex *novo testamento*. §. VI.
a) resuscitati a *Christo*.
aa) filia *Iairi*.
bb) viduæ *Nainiticae* filius.
cc) *Lazarus*. *Ioh.* XI.
b) *ab apostolis*,
aa) *Tabitha*. *Act.* IX.
bb) *Eutychus*. *Act.* XX.
5) subiicitur aliquid de *fine* illorum miraculorum. §. VII.
B) *Quaestio* excutitur, *quonam loco statuve fuerint animae hominum illarum, donec in pristinam cum corpore communionem redierint.*
1) In medium adferuntur opiniones variae *eorum*, qui animas illas *loco separatas* fuisse a corporibus, existimant. §. VIII.
2) laudatur *alterius partis* sententia, quae *non loco quidem* a corporibus divulsas, sed vi in ea agendi, *dissoluto per mortem commercio*, destitutas fuisse statuit. §. IX.

CONSPECTVS OBSERVATIONIS II.

de mortis universalitate ac necessitate.

I) Mortem *omnibus* hominibus subeundam esse, *adfirmatur* §. I.
II) *Dispensationis* divinae *extraordinariae* exempla in sacris literis proposita recensentur, & praeter haec *nulla* dari *alia* adseritur §. II.
* Notae adspersae uberius agunt de *Henocho* & *Elia*, nec non traditiones de *Mose*, *Iohanne apostolo*, & *matre Domini Maria*, citatis auctoribus, persequuntur.
III) Mirabilis quaedam opinio Io. Ascilii, *angli*, exponitur ac confutatur. §. III. Nota *libri ab ipso editi* historiam breviter exhibet.
IV) *Eorum* denique opinio commemoratur, qui *medica arte immortalitatem corporis impetrari posse* putant. §. IV.

LOCVS XXIX.

de extremo iudicio.

PROOEMIVM

Versatur
I) in explicatione dicti apostolici. *Hebr.* IX. 27. §. I.
II) in *commendatione* doctrinae de *extremo iudicio*. §. II.

CAPVT

CAPVT I.

de onomatologia iudicii extremi.

Occurrit
I) Ετυμολογια. §. III.
II) Ομωνυμια. Secundum quam iudicium, cum *Deo* tribuitur,
1) *aliis* in *locis* sumitur, §. IV. V.
A) γενικως, pro totius universi administratione.
B) ειδικως, pro ecclesiæ collectione & gubernatione.
C) διδακτικως, pro divinis mandatis ac præceptis.
D) δικαστικως, pro causæ cognitione, præmiorum collectione, & iusta in delinquentes animadversione.
2) *hoc loco*, de *processu iudiciali*, *in die novissimo olim instituendo*, §. VI.
A) *generaliter*, pro iudicio *discretionis* ac *discussionis*.
B) *specialiter*
a) pro iudicio *adprobationis*.
b) pro iudicio *redargutionis* ac condemnationis.
III) Συνωνυμια. §. VII. Vocatur iudicium extremum יום כפור κρισις μεγαλης ημερας. Dies Domini respectu *impiorum* dies iræ & angustiæ; respectu *piorum* dies απολυτρωσεως, αναψυξεως, &c. ratione *reditus Christi visibilis*, παρουσια, επιφανεια, φανερωσις, αποκαλυψις του Χριστου &c. §. VIII.

CAPVT II.

an sit iudicium extremum?

I) *Affirmans* sententia *adstruitur*
1) oraculis sacræ scripturæ §. IX.
A) *veteris testamenti*
a) ex *Mose*. Gen. IV. 7. Gen. V. 24. coll. Iud. v. 15. Gen. XVIII. 25. Deut. XXXII. 34. 35. §. X.
b) ex *Iobo*. cap. III. 4. XIII. 14. XIX. 29. XX. 25-27. XXXV. 14. §. XI.
c) ex *Psalmis*. II. 9. VII. 12-17. IX. 5-9. XI. 6. 7. XLIX. 6. L. 3-6. LXVIII. 2. LXXIII. 16. 17. LXXV. 3. &c. §. XII.
d) ex *prophetis*. §. XIII.
e) ex libris *apocryphis*. §. XIV.
B) *novi testamenti*, cuius testimonia
a) *recensentur*. §. XV.
b) subiuncta observatione rei præsenti *adplicantur*. §. XVI.
2) ex *particularibus iudiciis* divinis. §. XVII.
3) ex *typis* & *parabolis*. §. XVIII.
4) ex ecclesiæ *symbolis* & perpetuo eius consensu. §. XIX.
5) ex *rationibus*, & quidem
A) *iustitiae divinae* administratione.
B) *propriae conscientiae* testificatione.
C) *resurrectionis* & *iudicii* connexione.
D) *regni Christi* conditione.
E) *universali* omnium piorum expectatione.
F) *legis* promulgatione.
G) faniorum *gentilium* confessione.
II) Notantur *negativae*
1) *defensores*. §. XXI.
calumniæ adversariorum respondetur, qui temere adserunt, *Lutheranos veritatem* vel *vigorem duntaxat iudicii extremi negare*. §. XXII - XXIV.
2) *argumenta*, *contra certitudinem iudicii extremi* desumta, §. XXV.
A) ex Ioh. III. 18.
B) ex Ioh. VIII. 15.
C) ex Ioh. XII. 31.
D) ex *mercede*, animis *statim post earum e corpore discessum* adtributa.

CAPVT III.

de causa efficiente extremi iudicii.

I) *Causam efficientem* iudicii extremi *Deum* esse *triunum* docetur
1) generatim. §. XXVI.
2) speciatim
A) de *patre*. §. XXVII.
B) de *Christo*. §. XXVIII-XXXIII. ubi ostenditur:
a) iudicium *peculiariter* adsignari *filio*, quoad *visibile* & *externum exercitium*. §. XXVIII.
b) non tantum secundum divinam, sed etiam *secundum humanam eius naturam*, quod probatur
α) dictis sacræ scripturæ. §. XXIX.
β) testimoniis *veterum*. §. XXX.
γ) subiuncta censura *agnoëtarum*, qui Christum diem iudicii ignorare adserebant. §. XXXI.
δ) elicitis quibusdam *ex ectariis* de virtutibus *humanae Christi naturae*. §. XXXII.
II) *Antithesis* proponitur, §. XXXIII.
1) *Mahammetanorum*.
2) *Davidis Georgii*.
3) *pontificiorum*.
4) *Calvinianorum*.
III) Explicantur *quaestiones*:
1) An reditus Christi ad iudicium *opponatur eiusdem in terris praesentiae*. §. XXXIV.
2) An reditus Christi ad iudicium futurus sit *localis*? §. XXXV.
3) Qualis futura sit *nubes*, in qua Christus veniet? §. XXXVI.
4) *Quare* Christus *in nubibus venturus*? §. XXXVII.
5) An Christus in forma *gloriosa*, an in forma *servi* sit adpariturus? §. XXXVIII.
IV) Subiicitur aliquid de *causa* iudicii extremi *impulsiva*, eaque
1) *interna*, quæ est
A) iustitiæ divinæ æquitas.
B) divina bonitas.
C) Dei veritas.
2) *externa*, quæ continetur
A) horribili diaboli furore et crudelitate.
B) epicurea & supina maximæ partis hominum crudelitate.
V) Producuntur *causae* iudicii extremi *instrumentales* ac *ministeriales*,
1) *angeli sancti*. §. XL.
2) homines *pii*. §. XLI. ubi disquiritur:
A) *Quomodo* sint *pii iudicaturi*. §. XLII. XLIII.
B) An etiam *angeli* sint iudicaturi. §. XLIV.

CAPVT IV.

de materia extremi iudicii.

Materia, circa quam, sive *obiectum* iudicii extremi statuitur duplex:

I) obiectum *personale*,
1) angeli mali. §. XLV. XLVI.
2) homines; ubi
A) *demonstratur*
a) *universaliter omnes* homines coram tribunali Christi præsentatum iri. §. XLVII.
α) ex *universali* scripturæ sacræ adsertione.
β) ex *collectivi* nominis usurpatione.
γ) ex *indefinita* locutione.
δ) ex speciali *distributione*.
ε) ex iudicii cum morte & resurrene *nexu*.
ζ) ex *ratiocinatione* multiplici.
b) *singulariter antichristum* in die novissimo iudicatum iri. §. XLVIII.
B) exponitur *antithesis*
a) *Rabbinorum*. §. XLIX.
b) quorundam ex *veteribus*, statuentium, *nec fideles, nec infideles iudicandos esse, sed medios*.

c) pos-

c) *pontificiorum*, quando disputant,
α) ex fidelibus eos, qui *voluntariam paupertatem voverunt*, non iudicandos esse, sed cum Christo iudices futuros. §. L.
β) *parvulos non baptizatos* in iudicio non esse comparituros. §. LI.
C) Additur *quaestio*: an etiam *irrationales creaturae* sint iudicandae? §. LII.

II) Obiectum *reale*, seu *formale*, de quo iudicium instituendum, est cuiusque *fides* vel *incredulitas*, ex propriis effectis iudicanda.
1) Hoc *declaratur*, atque ostenditur
a) iudicium esse ferendum de omnibus *factis*, *verbis* & *cogitatis*. §. LIII.
b) id ipsum denotari per *apertionem librorum*, praedictam Dan. VII. 10. Apoc. XX. 12. §. LIV.
2) Contraria *pontificiorum* sententia, non de fide vel infidelitate, sed *simpliciter de operibus tanquam meritis* salutis aut damnationis sententiam ferendam esse, refellitur §. LV.
3) *Quaeritur*:
A) *Quare opera misericordiae* duntaxat in descriptione iudicialis processus Matth. XXV. enumerentur? §. LVI.
B) An ex processus iudicialis descriptione colligi possit, electis *propter operum merita* reddendam esse vitam aeternam? §. LVII.

CAPVT V.

de forma extremi iudicii.

Forma iudicii extremi consistit
I) in solemni ad iudicium *praeparatione*. §. LVIII.
II) in ipsa iudicii *administratione*, ad quam pertinet
1) causae *cognitio*. §. LIX.
2) causae cognitae *decisio*, ac definitivae sententiae *promulgatio*. §. LX.
3) sententiae *promulgatae exsecutio*. §. LXI. Error quorundam circa iudicii exsecutionem notatur, §. LXII.

Quaestiones porro solvuntur:
1) Utrum *peccata piorum* aeque ac impiorum in iudicio sint publicanda. §. LXIII - LXV.
2) An *pii peccatorum suorum* in die iudicii sint *recordaturi*? §. LXVI.
3) An *per aliquot dies* protrahendum sit iudicium? §. LXVI.
4) An sententia *voce audibili* proferenda? §. LXVIII. LXIX.
5) Quaenam futura sit iudicii illius *norma*? §. LXX.

CAPVT VI.

de fine & effectu extremi iudicii.

I) *Finis* iudicii extremi
1) *principalis* est Dei & Christi Salvatoris nostri gloria. §. LXXI.
2) *minus principalis*, isque
A) *generalis*, omnes homines concernens, est, ut coram Christi tribunali sistantur, & sententiam iudicis audiant. §. LXXII.
B) *specialis*, respectu
a) *piorum*, ut partorum a Christo beneficiorum participes reddantur.
b) *impiorum*, ut debitas peccati poenas percipiant.

II) *Effectus* iudicii erit consummata liberatio piorum ac finalis reiectio impiorum. §. LXXIII.

CAPVT VII.

de adiunctis extremi iudicii.

Adiuncta iudicii extremi sunt:

I) *Locus.*
1) terminus, *a quo*, est *cœlum*. §. LXXIV.
2) terminus *ad quem*, vel locus, in quo iudicium peragetur, tacente scriptura, definiri nequit.
Quid de coniecturis eorum, qui *vallem Iosaphat* iudicii *locum* esse volunt, sentiendum sit, declaratur §. LXXV.

II) *Tempus*, quod statuitur duplex, *inchoationis* & *durationis*. Illud in die novissimo futurum, sacræ testantur literæ. Quis vero dies ultimus sit futurus, nos fugit. Hinc
1) *a temeraria* & *scrupulosa temporis inquisitione merito esse abstinendum*, docetur §. LXXVI.
2) Conamina quorundam diiudicantur, qui extremi iudicii *diem definire voluerunt*. §. LXXVII - LXXX.
3) Monetur, salubrius esse, si Christi ad iudicium adventus singulis diebus, imo horis & momentis in vero Dei timore *exspectetur*, quam momentum temporis, quo venturus sit, scrupulose *indagetur*. §. LXXXI.
4) *Quæstiones* subiiciuntur:
A) Quid de coniectura quorundam statuendum, qua Christum *media nocte*, *pascha tos festum antegrediente*, ad iudicium redirurum credunt? §. LXXXII.
B) Quo *anni tempore* Christus sit rediturus? §. LXXXIII.
C) An *Luiherus* propterea pro *pseudopropheta* habendus sit, & fides doctrinæ eius in universum derogenda, quod prædixerit, *diem novissimum esse in propinquo*, qui tamen nondum advenerit? §. LXXXIV.

III) *Antecedentia* iudicii, nimirum signa
1) *remota* ac *communia*,
A) hæresium multiplicatio. §. LXXXV.
B) totius orbis conturbatio. §. LXXXVI.
C) horribilis piorum persecutio. §. LXXXVII.
D) supinæ securitatis, & proiectæ impietatis inundatio, morumque extrema corruptio. §. LXXXVIII.
E) universalis per totum orbem evangelii prædicatio. §. LXXXIX. XC.
2) *propinqua* & *propria*.
A) insignis quartæ monarchiæ labefactatio. §. XCI.
B) *anticbristi* revelatio. §. XCII.
C) variorum *signorum* observatio. §. XCIII.
α) De signis hisce disquiritur
a) an consummationem seculi *immediate* sint anteceſſura, atque illo *ipso demum momento*, quo Christus comparebit, eventura? §. XCIV.
b) utrum *proprie* & *literaliter*, an vero *allegorice* sint accipienda. §. XCV - XCVII.
c) *Qualia* sint
aa) *supra nos* in creaturis cœlestibus
α) in sole & luna. §. XCVIII.
β) in stellis. §. XCIX.
γ) in virtutibus cœlorum. §. C.
δ) signum filii hominis. §. CI.
bb) *intra nos*. §. CII.
cc) *infra nos*, in creaturis elementaribus. §. CIII.
β) Rationes exponuntur, *cur Christus haec signa praedixerit*. §. CIV.
γ) Notantur ii, qui præter scripturam *alia diei novissimi signa* proferunt.
a) *Iudaei*. §. CV.
b) *Sibyllinorum* oraculorum concinnatores. §. CVI.
c) *patres* nonnulli. §. CVII.
d) *pontificii*, a quibus ante diem novissimum sequentes exspectantur prodromi: §. CVIII.
aa) universalis evangelii prædicatio.
bb) imperii romani omnimoda desolatio
cc) terræ sanctæ recuperatio.
dd) Enochi & Eliæ prædicatio.
ee) urbis Romæ & totius orbis a pontifice defectio.
ff) an-

ff) antichristi cuiusdam imaginarii præsentatio.
gg) ligni crucis redintegrati in cœlo adparitio.
hh) mundi conflagratio.

His oppositis tractantur *quaestiones*:

A) An *iudaei* ante diem novissimum in *terram Canaan* sint reducendi? §. CIX - CX.

B) An *universalis* quædam *iudaeorum conversio* ante diem novissimum sit *expectanda*? §. CXI.

IV) *Consequentia* iudicii. §. CXII.

1) piorum in cœlum subvectio, impiorum vero in infernum detrusio.
2) cœli terræque conflagratio.
3) principatuum ac regnorum terrenorum destructio.
4) plenaria mortis abolitio.
5) regni Christi in manus patris traditio.
6) ministerii ecclesiastici abrogatio.
7) beneficiorum Christi consummatio.
8) omnium laborum & ærumnarum, quas sancti propter Christum in hac vita toleraruht, compensatio.
9) creaturæ a servitute peccati liberatio.
10) novi cœli ac novæ terræ creatio.
11) æterna Dei glorificatio.

CAPVT VIII.

de cognatis extremi iudicii.

Cognata extremi iudicii sunt

I) Iudicium Dei adversus *angelos apostatas*. §. CXIII.

II) Iudicium Dei *in paradiso post lapsum protoplastorum*. §. CXIV.

III) *particularia* iudicia, quæ Deus in toto mundo, cumprimis vero in ecclesia exercet. §. CXV.

IV) Iudicium, quod Deus *mediate* exercet, tum in *ecclesia* per verbum, tum in *politia* per magistratum. §. CXVI.

V) *Occultum* iudicium, quod in *conscientia* cuiusque hominis exercetur. §. CXVII.

CAPVT IX.

de pugnantibus cum extremo iudicio.

Doctrinæ de extremo iudicio *adversantur*.

I) *Epicuraeae* cogitationes ac voces empæctarum. §. CXVIII.

II) Errores circa *causas* vel *obiectum* iudicii.

III) *Curiositas* nimia

IV) *Temeritas* in *provocando* ad iudicium extremum.

V) *securitas*.

CAPVT X.

de usu doctrinae de iudicio extremo.

Usus huius loci est

I) *Theoreticus*, isque
A) didascalicus.
B) elenchticus. §. CXIX.

II) *practicus*,
A) generalis, ut novissimi diei semper memores simus; id quod tum sacræ scripturæ oraculis, tum patrum quorundam dictis confirmatur.
B) specialis,
1) *informatorius*, isque
α) Correctorius, dum extremi iudicii meditatio nos revocat
a) in *genere* ab impietate & securitate. §. CXX.
b) in *specie*,
(1) ab ebrietate. §. CXXI.
(2) a cura victus & terrenarum rerum aviditate.
(3) ab immisericordia & crudelitate.
β) exhortatorius;
a) *in genere*
(1) ad pœnitentiam. §. CXXII.
(2) ad vigilantiam.

b) *in specie*

(1) ad beneficentiam. §. CXXIII.

(2) ad diligentiam in laboribus vocationis.

(3) ad fraternam concordiam.

(4) ad deprimendam in propria merita fiduciam.

2) *consolatorius*, §. CXXIV - CXXV.

α) ad confirmandam spei & salutis nostræ fiduciam.

β) ad roborandam patientiam.

CAPVT XI.

de definitione extremi iudicii.

Proposita extremi iudicii *definitione*, §. CXXVI. coronidis loco *rythmi* quidam *vetusti* de extremo iudicio subiunguntur.



Jg 1830
(19120)

ULB Halle
002 610 884
3

1018

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841221-p0354-3

IOANNIS GERHARDI

THEOLOGI QVONDAM IENENSIS
CELEBERRIMI

LOCORVM THEOLOGICORVM

TOMVS DECIMVS NONVS

ADIVNCTO

SVPPLEMENTO

DENVO EDIDIT

IO. FRIDERICVS COTTA

THEOLOGVS TVBINGENSIS.

TVBINGÆ
SVMTIBVS IO. GEORGII COTTÆ
MDCCLXXX.

Farbkarte #13 B.I.G.
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
Inches Centimetres
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841221-p0355-9